DE EPISCOPALI MONOGAMIA, ET UNITATE ECCLESIASTICA DISSERTATIO. SEU...

André Du Saussay, Michel Lasne, Giovanni Battista Coccini





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 H
29

DE EPISCOPALI MONOGAMIA, ET VNITATE ECCLESIASTICA DISSERTATIO.


SEV

INSIGNIS ECCLESIÆ LINGONENSIS diuortium & scissuram detrectantis, pia ac necessaria DEFENSIO.

Ad SANCTISSIMVM Patrem & D. N. Dominum VRBANVM VIII. Pontificem Maximum.

AVCTORE
ANDREA DV SAVSSAY *Parisino S. R. E. Protonotario, Ecclesiaste Regio, necnon SS. Lupi & Aegidij Lutetiæ Pastore.*





Numisma Vrbani. 6



PARISIIS,
Apud PETRVM CHAVDIERE, viâ Iacobæâ sub Scuto Florentiæ.

M. DC. XXXII.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.



VRBANVS VIII. PONTIFEX
MAXIMVS.

SVMMO
DEI SERVATORIS
VICARIO
VRBANO VIII.
OECVMENICO
ORBIS TERRARVM
PASTORI,
Ecclesiasticæ Vnitatis sacratissimo
VERTICI,
dilectissimæ Christi sponsæ fidelissimo
CVSTODI,
Omnium Ecclesiarum Maximo
DEFENSORI.

OB FELICEM HVMANAE SALVTIS PROCVRATIONEM.

HAS
Ecclesiæ Lingonensis vindicias,
in pietatis subsidium concinnatas:
ÆTERNVM
Deuoti animi
SIGNVM;
AND. DV SAVSSAY PROTONOT. APOST.
DAT, DICAT, CONSECRAT.






DECANI ET CAPITVLI insignis Ecclesiæ Lingonensis PIA ad Summum Pontificem EXPOSTVLATIO.



SANCTISSIMO
AC
BEATISSIMO
IN CHRISTO PATRI
ET DOMINO N.
D. VRBANO PP. VIII.
SVMMO EPISCOPORVM PRINCIPI,
VNIVERSALIS ECCLESIAE
CAPITI.

Deuotissimi ac humillimi Famuli Decanus & Capitulum Ecclesiæ Lingonensis, sacris pedibus prouoluti ἈΘΑΝΑΣΙ'ΑΝ *precantur.*




QVOS pridem ad felicis recordationis GREGORIVM XIII. sanctissimum Beatitudinis Tuę decessorem, Majores nostri supplices detulerunt, ad Tuum quoque Apostolatum, mœrentis Ecclesiæ Lingonensis cernui referimus gemitus, semel quidem repressô dolorê consopitos, at nunc iteratô vulnerê erumpentes, eóque etiam maiori impetu profluentes, quò grauiori excutiuntur nuper inflicta læsione. Enimuerò haud

minima ipsi tunc contigit affici molestia, cùm filij secessionem à materno gremio meditabantur, Episcopalis, quo pollet ab ortu ferè solis iustitiæ, matricis decus, Sedis scilicet ius propriæ, Diuioni suæ ascribere annitentes. Nunc autem longè acerbiori concutitur dolore, cùm *Pater* ipse & *dux virginitatis suæ*, æmulorum fouet suorum conatus, atque vt, quam nouo molimine affectant, ex sacri honoris consortio, gloriam impertiatur, nouumque, ex propriç Ecclesiç dispendio, sibimet concilier, eminentioris Pontificij splendorem: secundariam in fundi meditullio ipsius Ecclesiæ Lingonensis Cathedram cupit constituere; Capellámque Diuionensem ad Pontificalis dignitatis fastigium efferendo, & matri, quam deprimit, filiam æquiparando, scissuram non modò inferre tesseræ mysticæ vnitatis, sed binæ matricis vna in Diœcesi excitatione, bigamiam sacris proscriptam legibus inuehere videtur, noxiam, haud minùs, quam pudendam. Ignoscat vero BEATISSIME PATER S.T. deuotis supplicibus, si pietatis cõcussi stimulis querulas eiusmodi, vel inuiti, in illum depromunt voces, quem, post Apostolicæ tuæ Majestatis apicem, primum suspicere & colere, ipsô pietatis officiô, obstringuntur. Dignitatem enim quà ipsis Pater & Pastor est, eô quo par est honore venerari percupiunt: Personam quæ purissimis enitet moribus, doctrinæque & pietatis fulget eximiæ ornamentis, filiali semper vt amore prosequi, sic omnibus debitæ perdigno Antistiti reuerentiæ, percolere volunt obsequiis. At DEVS Opt. Max. non solùm Patrem honorari iubet: Matrem quo-



SANCTISSIMO
AC
BEATISSIMO
IN CHRISTO PATRI ET DOMINO N.
D. VRBANO PP. VIII.
SVMMO EPISCOPORVM PRINCIPI, VNIVERSALIS ECCLESIAE CAPITI.

Deuotissimi ac humillimi Famuli Decanus & Capitulum Ecclesiæ Lingonensis, sacris pedibus prouoluti Α'ΘΑΝΑΣΙ'ΑΝ *precantur.*



QVOS pridem ad felicis recordationis GREGORIVM XIII. sanctissimum Beatitudinis Tuę decessorem, Majores nostri supplices detulerunt, ad Tuum quoque Apostolatum, mœrentis Ecclesiæ Lingonensis cernui referimus gemitus, semel quidem repressô dolorê consopitos, at nunc iteratô vulnerê erumpentes, eóque etiam maiori impetu profluentes, quò grauiori excutiuntur nuper inflicta læsione. Enimuerò haud

minima ipsi tunc contigit affici molestia, cùm filij secessionem à materno gremio meditabantur, Episcopalis, quo pollet ab ortu ferè solis iustitiæ, matricis decus, Sedis scilicet ius propriæ, Diuioni suæ ascribere annitentes. Nunc autem longè acerbiori concutitur dolore, cùm *Pater* ipse & *Dux virginitatis suæ* æmulorum fouet suorum conatus, atque, vt quam nouo molimine affectant, ex sacri honoris consortio, gloriam impertiatur, nouumque, ex proprię Ecclesię dispendio, sibimet concilíet, eminentioris Pontificij splendorem: secundariam in fundi meditullio ipsius Ecclesiæ Lingonensis Cathedram cupit constituere; Capellámque Diuionensem ad Pontificialis dignitatis fastigium efferendo, sed & matri, quam deprimit filiã æquiparando, scissuram non modò inferre tesseræ mysticæ vnitatis, sed binæ matricis vna in Diœcesi excitatione, bigamiam sacris proscriptam legibus inuehere videtur, noxiam, haud minùs, quam pudendam. Ignoscat vero BEATISSIME PATER S.T. deuotis supplicibus, si pietatis cõcussi stimulis querulas eiusmodi, vel inuiti in illum depromunt voces, quem, post Apostolicæ tuæ Majestatis apicem, primum suspicere & colere, ipsô pietatis officiô obstringuntur. Dignitatem enim quà ipsis Pater & Pastor est, eô quo par est honore venerari percupiunt; Personam quæ purissimis enitet moribus, doctrinæque & pietatis fulget eximiæ ornamentis, filiali semper vt amore prosequi, sic omnibus debitæ perdigno Antistiti reuerentiæ, percolere volunt obsequijs. At DEVS Opt. Max. non solùm Patrem honorari iubet: Matrem quo-

que filijs præcipit reuereri: cuius & gemitus illos monet esse memores, Ecclesi. 7. 29. & pressuræ, quà possunt, subleuatores, supernam si gratiam, ac benedictionem voluerint demereri. Quamobrem & Canonicæ sanctiones reos impietatis statuunt Sacerdotes Ecclesiæ alumnos, qui matri, cuius vberibus nutriuntur, opem non ferunt, cùm leui vel pulsatur iniuria, vel damno afficitur: adeòvt si Episcopus officij immemor, iacturam aliquam suę inferat Ecclesiæ, illos ex aduerso insurgere, obnitíque pro virili, decernant, communísque parentis patrocinium incunctanter assumere. Si secùs fecerint, desides diris subijciunt, perenni inustô dedecorê. A quo reatu & piaculo CAPITVLVM LINGONENSE vt semper abhorruit, sic numquam ab officio recessit suo, sed infracto semper obluctatum est animo, quoties Ecclesiæ causa intercessit, cuius dispendia semper, vt sunt, censuit propria detrimenta. Eáque in re illustre *vigoris Sacerdotalis* exemplum iam olim edidit, temporibus INNOCENTII III. Beatitatis tuæ, magni nominis, decessoris, ad quem de Episcopi tum sedentis incuria, nonnullorúmque antecedentium Præsulum, qui commodis creditæ sibi Ecclesiæ parum æqui fuerant desidia, expostulationem grauem ipsius Capituli alumni detulêre. Gratissimum verò habuisse hoc eorum pro communi parente studium, piumque in eius incolumitate procuranda zelum, Pontifex ipse, re & munere Maximus, affatim testatus est, iteratis rescriptis, quibus non modò Ecclesiæ cuius causam tuebantur, vtilitati, paterna prouidentia in posterum voluit esse prospe-

ctum; ſed religioſum eorundem in matrem affectum, ſtrenuúmque pro ipſius defenſione, ac rerum ſacrarum vindicatione, cónatum, impensè commendauit, iuſtíſque eorundem poſtulatis, deſideratum vltro impertiuit effectum. Sic enim inter cætera quæ ipſis inſcripſit ſacratiſſima diplomata, illud habet, quod pro iurium Eccleſiæ recuperatione, ad eos, digna Oecumenici Paſtoris affectus ſolicitudine, direxit. *Ad hoc ſumus diſponente Deo in plenitudinem poteſtatis aſſumpti, vt ſi quando ab his qui ſunt in partem ſollicitudinis euocati, in Eccleſiarum ſuarum diſpendium, quicquam perperam fuerit attentatum, per ſollicitudinis noſtræ ſtudium emendetur, & præcaueatur indemnitatibus earumdem. Cùm igitur ſicut vobis intimantibus noſtro eſt Apoſtolatui reſeratum, quod quædam poſſeſſiones Eccleſiæ veſtræ ab Epiſcopis qui pro tempore præfuerunt eidem, alienatæ ſunt, vobis penitus inconſultis. Nos eidem Eccleſiæ paterna volentes ſollicitudine prouidere, auctoritate vobis præſentium indulgemus, quatenus poſſeſſiones ipſius Eccleſiæ, quas ſine aſſenſu veſtro, alienare dicti Epiſcopi præſumpſerunt, ad ius & proprietatem illius legitimè reuocetis, &c.* Ex quo quidem Pontificio indulto, habent moderni Cathedratici Lingonenſes, quo queſtus ſui iuſtitiam probent, factumque hac in re ſuum, quod Maiorum nititur exemplo, Apoſtolicóque etiam oraculo commendatur, non modò aſtruant & tueantur, ſed vnde ipſius quam adoriuntur defenſionis, ſuæque huius expoſtulationis rationem deſumant ac ſeriem ordiantur. Nec enim abſimilis omnino eſt Pontificij interpellandi præſidij cauſa, quamquam eò etiam grauior videri poſſit queritandi ratio, quod Eccleſiæ non quidem poſſeſſiones di-

ſtrahuntur, ſed ipſe Eccleſiæ ſtatus funditus concutitur, forma immutatur, abſtrahitur honor, extenuatur poteſtas, decus & maieſtas penè extinguitur. Diſpertito ſiquidem myſtico Imperio, geminatâ vna in terminatione Paſtorali ſpeculâ, erectâ Diuione ſecundaria Cathedrâ Epiſcopali, fieri penitus nequit vt ſplendorem priſtinum Matrix Lingonenſis Eccleſia retineat, cui certe potiori exutæ decoro, ex æmulæ acceſſione, præter luctum perennémque conflictum, vix aliud quàm antiquæ dignitatis vmbra, & nominis Epiſcopalis larua poterit ſupereſſe. Id ſanè tunc ei eueniet quod dudum, lugens filiæ Sion deſolationem, intimis eructabat ſuſpirijs threnodus Propheta: *Occidiſſe nimirùm ſolem eius dum adhuc eſſet dies: haùd mirum ideò ſi defecerit anima eius, & ipſa vndiq; perfuſa ſit confuſione.* At ſolus es tu, ALME PATER, qui vt alter Ioſue agminum Dei exercituum, Princeps, Solem hunc excurrentem ad occaſum, radióſque iam ſubducentem ſuos, Epiſcopum ſcilicet, ſeceſſum, imò diuortium meditantem, gloriámque Pontificij decoris, ab hac in aliam transferentem, vnico potes vocis oraculo ſiſtere: iubens vt memor ſit deſponſationis ſuæ, initíque cum nobiliſſima *virgine Iſraël* ſacroſancti fœderis, quô dudum arcano Dei conſiliô eidem deuinctus, vnicè ipſi ac indiuulsè adhæſurum, religioſa ſeſe obteſtatione æterni numinis, obſtrinxit. Obediet equidem, nec enim Tuam, aliam quàm Chriſti ipſius vocem, cuius perſonam in terris ſuſtines, reputabit. Vtque myſticæ *currus ſimilitudinis gloriæ Domini*, quadrigæ, ad formam excurrebant *fulguris corruſcantis*, cæterum

vbi vox fiebat ſub firmamento, pennas ſummittebant ſuas; ſic audito poteſtatis tuæ imperio, tanta Maieſtate attonitus, ſtatim cõquieſcet, procliuéſque in diſſidium, cohibens greſſus, ad ſtationem, imò Sedem, qua excedere cogitat, non inuitè redibit. Et verò Epiſcopos Eccleſiarum, non ſolum lumina, ſed & columina eſſe diuinæ produnt paginæ: Petri autem ſucceſſorem, Epiſcoporum Principem, ipſum eſſe fundamentum docent Vniuerſalis Eccleſiæ, quod totam ædificij molem nonmodò ſua firmitudine ſuſtentat, ſed columnas ipſas, quibus omnis ſtructuræ nititur congeries, fulcit atque obfirmat. Hinc Petrus à Domino Cephæ ſortitus eſt cognomentum, quo non tantùm caput & Princeps, ſed & baſis Chriſtianæ reipublicæ, ac Eccleſiaſticæ Hierarchiæ fulcrum æquè ac faſtigium cenſeretur, *Cyrill l. 12. in Ioan. ca. 64. Opt. lib. 2. cont. Parm.* alterum ſiquidem ex altero conſequitur. Nam vt magnus inſinuat Gregorius (lib. 9. in Iob.) Βασιλεὺς Princeps dicitur quaſi Βάσις λαῦ: quòd populi ſit baſis & fulcimentum, ſic enim Petrus gregis ſummus Dominici moderator, baſis, petra ac fundamentum eſt Eccleſiæ; cui ideo redemptas non ſolùm oues ſalutari alimonia paſcere, ſed & domus Dei myſticas columnas, vî ſibi cœlitus inditâ fulcire datum fuit, cum à Domino iuſſus eſt *Fratres ſuos*, hoc eſt Epiſcopos, *confirmare*: ſacra vtique conteſſeratione connexos in fidei rectitudine corroborando, & proprio quemque ipſorum continendo, loco, gradu & munere. Quamobrem ſcitè S. Ambroſius docet, ſingulari diuinæ ſapientiæ arcano

factum esse, vt Petrus Ecclesiæ petra & fundamentum, claudum ad valuas templi prostratum erexerit: nec enim sine mysterio diuinus actuarius sacris apicibus consignauit, quod vbi *illius manum apprehendisset Petrus, alleuauerit eum, & protinùs consolidatæ sint bases eius.* Petrus enim (ait mellifluus Ambrosius) *Petra est super quam ædificatur Ecclesia. Ideóque sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmat, vt Christianus iam non trepidus & imbecillis, sed robustus & fortis possit super petram Ecclesiæ incedere.* Porrò nostrum non arguimus Antistitem, quasi debilis sit in fide, cuius religio & pietas explorata, Petri hoc est Tuæ firmitudini innixa, excelsa, recta, solidáque perstat, nitet, promicat in serie columnarum Ecclesiæ. At quod in affectibus nutet, duas in partes propensus, sicut dudum Iacob Patriarcha, qui fœcundæ Liæ fastidiens amplexus, speciosæ Rachel thalamos expetiuit, quam superinducens, in varios distractus animi motus, non tam lucta cum superno pugile defatigatus, quàm diuerso amore sauciatus, claudicauit. Sic planè Episcopus cæteroqui strenuus & fortis, nouæ sponsæ Diuionensis vtique Capellæ captus amoribus, nouis sibi eam nuptijs copulare peroptat, nobilissimæque coniugis Ecclesiæ Lingonensis thoro cupit adciscere, consortium ipsi honoris impertiens & amoris. Sed dum affectus dispertit, ipse se diuidit, & hinc inde distractus nec æquis nec rectis, potest incedere vestigijs. At ne impingat his diuersis cõcussus affectibus, Tuæ est, BEATISSIME PATER, sollicitudinis ac potẽtiæ prępedire: cui ex munere incũbit sanctuarij columnas

erigere, ſtabilire; *eoſque qui portant orbem* ne titubent, aut ipſa mole deprimantur, diuino tibi inſito robore (qui Eccleſiæ toto orbe diffuſæ baſis & fundamentum es) ſuſtentare, fulcire, obfirmare. Et hæc quidem digna adeo Apoſtolici Pontificis eſt gloria, vt Agatho beatitatis Tuæ ſanctiſſimus Anteceſſor, ſcriptis ad Patres 6 Synodi Oecumenicæ (quæ pleno in eo Eccleſiæ conſeſſu perlectæ fuerunt) literis, præcipuum pietatis decus ſibi deceſſoribúſque ſuis inde vindicârit. *Fidem* (inquit) *Petri, Dominus non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit. Quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores, confidenter feciſſe, ſemper eſt cognitum: quorum pediſſequum cupio exiſtere.* Tametſi enim hæc in fidei cauſa dixerit, haud dubium quin abſolutè intelligenda voluerit: cùm non modò in ſinceritate conſeruanda doctrinæ, ſed etiam in ſacræ politiæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſarciendo ordine, ſummi Pontificis occupetur, diuina ex inſtitutione, verenda ipſis Angelis, præfectura. Ad hoc enim eius *qui in omnibus primatum tenet*, vices in terris Romanus obit Pontifex, vt qui diuinæ ſit veritatis vindex, & hierarchicæ vnitatis vertex, fideles in vnum corpus Chriſti cruore ac ſpiritu coagulatos (ſicut ad Epiſcopos Galliæ dudum ſcribebat Zacharias Papa) *in vnitate fidei & vinculo pacis* contineat. Ideo in Euangelio vt legimus, Petrum vnicum vnicæ fidei profeſſorem, ſic vnicum à Chriſto deſignatum videmus, vniuerſi gregis fuiſſe Paſtorem. Pulchrè verò hoc myſterium S. Bernardus à ſe obſeruatum referat, vbi ait: alios quidem Præſules habere ſibi aſſignatos greges, ſingulis, ſingulos;

gulos; Petro autem eiusque successori omnes fuisse commissos vni vnum, qui non modò ouium, sed & Pastorum vnus sit omnium Pastor. At mirificè in scopum collimat nostrum quod paulòpost insinuat: Vnitatem in Petro fuisse à Domino consecratam, quam tamen ita perfectam ipse in se exhibeat, vt eam cæteri Præsules pro modulo repræsentent, qui Petro ipsi eiusque successori in salutis humanæ procuratione suffragantur. *Et certè*, inquit, *præsentes cæteri condiscipuli erant cùm committens omnes vni* (Ioan. 21.) *vnitatem omnibus commendaret: in vno grege & vno Pastore, secundùm illud, Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Inde est quod alij singuli singulas sortiti sunt plebes scientes Sacramentum. Denique Iacobus qui videbatur columna Ecclesiæ, vnica contentus est Hierosolyma* (cur non & Episcopus noster Lingona sua) *Petro vniuersitatem cedens. Hoc signum fuit singularis Pontificij Petri, per quod non NAVEM VNAM vt cæteri quisque suam, sed sæculum ipsum suscepit gubernandum. Mare enim sæculum, naues Ecclesiæ. Inde est quod Petrus gradiens instar Domini super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquæ multæ populi multi. Ita cùm quisque cæterorum nauem habeat suam, Petro commissa grandissima nauis facta ex omnibus, Ecclesia toto orbe diffusa.* Ex qua Theodidacti Patris doctrina intelligimus Sacramentum Vnitatis quo Christus Ecclesiam sibi desponsatam obsignauit, in eo situm esse, quod vnus, vt diù ante B. Cyprianus scripserat, sit *in Ecclesia Catholica Episcopus*, sic vnicè *summus* (subiunxit Petrus Blesensis) *vt singulariter generalis*; à quo vt à natiuo principio Catholicæ communionis, Sacerdotalis potestatis, Pastoralis

ſollicitudinis, Eccleſiaſtici ordinis vnitas oriatur; A quo, vt à corde ſingula membra vitam deſumunt, & vt ab eodem fonte diuerſi paſſim ſcaturiunt riuuli, in omnes myſtici corporis artus, actuum dimanet virtus, vigórque ſacræ compaginis vniuerſus proficiſcatur: in quo denique vt radij in ſolis centro, & diuerſæ ac variæ lineæ in Pyramidis cono, omnes Eccleſiaſticæ poteſtates vniantur. Eandem verò vnitatem, etſi ab hoc ſummo religionis Antiſtite Oecumenicóque Eccleſiæ Paſtore oriatur, abſolutéque in ipſo conſummetur, qui eius qui A eſt & Ω, imago eſt perfectiſſima: Nihilominus etiam in ſingulis figurari Epiſcopis, qui vnicum paſcunt ſibi aſſignatum gregem, vni populo præſunt, nauim vnam regunt, vnámque curant ac colunt Eccleſiam, ſibi ſacro myſtici connubij nexu copulatam. Et id quidem innuiſſe viſus eſt Tertullianus vbi docet particulares *Omnes Eccleſias eſſe vnas, dum omnes vnam tenent vnitatem.* Quandoquidem ſicut Catholicæ ſunt, dum vni Matrici inhæreſcunt omnes: ſic vnæ etiam fiunt, dum vnitatem in vno grege & vno Paſtore expreſſam referunt, ipſóque myſtico ordine quo conſiſtunt, & vnitatis quo cœlitus inſignitæ ſunt, charactere ſacratiſſimo profitentur. Hoc autem ex Theologico ſyntagmate ſacræ eliciunt ſanctiones, Eccleſiam duobus Epiſcopis, vti neque ſponſam duobus viris ſubijci minimè oportere. Quam ad rem appoſitè facit, quod Iuo Carnotenſis Canonum periſſimus concinnator, pridem ſcribens ad Gilbertum Rothomagenſem Archipræſulem, & eius cognominem Ebroicenſem Epiſcopum,

ad ſummum vt referrent Pontificem, ſuggerebat. *Cùm in ipſa infantia mundi in Lameth carnalis bigamia ſit culpata, quomodo poterit in ſponſa Chriſti quæ eſt Eccleſia, laudari, quæ & Sacramento & veritate, vni debet viro deſponſari?* Epiſt. 153. ſiquidem à Canonum veterum conditoribus, deceſſoribus vtique tuis ſapientiſſimis atque ſanctiſſimis, Eccleſia appellatur *Vxor Epiſcopi c. Sicut 7. qu. 1.* imò & Parœcia, *ſponſa Presbyteri c. ſicut vnaquæque*, c. 21. qu. 3. vbi ſancitur Eccleſiam *non poſſe diuidi inter duos Sacerdotes, quia ſcortum non eſſe decet, quæ ſponſa eſt Domini.* Quamobrem inuehitur prælibatus Iuo in Sacerdotem, qui ſuam cùm repudiaſſet Eccleſiam, ipſam recuperare tentabat alterô viuente qui eidem Eccleſiæ legitimè fuerat incardinatus: à quo conamine aſtruit omnino eſſe repellendum, ne caſtæ cubile *ſponſæ aſcendat, & viuente fratre vxorem eius adulterare præſumat*, epiſt. 131. At Sozomenus lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 15. damnatæ in Eccleſia eiuſmodi pluralitatis longè illuſtrius exemplum enarrat. Cùm enim Arriani fidem Eccleſiæ Romanæ, ipſo adamante firmiorem labefactare nequiuiſſent, doloſa machinatione adniſi ſunt illius vnitatem proſcindere. Perſuaſerunt Conſtanti Imperatori Arriano Sedem Apoſtolicam duobus ſimul Pontificibus mancipare *communi*, vt aiebant, *Sacerdotio gubernandam.* Verùm DEVS Opt. Max. qui Eccleſiæ ſuæ ſaluti perenniter inuigilat, ne Matricis Eccleſię vnitas hac ſubdola arte ſolueretur, & biceps ipſa omnium Princeps Eccleſia redderetur, mirabili prouidentiæ ſuæ conſilio effecit. Felicem enim, qui viuente Liberio ſubrogatus fuerat, eô redeunte auctum etiam

purpurato diademate, ad ſuperna euocauit, ſicque factum vt ſolus in Petri throno ſederet Liberius Pontifex. *Poſtquam* (inquit Hiſtoriographus) *Felix modicum tempus ſuperuixiſſet : ſolus Liberius Eccleſiæ præſidebat, quod ad hunc modum diuinitus diſponebatur, ne Sedes Petri dehoneſtaretur ſi à duobus gubernaretur Rectoribus, id quod diſsidij ſymbolum eſt, & ab Eccleſiaſtica lege alienum.* Hæc ille. Aliud etiam inſigne narrat de proſcripto in Eccleſia Alexandrina bini Epiſcopi conſeſſu S. Epiphanius hæreſ. 68. Et in Antiochena S. Greg. Niſſ. epiſt. ad Olimp. de obitu Macr. necnon veteres hiſtorici Eccleſiaſtici, Socrates lib. 5. c. 5. & Theodoret. lib. 7. c. 3. Ex quorum inſinuatione planum fit atque perſpicuum, quòd ſicut Eccleſia duobus nequit Præſulibus deſponſari. Concil. Nicen. apud Ruf. lib. 1. c. 6. *Vnde cap. quoniam de off. Iud. ordin. lib.1. Decret. tit.* 31. ita nec Epiſcopus poſſit duabus Eccleſiis myſtico nexu copulari. Bigamum certè ordinari Epiſcopum Apoſtolus Dei ſpiritu plenus abſolutè prohibuit, ſed Monogamum omninò eſſe, & voluit & docuit. *Oportet*, ait, *Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum. Si* (infit Ambroſius, lib. de dignit. Sacerdot. c. 5. tom. 4.) *ad ſuperficiem tantùm litteræ reſpiciamus, prohibet bigamum Epiſcopum ordinari : ſi verò ad altiorem ſenſum conſcendimus* INHIBET EPISCOPVM DVAS VSVRPARE ECCLESIAS. Porrò hac ex norma, ſublimi hoc ſenſu intellecta, iam ab Eccleſiæ crepundiis fuit, ſolemni, Pontificis pro Chriſti gloria laureati, oraculo declaratum, æternáque ſanctione decretum, ita vnicæ Eccleſiæ ſibi deſponſatæ debere Epiſcopum adhærere, vt ſi poſt inita

ſacræ coniugationis commercia aliam ſuperinduxerit adulterij ſe nouerit incurriſſe reatum. Sic refert Burchardus Vormacienſis Epiſcopus lib. 1. c. 70. Decret. à ſe ex ſummorum Pontificum edictis, Conciliorúmque Canonibus ac ſanctorum Patrum ſententiis ante annos 600. collectorum. Ex ipſo autem Apoſtolico documento, imò Eccleſiaſticæ Hierarchiæ fundamento, quòd *inter Epiſcopum & Eccleſiam myſtici connubij oporteat ius intemeratum permanere*; permulti ſubinde Canones à ſummis Pontificibus ac Synodis editi prodierunt (hoc in libro ſolerti indagine congeſti) quibus diſtrictè prorsùs vetitum eſt, Epiſcopum duas ſimul Eccleſias Matrices ſibi ſubigere, quamquam pari amore ambas aueat complecti, alterníſque ſpondeat vtrámque Paſtoralis curæ ſe fouere præſidiis. Si quis verò id præſumpſerit, hunc ſacræ denuntiant leges, Eccleſiaſtici temeratorem pudoris, atque vt ſcandali ſatorem, diſſidij auctorem, Canonicis fore decernunt vindictis obnoxium. Refert equidem Luitprandus, qui ex Diacono Ticinenſi (vnde ſortitus eſt cognomentum) fuit tandem Epiſcopus Cremonenſis lib. rerum inſignium ſuo tempore in Europa geſtarum, Manaſſem Arelatenſem Archiepiſcopum primum in Occidente viſum eſſe, qui pluribus ſimul niſus ſit Cathedris Pontificalibus præſidere. Quo ſtupendo molimine cùm Hugonis Italiæ regis fauore plures ſibi reipſa Sedes mancipaſſet, obiurgatus vndique à ſacris Proceribus ambitum ſuum Petri exemplo tutari haud veritus eſt. Quod enim Petrus Antiochenæ ac Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe legatur, hinc ſibi lice-

re astruebat, duobus itidem aut pluribus Ecclesiasticis soliis insidere. At dolosè Apostolorum Principis exemplum explendæ cupiditati suæ prętexebat, cùm constet nonnisi successiuè Antiochiæ & Romæ sanctum Archiapostolum Cathedram Pontificiam tenuisse. Insuper & Petri ipsius, qui Christi Vicarius erat, hoc fuisse priuilegium, vt Sedem quolibet loco posset suam constituere, nec enim duabus duntaxat Ecclesiis præsidere, sed omnibus, cœlesti eidem fuerat munere concessum, ipsomet quo inter Apostolos præeminebat, sacræ potestatis apicis, Pastorísque œcumenici ordinarij iure ac honore: vnde & suprà insinuatum est ex sancti Bernardi, Lingonensis Ecclesiæ præclari alumni ac vindicis, doctrina, Apostolos propriam quemque habuisse nauem, cùm Petrus non vnam sed omnes regendas, *ipsumque sæculum suscepisset gubernandum.* Ideò Iacobum *sola Hierosolyma contentum*, Petro vniuersitatem cessisse, vnitatis profitendo Sacramentum. Atque ea demùm ratione singulis Episcopis, singulos fuisse assignatos greges, propriásque vnicuíque Ecclesias; à qua vnitatis forma, non liceat absque grauis reatus piaculo eos recedere: sic enim instar numerorum fore, qui quò remotiores ab vnitate fiunt, perfectionem noscuntur exuere, parere diuisionem. Eáque est causa cur sacrosanctum Concilium Tridentinum antiqua Oecumenicarum instituta Synodorum renouans, inuiolabili decreto sanciuerit, ne quis Præsul duas Cathedrales Ecclesias sibi vendicet, aut quouis obducto colore possideat. *Nemo, quacunque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgeat,*

plures Metropolitanas ſeu Cathedrales Eccleſias in titulum ſiue commendam, aut alio quouis nomine contra ſacrorum Canonum inſtituta recipere & ſimul retinere præſumat, ſeſſ. 7. c. 2. Eſt fortaſſe quod excipiat Reuerendiſſimus noſter Epiſcopus, vt ſuppoſitâ huic decreto ſeſe eximat interminatione, duos Epiſcopatus ſe minimè agglutinare, quem ambitum diſertè Concilium damnat: ſed vnâ eadémque in Diœceſi duas duntaxat Cathedras Epiſcopales ſeſe eniti comparare, quò facilius creditæ Diœceſis commodo, bina Paſtorali ſpecula ſubuectus proſpicere queat. Verùm hoc ipſum magis Sacramento vnitatis repugnat. Enimuerò ſi ne Eccleſia (quæ vna ſemper eſſe & apparere debet,) diſciſſa aut biceps videatur, Canonibus interdictum eſt, Matrices duas Eccleſias vnius in Parœciæ finibus conſtitui, *can. plures 16. qu. 1. & 13. qu. 1. c. Eccleſias*, maiori vtique ratione vetitum eſt, duas vna in terminatione excitare Eccleſias Cathedrales, quarum certè tantò eminentiùs elucere debet ſingularitas, quantò perfectiùs Eccleſiæ vniuerſalis, cuius typum in ſuis quæque finibus perferunt, ſacroſanctam decet eas vnitatem ſua forma exprimere. Porrò ipſa Eccleſiæ vnitas magis ex binæ Cathedræ vna in terminatione excitatione ſolueretur, quàm ex diſtinctorum duorum Epiſcopatuum, ab vno Prælato ambitioſa vendicatione. Si quidem etſi duos Epiſcopatus Præſul quiſpiam vſurparet, vtráque nihilominus Eccleſia in ſe permaneret vna. Quamquam enim Epiſcopus ſignificationem vnitatis in ſe violaret, vnitas tamen ipſa in Eccleſiæ cuiúſque indiuiduo corpore, vt in radice ac centro ſuo ſubſiſteret in-

concussa. At geminatâ vna in Diœcesi Cathedra Episcopali, vnitas ipsa penitus dissolueretur & periret: quandoquidem tunc diuisum foret ipsum Ecclesiæ corpus, dissecta duas in partes mysticæ prolis matrice, quæ equidem bina fieri nequit, nisi vna esse desierit. Is igitur qui nunc ab æmulis intentatur dissectionis Ecclesiæ matris nostræ conatus, lamenta Prophetæ nobis in mentem reuocat, laxatis luctui habenis, dolendam populi sui vicem, atque imminentem Ammonitarum feritate, patriæ suæ cladem deplorantis, *qui dissecuerant prægnantes Galaad, ad terminum suum dilatandum.* Amos 1. 13. quoniam discissis fidelis plebis matricibus, nihil aliud supererat, quàm vt gens tota, quæ ampliùs propagari non poterat, succisa funesto excidio, interiret. Nec enim minori luctu sors esset prosequenda Ecclesiæ Lingonensis, quæ superno hactenus munere eximiâ fœcunditate ditata, pretiosa tot germina pridem cœlo extulit, sobolémque adhuc copiosam Christo in dies progenerat: hanc enim prægnantem si Diuionenses semel dissecuerint, ad terminum suum eius ex discidio dilatandum, nihil inde expectari potest, quàm vt concisâ matrice pessundetur fœtus: vel ipsa mater miserè dilacerata extremos exhalet spiritus, nec enim superstes esse poterit duas in partes dissecta. At idem ipsi accidet quod speciosæ Rebeccæ, quæ desiderio feruens procreandæ sobolis, binos in vtero paruulos voto potita concepit: sed infausto prorsus omine, & haud magis prospero successu. *Collidebantur enim in vtero eius paruuli*, seu vt S. Hieronymus legit, *calcitrabant, & velut palestritæ colluctabantur.*

tur, quo conflictu mater perterrita, ſatius ſibi dicebat fuiſſe non concipere, quàm tanta periclitatione, parentis nomen conſequi. *Si ſic mihi futurum erat*, (aiebat mœrore confecta,) *quid neceſſe fuit concipere?* Nempe idem vterus duos populos (hos enim paruuli duo præſignabant) non poterat ſine lucta & concuſſione, quæ matrem ipſam graue in diſcrimen conijceret, ſua intra ſepta concludere. Et Eccleſia quidem Lingonenſis, æterni verbi conceptô ſemine, vberem fidelium ſobolem hactenus progenuit, quantúmque fuerit fœtus onere grauida, nullas tamen vnquam perpeſſa eſt viſcerum torſiones: quia nimirùm vno vnius vteri vtriculo myſtica concepta proles, quietè ſeſe intra maternos continuit ſinus. Vt enim vna in Diœceſi vna hactenus fuit Matrix Eccleſia; ſic vnus populus, vnus Epiſcopus, grex vnus, Paſtor vnus. Denique quemadmodum vnius vxoris vir extitit vnus, ſic vnius viri ſponſa fuit prorsùs vnica. Vnde non mirum ſi materna viſcera nulla concuſſerit huc vſque myſtici fœtus commotio: nec prolis vlla concertatio piam torminibus parentem vexauerit. Cæterùm ſi quod nupero conamine pertentatur, fauſtæ adeò vnionis dirimatur connexio, ſacratiſſimæque vnitatis teſſera diſſoluatur; ſi Matricis vnicæ geminetur vtriculus, duáſque in diuerſas claſſes fœtus diuidatur; non dubium quin acer inter diſcretam exurget prolem conflictus, perennis colluctatio ex iugi æmulatione ſuborietur, quæ funeſtos tota in Diœceſi euentus excitabit, Hierarchiámque Lingonenſem, quæ hactenus in Gallia miro decore reſplenduit, non perturbabit

modò, sed pessundabit vniuersam, atque etiamnum florentissimam Ecclesiam enecabit. HIS ERGO IN ANGVSTIIS POSITA, exitio proxima, adiutricem dexteram tuam BEATISSIME PATER, supplex ac humilis filia implorat, illachrymánsque deprecatur, vt sibi impendentem ex adeò infausta sectione ocyùs depellas cladem, Apostolica tua opitulatione. Ecclesias nauibus designari, magnus Augustinus ex diuinis litteris insinuat, conc. 4. in 3. p. Psal. 103. Mysticas has inter rates procellosum huius sæculi Pelagus ipsa Lingonensis Ecclesia sulcat, sed turbinoso discrimine cæteras inter impetita, ruinam minatur. Fluctibus enim stupendis agitata tenuis hæc nauicula, si findatur his motibus, propè est, inter marinos elisa tantæ amaritudinis vortices, exitialem iacturam perpessura. Clamamus igitur ad Te Christi vnicum Vicarium, vt olim ad Christum ipsum Dominum graui iactati procella discipuli: *Salua nos Domine perimus*, imò iam omninò perijssemus, nisi nominis ac numinis tui opportuna interpellatio, erumpentes in nostram perniciem impetus, frementésque motus, intentas nimirùm infelicis dissectionis molitiones retardasset. Gallicanæ quidem labanti quondam Ecclesiæ, Fulbertus Episcopus Carnotensis sanctissimus (quem Mater gratiæ, diutina ægritudine tabescentem, infuso in labra purissimo mamillarum lacte, cœlesti prorsùs solatio recreauit (*Guil. Malinesb. lib. 3. de gest. Angl.*) dilapsa ne corrueret, opem exoptabat veterum Galliæ luminum ac columinum; Fortitudinem videlicet Dionysij, Pietatem Martini: at

maxime zelum Hilarij, qui ſolebat, ait, *vnitatem Eccleſiæ gladio Spiritus ſancti tueri*, Epiſt. 21. At Lingonenſi Eccleſiæ graui concuſſione quaſſatæ ac titubanti, quamquam Tutelarium ſuorum patrocinia opitulari non dubitemus, Benigni protoparentis fortitudinem, Tergeminorum zelum, Mamantis conſtantiam, Deſiderij ac Valerij charitatem, Vrbani cognominis tui ac Gregorij vigilantiam, Sequani & Ceolfridi iuſtitiam, Bernardi ſanctitatem, Paſchaſiæ robur, Floridæ & Marthæ pietatem ac puritatem, totque aliorum cœleſtium ſiderum, ſuorum olim germinum, ſalutarem influxum adeſſe ei haud diffidamus: Petri inſuper (quem *primum* (vt inſcribit idem Hilarius, in Pſal. 131.) *filij Dei confeſſorem, cæleſtis regni ianitorem, cælique in terra iudicem*, ac Eccleſiæ Principum apicem, ſolum inter Apoſtolos gladium geſtaſſe & vibraſſe, æterni in fœderis tabulis legimus) præſidium imploramus, cuius Paſtorali clientelæ oues Chriſti omnes commiſſæ, Eccleſiæ vniuerſæ creditæ ſunt; quatenus vnitatis, cuius ſummus eſt vertex, perpetuum quoque ſe, per te, qui fidem eius & ſedem tenes, præſtans aſſertorem, ſciſſuram qua impetitur Eccleſia Lingonenſis, (portio equidem Chriſti hæreditatis, quam colendam & ſeruandam ſuſcepit, haud ignobilis) opportuno velit ſubſidio amoliri. Falcem ſuccidentem gladio columbæ cohibendam Ieremias Propheta vaticinatur, cuius iram etiam innuit leonibus formidandam, c. 26. 38. & 50. 16. Mira prorſus at minimè dira interminatio! nam felle columba cùm careat, totáque ad manſuetudinem compoſita ſit, nec roſtro nec vngui-

bus pugnax, ſed vt candore niueo nitida, ſpecioſa, ſic puro amore flagrans, tota pacifica, beneuola, mitis, amabilis: capere vix poſſumus quos iræ ſtimulos in leones prædæ inhiantes exerere, quem gladium ad falcem diuidentem, retundendam aut auerruncandam ſtringere, intorquere poſſit. Verùm iram columbæ non aliam quàm Dei eſſe, Propheta ibidem indigitat. *Clamate* (inquit) *à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Vnde etiam palam eſt columbinum gladium eumdem eſſe ac diuinum. Enimuerò & ipſis in ſacris codicillis, columbæ formam Deus amoris legitur ſpecietenus aſſumpſiſſe. At ne columba inermis putaretur, ſtipatum ſe demum prodidit mortalium aſpectibus, ignitis ſpiculis, ſicque quaſi gladio flammeo accinctum. Rei tantæ myſterium ſolerter attigit & mirificè explanauitglorioſus deceſſor tuus Gregorius, in diuinis illis quos in Ezechielem exarauit commentarijs, vbi ait: Spiritum ſanctum in columba & in igne apparuiſſe, vt myſticis his ſymbolis duplicem oſtenderet, quem emanans *à Sede Dei & Agni*, in Eccleſia operatur diuinæ ſuæ diſpenſationis effectum. In columba videlicet quæ fellis omnis eſt expers, amoris manſuetudinem: in igne qui puritatis eſt artifex, zelum Iuſtitiæ ſignificans, quos actus & affectus perpetuò æmulari, præcipuum temporalis ſuæ emanationis adminiſtrum, Petrum ſcilicet eiuſque ſucceſſores, edoceret. Hinc cùm Chriſtus Dominus primarios Apoſtolos ſuos ad terrorem incutiendum, *tonitrui filios* nuncupaſſet: Petrum omnium principem, eáque de cauſa ab ipſo vocitatum Cepham, colum-

bæ filium appellauit. *Ex confeßione* (infit S. Hieronymus) *sortitus est vocabulum, quod reuelationem ex Spiritu sancto habeat, cuius & filius appellandus sit: siquidem Bariona in nostra lingua sonat filius columbæ*, lib. 3. in Matth. c. 16. Et reuera Petro filij columbæ denominatio congruebat, non ob confessionem modò præclarissimam, qua, Spiritus sancti inspiratione afflatus, Vnigenitum Dei filium verbum Patri coæternum, factum hominem diuina prorsùs mente cognouit ac inuiolabili tremendóque prorsùs ipsis inferis præconio, gloriosè professus est: sed etiam ob munus sibi à Domino creditum, qui dum etiam eum, *amoris sui* (vt notat S. Ambrosius lib. 10. in Luc. c. 24) *Vicarium constituit*, ipsum quasi secundarium Ecclesiæ suæ effecit ac reliquit Paraclетum. Quod probè cùm callerent Patres VIII. Synodi generalis, solenni iudicio Romanum Pontificem Christi summum Vicarium, Petri Apostolorum Principis successorem religiosè aduenerantes, colendum docuerunt proprium veluti *Spiritus sancti instrumentum*. Act. 10. c. 2. hoc est indiuiduum in terris cooperarium, ac fidum administrum generalémq; Vicarium. Eo nimirùm obtentu, quod Christianæ veritatis & Ecclesiasticæ vnitatis, quarum Spiritus sanctus auctor est, summus ipse Pontifex perpes sit pro eo apud homines vindex ac præcipuus assertor, qui non modò suprema dignitate suffultus, sed & gladio Spiritus accinctus, ignéque amoris succensus, pacis cultu & zelo Iustitiæ, regnum Christi in terris sub ipso visibili capite coadunatum, totus eam in rem intentus, piè foueat, potenter seruet, ac prudenter moderetur.

Gladium igitur pro ſceptro geſtat, non ferreum, ſed flammeum, cuius ſplendore veritatem propugnet, cuius ardore Eccleſiæ vnitatem aſtruat, cuius acie, non ſciſſuram incutiat; ſed omnem ab ipſo myſtico Chriſti corpore diuiſionem amputet aut cohibeat: cuius denique verſatili agitatione, parilem in omnes affectum pietatis, perenni amoris incitatione, & curæ cùm generalis in vniuerſum corpus, tùm ſpecialis in quoduis ſacræ illius compaginis membrum, perpetuo munere, exhibeat. Id cùm apud ſe ſollicita penſitatione verſaret Leo magnus, diuini memor officij, hæc ſcribebat ad Epiſcopos Siciliæ. *Diuinis præceptis & Apoſtolicis incitamur, vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu, ac ſi quid vſpiam reprehenſioni inueniatur obnoxium celeri ſollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præſumptionis vſurpatione vindicemus.* Pijs nimirùm vindicijs, quales Lingonenſis Eccleſia in graui ſui ſtatus poſita diſcrimine, abs Te BEATISSIME PATER ſupplex & gemebunda depoſcit. Caret felle ira columbæ, columbæ (inquam) illius ſupernæ, cuius Petrus dictus eſt filius. Huius ſiquidem gladius, qui totus igneus eſt, puro micat amore pacis & zelo Iuſtitiæ. Vtrúmque igitur à Te ſupremo Chriſti Vicario, fideli Spiritus ſancti cooperario, Petri Apoſtolorum & *ſummi feruentiſſimi*, vt ait S. Ambroſius, ſucceſſore; *altero* diebus noſtris ſicut Patres prælaudati 8. Synodi Oecumenicæ, Nicolaum I. deceſſorem tuum eximium, ipſo in actorum limine nuncupabant, *Elia Zelote (quem in Horeb iudicia defenſionis audientem, venturum demùm ad Dei iracundiam leniendam, conciliandum cor parentum in fi-*

lios, tribúsque Iacob discissas restaurandas sacra innuunt oracula. Eccles. 48. 7. 10. quæ ob cœlitùs demandatum totius Christi ouilis, Pastoralis præfecturæ munus, eadem quæ Eliæ: (quem sanè in te cernimus *iam venisse*:) Tibi quoque ferenda produnt orbis subleuandi onera, subsidia, solatia:) Obnixè quidem ipsa mœrens Ecclesia, vt à Patre optimo filia, & ouis à Pastore, petit, instanter efflagitat, ac fiducialiter expectat. Si enim corporis Ecclesiæ membra ob inuiolabilis nexum compaginis, & ius sacræ contesserationis, pro mutua debent esse incolumitate sollicita, quoniam vnius Ecclesiæ iniuria & iactura in cæterarum omnium redundat dispendium: Magis certè decet caput, hoc ipsum agere, quod vniuerso corpori, situ ac statu ita præeminet, vt sicut ex communi membrorum honore proprium recipit decus, sic ex cuiusque membri læsione damnum patiatur, & ex eiusdem opprobrio suæ quoque gloriæ incurrat detrimentum. Id verò est quod dudum Petrus Blesensis scribens in persona Rotrodi Metropolitæ de Ecclesiæ suæ Rotomagensis multiplici pressura conquerentis ad Guilelmum Sedis Apostolicæ in Gallia legatum, quasi ipsis Apostolicis auribus scitè ac reuerenter ingerebat. *Si ad memoriam* (ait) *reducantur Ecclesiæ nascentis exordia, sicut inter credentes erat vnitas in fide, in spiritu, in baptismo: sic in vnum facultatibus contributis vnum erat omnibus votum releuare pauperum indigentias, & omnium necessitates tanquam proprias reputare, vna siquidem & indiuisa est Christi tunica: Nec vnquam diuortium passa est sponsa Christi, nec contumelias pelicis alienæ sustinuit, cuius vnitatem sponsus in Canticis attestatur dicens: vna est columba*

dilecta mea. Noluit eam numerosa pluralitate censeri: licet enim sint plures Ecclesiæ: sic tamen in vnius compagem corporis vniuntur, vt sicut vnius membri læsione membra corporis omnia quodam compaßionis participio molestantur: sic vnius Ecclesiæ desolatio in communem gemitum conuertatur. Cùm itaque in vinculo charitatis singularitas locum non habeat, sed in dispendium commune redundet quicquid toleratur à singulis: quia ex præsenti discordia Ecclesiæ Rothomagensi videmus imminere ruinam, ad vestram gratiam deuolamus, in cuius consilio & auxilio potißimam suæ salutis anchoram B. Petri nauicula constituit, &c. Si ergo ad præfatam Ecclesiæ vnitatem respicitis, vestrum est auertere quod timemus, &c. Nec enim imminentis ruinæ dispendium Ecclesia R. declinabit, nisi vestræ celsitudinis ope & auxilio fulciatur. Iisdem penè vocibus & nos in præsenti matris nostræ Ecclesiæ Lingonensis discrimine, non equidem Legati Apostolici opem, sed Apostolici ipsius Pontificis, Tuum vtique, BEATISSIME PATER, præsidium, sacris vestigijs prouoluti imploramus, profusísque lachrymis deprecamur, vt diro adeò turbine exagitatæ & collabenti opitulationis tuæ subsidium quamprimum impertias, potenti dextra qua ipsum quoque sustentas orbem, fulcias ac tuearis, atque summæ auctoritatis patrocinio digneris aduersus scissuræ dispendium, imò quod ceruici impendet excidium communire. Interest capitis membrorum incolumitatibus prouidere, decet Patrem, mœrentem filiam in tribulatione consolari. Ecclesia Lingonensis speciali obstricta adoptionis nexu, se Romanę, cuius sponsus es, Ecclesiæ, filiam esse imprimis gloriatur; Teque communem generis humani parentem, Dei viuentis Vicarium, sanctissimum

ſanctiſſimum orbis terrarum Antiſtitem, ſupremum Eccleſiæ Præſidem, Paſtorem, Pontificem, ſuum vti Patrem ac Protectorem ſingularem agnoſcit, ſuſpicit, veneratur, hocque nomine per miſericordiæ Dei viſcera, quem primitùs in te adorat, obteſtatur, vt paterni ſibi amoris dimidia ne ſcindatur, impendas ſolatia, Paſtoralis conferas ſollicitudinis ſubſidia, Apoſtolicæ tutelæ præſidia largiaris. Imò non pietatem duntaxat tuam, ſed iuſtitiam quoque enixè interpellat. Tuum enim (quemadmodum dudum opiferam dextram Innocentij I. inuocans, ſcribebat magnus Chryſoſtomus) *incorruptum intemeratúmque iudicium*, hac in cauſa, qua de ſtatu vel ruina ſua decernitur, ſubire non renuit, quin vehementer exoptat, velutque olim Anna æmulæ laceſſita iniurijs, ad Heli ſummi Sacerdotis pedes intenſo dolore correpta, perfusáque lachrymis corruit: ita ad infimos Solij tui Apoſtolici gradus ſe ſternens, humiliter deiecta procumbit, imoque trahens è pectore ſuſpiria, tuæ Pontificiæ Majeſtatis ſupplex auxilia depoſcit: quæ equidem tantò firmiori fiducia efflagitat, quantò ſe maiori credit iuſtitia, hac in cauſa ſubnixam. Cæterùm quia illam nequit coram aſtruere, anguſtiáque & gemitu præpedita ius ſuum voce nec promere, nec perſequi poteſt, ſcripto neceſſe duxit, cauſæ ſuæ propalare atque aſſerere æquitatem. Hunc ideò librum à viro Eccleſiaſticæ pacis ac vnitatis ſtudioſiſſimo, tibíque ſummo ipſius vnitatis vertici, vindici, veriſſimo Chriſti Ieſu Vicario, ac Sedi tuæ ſacroſanctæ adictiſſimo, concinnatum; calamo, orthodoxæ doctrinæ li-

quore tincto, exaratum, raráque refertum eruditione, verendis offert Beatitudinis tuæ obtutibus, in deuoti animi pignus perenne, necnon necessariæ defensionis suæ, copiosum perspicuúmque monimentum. Ferunt ex Indijs, qui Pedalij dudùm vocati sunt, nihil ferè in sacrificijs aliud à Superis solitos fuisse exposcere, quàm Iustitiam, arbitratos, omnium planè compotes se futuros, si eam modò vnã fuissent assecuti. Porrò haud aliud quàm Iustitiam liber iste prędicat. Quodq; iustum, id vnum est, quod opusculi ipsius consecratione Apostolico culmini tuo ascripta, Lingonensis Ecclesia supplex à Te SVMME PATER, exigit ac postulat. Illæsam enim se duntaxat, seruari petit. Id solum si ab æquitate tua impetrarit, omniũ profectò votorum cumulum, hoc ipso beneficio sese reputabit consecutam. Sedes Apostolica (scribit Innocentius III.) *Iustitiæ Sedes est*, ipséque qui ei præest Pontifex, Principis pacis ac Regis Iustitiæ triumphantis Vicariam in terris personam gerit: quem ideò sanctus Bernardus datum docet fuisse mortalibus, vt *forma esset* ipsa *Iustitiæ*, lib. 4. de consid. c. vlt. Quo documento ad dictum Lactantij visus est respexisse, Ethnicos sugillantis, quòd Deam Iustitiam fingerent, quam etiam de cœlo in solum cuperent detrahere. *Quid verbis* (infit) *inanem Iustitiam depingitis, & optatis cadere de cœlo, tanquam in aliquo simulachro figuratam? Ecce in conspectu vestro est, eam si potestis suscipite, lib. 5. c. 8. diuinarum Inst.* Etenim, vt insinuat Bernardus, mirabili prouidentiæ suæ arcano effecit Deus, vt viuam in terris homines penes se haberent Iustitiæ formam, Christi Vicarium, Petri

licæ tuæ sublimitatis gloriam solo subsidio, at secura fiducia nitimur, quæ vnica fuit ratio, cur potenti aggressione impetiti, nullos magnates ambierimus, quos apud T.S. suffragatores votorum piorum interponeremus. Nempe benè nouimus iustitiam & iudicium sedis Tuę pręparationem esse, vultum tuum non *respicere potestates*, sed solas *videre æquitates*, ideóque à facie tua, nonnisi rectum posse iudicium prodire. Et iam quidem è Sede tua personuit, ore sanctissimi Antecessoris tui enuntiatum (quo spes nobis, non mediocris, optati euentus affulgeat) insigne præiudicium. Cùm enim tempore sancti Gregorij, Cassiopi castri in Sicilia incolæ, è gremio Corcyretanæ Ecclesiæ (quemadmodum nunc Diuionenses è sinu Lingonensis) se subducere occepissent, haud passus est sapientissimus Pontifex, hanc secessionem perperam tentatam procedere: sed authentica sanctione edixit Cassiopi vt castrum sub iurisdictione Ecclesiæ (à qua ferè hoc nouello conatu diuulsum fuerat) prout semper extiterat, permaneret; *ipsa verò Ecclesia iuris vel priuilegij sui in qualibet parte præiudiciū non incurreret:* quoniam ea quæ expetebatur subtractio, *contra Canonum*, inquit, *statuta, contra Ecclesiasticam ordinationem, & Sacerdotalem modestiam inchoata, ad generanda dispendia non solùm esset noxia, verùm etiam paci Ecclesiæ contraria videretur.* Quamobrem Bonifacio Diacono, Apocrysiario Apostolico dedit in mādatis, sic apud Imperatorem Constantinopoli agere, vt cum illius iussione, ipsa illìc transmitteretur, Apostolicæ Sedis *obseruanda sententia*, quæ ita illicitos compesceret conatus: *vt* (subdit) *nec modò voluntas eorum qui*


peruerſa moliuntur, aliquid contra antiquum Eccleſiaſticæ conſuetudinis ſtatū obtineat, nec poſt ad exemplum res nefanda proficiat, li.12.ind.7.epiſt.2.& 3. Ita S. Gregorius in perſimili ferè diſſidio iudicauit, quem, (*Sole præclariores* eius apices, excelſæ mentis indices; *pretioſioréſque auro obryzo ſermones demiratus.*) Honorius Auguſtodunenſis inſigni ac congruenti elogio, ORGANVM SPIRITVS SANCTI (qui ſæpe, ſub columbæ ſpecie, ſua illi arcana inſpirare viſus eſt) appellauit. Porrò in Te BEATISSIME PATER, cùm rediuiuum Gregorium magnum, imò maximum habeamus, cuius cum ſolio & pallio duplicem conſecutus es ſpiritum Apoſtolicum & diuinum: idem oraculum pro Eccleſiæ Lingonenſis ſtatu incolumi ac perpetua integritate, aduerſus ſciſſuræ ipſius appetitorum ambitus, ore tuo ſacratiſſimo (ex quo prodire ſolent, ſacri vt habent Canones 11. qu. 3. c. 10. *Spiritus ſancti indicia*) prolatum iri ſperamus atque confidimus. Quin & vt quantòcyus, iuſtum adeò iudicium, è pectoris Apoſtolici ſacrario depromas, omni qua poſſumus deuotę mentis inſtantia ſupplicamus; adeóque deſideratum vt pręſtes afflictę filię ſolatium, Te per ipſam ſacram Apoſtolatus coronam precamur, obteſtamur. Digna profectò hæc fuerit tua magnitudine gloria, quam nulla futuris ſæculis delere poterit obliuio, Te non modò Solem ne perniciori decurſu occaſum petat, ſimplici nutu ſiſtere: ſed obductô luminê, ſuo quaſi in meridie iam deficientem, à deliquio præſeruare. Non equidem rupem vt Moyſes bino virgæ ictu ſcindere: ſed Sanctuarij diſperſos lapides ad ſacram mo-

successorem, quem supremum rerum arbitrum sua in Ecclesia constituit, cuius sacratissimo ore ipsam loquentem (qua cuique quod suum est redderet) suam nobis Iustitiam præstitit. A Te igitur summo sacrarum potestatum apice, in quo omnium oppressorum cœlitùs posita sunt profugia, Ecclesiarum collocata sunt præsidia, orbis censura residet, Iustitiæ diuinæ oracula flagitamus, expectamus: à Te, inquam, qui in priuata vita solidam sanctitatis effigiem amplexus, in publica verò ad Apostolicam, imò ferè diuinam ideam conformatus, summi Pontificis nomen, Sedem animo quoque Pontificio impleuisti; qui cum miro Christiani orbis applausu, ad supremum sub-cœlestis Hierarchiæ fastigium euectus, Tiaram ipsam Pontificiam non minùs maiestatis amplitudine, quàm innocentiæ, probitatis, doctrinæ, prudentiæ, constantiæ, zeli Pastoralis ornamentis decorasti: qui Pontificatus gloria, omnem peruasisti orbem, dum non quæ tua sunt, sed *quæ Iesu Christi* assiduè *quæris*, vnóque salutis publicæ studio omnia dimetiris: ac sideris instar velocissimi in omnes ferris Ecclesias animi intenta ac profusa bonitate; quarum vt omnium sollicitudinem tibi à Christo impositam, molem ingentem viribus infractis sustines, sic singulis sedulò ac potenter opitularis, præcordijs nihil altiùs insitum habens his meditamentis atque affectibus, quibus illarum libertatem, securitatem, incolumitatem, vindices violatam, reuoces inuersam, semel stabilitam conserues. Hinc est quod te Pontifice & auspice, diù extorrem ferè vbique restitui cernimus Ecclesiasticam discipli-

nam, vigilare morum censuram, profligatísque Christianissima in Gallia, singulari Dei beneficio, iustissimi ac inuictissimi Regis præpotenti dexterâ, Purpurati Herois quem in cardine Ecclesiæ, præcelse Virtutis gloriâ rutilantem totus Orbis suspicit & miratur, incomparabili prudentia, tetris hæreseωn, quæ liliorum candorem fœdè commaculabant, portentis; orthodoxam triumphare fidem, antiquam repulullare pietatem, reuiuiscere sui obseruantiâ leges, Canones pristinam auctoritatem recipere, sacrarum rerum scientiam florescere, Religionis (quod summum est) sanctissimæ cultum in dies mirificè ampliari. Tot certè felicis adeò Pontificatus successus apud nos efficiunt, vt infausta nobis omina minimè formidemus. Nec enim est cur Ecclesiæ nobilissimæ, cuius causam apud tuam sanctitatem exequimur, excidium metuamus, quin potiùs omnia faustè & prosperè eidem cessura Te Iudice ac Vindice expectemus iamque nobis etiam polliceamur. Enimuerò si dudum, Arnulphus celebris Lexouiensis Antistes in 2. Lugdunensi, se fortunato augurio apud Alexandrum III. Papam Ecclesiæ Sagiensis patrocinium persequi reputabat, quòd in eius tribunali causidicũ ageret, *apud quem nec egeret intercessore Religio, nec Iustitia deffensore.* Est certè quod non minùs ex felici auspicio, nobis hoc in negotio gratulemur, cùm apud Te VRBANE VIII. Pontifex Maxime, Ecclesiæ Lingonensis rem agimus, in quo adeò viget æquitatis amor, & Iustitiæ zelus, vt nullo apud te alio præsidio opus sit, quàm nuda Iustitiæ ipsius interpellatione. Huius, apud Aposto-

lem coagulandam, alter vt Zorobabel diuino ſuccenſus zelo colligere, colligare. Non domum vt Samſon, concuſſis ambabus columnis ſubruere: ſed vt *Simon ſummus Sacerdos*, ne corruat myſticæ ædis fabrica, præſtanti robore ſuſtentare: cuius veteris Pontificis ſempiternæ gloriæ diuinis apicibus exaratum, ſacris monimentis inſcriptum, hoc legimus, appenſum in præmium eximiæ pietatis Mnemoſynon. *Simon Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum, quaſi ſtella matutina* (micat) *in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi Sol refulgens, ſic refulſit in templo Dei*, Eccleſ. 50. 1. 6. Eadem te manet, PATER SANCTISSIME, perennis laudis inſcriptio, ſi labantis & ferè corruentis Lingonenſis Eccleſiæ iacturam cohibueris, ſciſſuram præpedieris, vnitatem obfirmaueris, fortiſſimâque dextrâ, quæ *diuinæ eſt* (diuinus vt loquitur Hieron.) *omnipotentiæ inſtrumentum*, vindicaueris incolumitatem. Age, precamur, age PONTIF. OPT. MAX. quod Patrem, quod Petrum, quod ſummum Chriſti decet omnium Seruatoris Vicarium. Tanti muneris, tantæque virtutis perdignum equidem patrabis opus, ſi Eccleſiam Lingonenſem Apoſtolicis auſpicijs fundatam, parente Apoſtolico editam, Martyrum indigenarum pio cruore tinctam, conſecratam palmis, & triumphis decoratam, aliorúmque tot Sanctorum ditatam meritis, honoratam exuuijs; Antiſtitum omni laude celebrium egregijs virtutibus exornatam, laboribus auctam, Cleri ac plebis intemerata religione propagatam; Regum Chriſtianorum pia munificentia dotatam, inſtau-

ratam; insuper sanctissimorum tuorum decessorum immensis fœcundatam benedictionum profluuijs, priuilegiorum multiplicium insignitam ornamentis, maximis beneficiorum muneribus cumulatam, Tua quoque opitulatione suffulseris, protexeris, opportunóque (quod enixè flagitamus) summæ tuæ potestatis communieris præsidio. Sic profectò dolore oppressam filiam incredibili non tantùm solatio recreabis, itidémque efficies vt deposito lugubri squalore, *Coronam accipiat pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*. Esa. 61.3. Verùmetiam nos eius filios Sanctitatis tuæ pusillos famulos, sempiterni beneficij nexu, ac gratitudinis numquàm emoriturae debito tibi reddes obstrictos, itáque animitùs deditos, vt omnem industriam, vim, vitam denique ipsam pro Sedis Apostolicæ honore, & Beatitudinis tuæ obsequio & gloria impendere totis ex præcordijs peroptemus, Deumque Opt. Max. qui te admiranda prouidentiæ suæ dispositione, hominum quoque iudicio, & præsensione Apostolico Throno destinatum, in eodem splendidissimis virtutum facibus emicantem collocauit, assiduè intimísque affectibus deprecemur, vt maiori in dies splendore Orbi irradiãtem, diutissimè seruet incolumem, donec per *ascensum purpureum* meritorum, *ad reclinatorium aureum*, æternæ felicitatis peruenias, ac immarcessibilem *à Pastorum Principe*, cuius dignè vicem in terris exequeris, benè partam recipias pro Pontificali Tiara immortalis gloriæ coronam.



AVCTORIS AD LECTOREM PRÆMONITIO.



ST equidem, mi Lector, quod te non modica subeat admiratio pensitantem, cur ego Parisiensis Ecclesiæ alumnus, qui ipsius Ecclesiæ iura semel ac iterum tutatus sum, nunc extraneæ ædis ac Sedis patrocinium suscipiam. Quid enim ad Parisiensem (inquies) Presbyterum, cuius actuosa tota vita est, vt pote Pastoralis curæ nexibus implicita, assiduis muneribus occupata, Lingonensis Ecclesiæ, tentata nuper à proprio Episcopo, pertinet Cathedræ dissectio: vt causam illius, non secùs ac suam, apud summum Pontificem Sedemque Apostolicam, sibi duxerit propugnandam, profusa adeo dissertatione? At venia me dignaberis, si dum adhuc in vestibulo subsistis, facti huius mei tibi exposuero rationem, meumque non præceps votum, sed maturum consilium, in edendo hoc apologetico, fuisse semel cognoueris. Dudum est cùm Æneas Siluius Senensis, qui primam post exactam præclarè ætatem, breui tandem Pontificatu, at ingenti gloria, Apostolicam Cathedram illustrauit, ad Archiepiscopum Strigoniensem de rebus Hungariæ scribens, eamdem sibi, quæ nunc mihi fieri videtur, (omni seclusa personarum comparatione) difficultatem, obijci posse præsentisceret, eximiâ appositâque ipsam responsione anteuertit. Siquis, *ait*, me roget cur natus ego in Hetruria, de statu regni Hungariæ loqui præsumam. Respondebo me hominem esse, & vt Terentianus ille Chremes dicebat, nihil humani à me alienum putare. Dicam me Italum scire, plures mei generis homines in regno vestro & opibus & honoribus auctos, ad maiorem gloriam euasisse. Di-

eam me legisse historias vestras, inuenisséque Hungaros, multis victorijs claros nomen ad astra tulisse, atque idcircò, sicut natura iubet, me eorum virtutibus affici. Quid plura? Christianum me dicam, sollicitudinémque habere vt Christiana religio in tuto collocetur, quod sanè fieri non potest, nisi & murus eius qui est Hungaria, sit incolumis. Lib. 1. epist. 78. *Iisdem sanè me impulsum fuisse fateor rationum momentis, vt hanc Lingonensis Ecclesiæ defensionem aggrederer. Enimuerò non sola humanitas id effecit, sed & Christiana pietas, ac charitas ipsa, qua incensi Maiores nostri diuersarum Galliæ Ecclesiarum tutelam suscipere, & impendentia iisdem discrimina, quibus potuere votis, dictis, scriptis, ac religiosis conatibus, auertere, ne priuata, in publica redundarent, detrimenta, auspicatò studuerunt. Quod maximè Epistolæ testantur Fulberti Episcopi Carnotensis, Iuonisque eius sequacis, Godefridi Abbatis Vindocinensis, S. Bernardi Clareuallensis, Petri Cluniacensis, eiusque cognominis Cellensis Cœnobiarchæ; Ioannis Sarisberiensis Carnotensis itidem Præsulis, Arnulphique Lexouiensis, Stephani Tornacensis, Petri Blesensis, & cæterorum sui sæculi luminum, ac soli nostri germinum, qui propriarum non modò Ecclesiarum dignitatem, libertatem piè ac strenuè asseruerunt: sed aliarum quoque, maximè insignium, suborientes varijs ex motibus causas, apud Pontifices summos, Christianißimósque Reges, ac Galliæ Præsules & Proceres stylo & eloquio, tuendas susceperunt, dignè peregerunt,* titubantémque ipsarum Ecclesiarum statum, *(vt loquitur Sidonius Apolinaris lib. 7. epist. 5.) fulcire, sarciréque, summa pietatis instantia contenderunt. Horum verò magnorum Galliæ luminum, imò totius Ecclesiæ siderum, ac Orbis miraculorum, quamquam merita & gloriam mihi assequi prorsùs negatum sit (cui suspicere & mirari tantùm concessum:) pia tamen eorumdem studia, &*

religiosa conamina, pro viribus æmulari, mihimet ac cuilibet sacrarum literarum professori, fas esse nemo abnuerit, præsertim vbi & quando id pietas ipsa exigit, Ecclesiastica necessitas vrget, ac publica suadet vtilitas. Ad hæc exempla id accedit, quod Ecclesia Lingonensis quæ dudum Presules, ex Parisiensis Ecclesiæ matris meæ gremio, laudatissimos suscepit, hactenus nonnullos etiam habeat alumnos (vrbis nihilominus Regiæ indigenas, gentiles ideò & populares meos) viros prestanti virtute, doctrina, dignitate insignes, qui me sibi mutuæ beneuolentiæ nexu obstrictum, profusis affectibus, iteratis precibus, interpellarunt, ipsóque amicitiæ iure, imò Christianæ commiserationis obtutu, adegerunt, hunc vt librum, in piæ & necessariæ defensionis suæ ipsius Ecclesiæ, exitioso turbine impetitæ, construerem subsidium; adeóque volentem, nolentem, repentino excitum classico, has sibi suppetias vt transcriberem, compulerunt. Suppetias dixi non copias. Nec enim Clero Lingonensi animus deest aut virtus, quibus Ecclesiæ suæ iura propugnet, decus vindicet, incolumitatem tueatur. Sed quia in propulsanda matris iniuria, solet plus æquo filiorum Zelus exardescere: iustæ commotionis concussi stimulis ipsimet Cathedratici Lingonenses, ne extra congruæ moderationis terminos dicendo scribendòue erumperent, patrocinium eiusmodi, mihi qui extra classem positus & aleam, æquabiliori motu animi, rem perpendere, ac causam persequi posse videor, satius censuerunt concredere. Et id quidem rectè, vt arbitror, atque adeò ex diu recepto more: cùm ritu ferè omnium gentium causam per se nemo, sed per procuratorem & aduocatum exponat, ita vt non habenti patronum, Pretor dare debeat, l. 1. §. ait Prætor de postul. *cui consonat lex canonica,* glos. 1. in c. 1. de offic. Iud. deleg. *Quamobrem & Leuiticos Sacerdotes, causas quas ad Proconsulis Tribunal referebant, nonnisi Oratoris, solitos fuisse organo, interpositáque opera, agere, S. Lucas commemorat, Act. 24. 1. 2. Id etiam*

cuique sacræ antiquitatis perito satis compertum, in more positum fuisse apud priscos Christianæ pietatis cultores, vt à summis Potestatibus, tuendis Ecclesiarum iuribus ac Sacerdotum honoribus defensores deligerentur. Verùm quod Canonici Lingonenses, suæ Ecclesiæ in me vnum patrocinium deuoluerint, non solùm hic persuasit vsus: at id magis in causa fuit, quod paratam apud me audierant supellectilem copiosam, adornandæ eiusmodi defensioni, suppeditandóque, quo opus erat præsidio, prorsùs opportunam. Cùm enim ego iampridem pia cupidine incensus gloriæ Sanctorum Galliæ vindicandæ, memoriæ illustrandæ, amplificandi cultus; necnon Ecclesiarum, quæ faustis eorumdem fundatæ sunt auspicijs, consecratæ meritis, suffultæ patrocinijs, pretiosis ditatæ exuuijs, obscura admodum quæ erant primordia peruestigandi, incrementa describendi, iura dilucidandi, preclaras quibus pollent recensendi dotes, magnam impenderim curam, sedulámque operam contulerim disquirendis, scrutandis, eruendis, congerendis, sacris illarum monimentis: quæ cùm, anteriorum aliquot sæculorum desidiâ, quin & ipsorum ad quos res potißimùm pertinebat incuriâ, hactenus, densa caligine obsita, altéque in campo, *vt aiunt*, obliuionis *consepulta delituissent; Post sollicitæ indaginis laboriosa conamina, à situ & squalore quo diu circumfusa iacuerunt, detersa, tandem aliquando in lucem à nobis, Deô auspicê, reuocata sunt, quatuórque comprehensa tomis, quos; (quia sub Sanctorum Natalitijs, singula suo ordine collocata digestáque recensemus;) MARTYROLOGII GALLICANI titulo insigniuimus, iamque ferè consertos, typis mandare, ad Dei vberiorem gloriam, Sanctorum patriorum honorem, Gallicanæ Ecclesię splendorem, in dies properamus: Copiosa adeò, cùm apud me extaret, sacræ antiquitatis collecta seges, congestáque quasi in fasciculum cuiusque penè Galliarum Ecclesiæ in manibus haberem fastorum prędicamenta, status & politiæ consum-*

que exquisita atque certißima monimenta, oblatam capessentes occasionem Canonici Lingonenses, me amicorum interuentu deprecati sunt, vt qui Ecclesiæ suæ rerum, sicut cæterarum Galliæ, mihi peculiari studio comparaueram notitiam, iuriumque eiusdem vndique perquisita apographa, apud me consignata haberem, iustæ defensionis ipsius negotium assumerem, necessarijque quo ego, vt aiebant, si quis alius, præsenti in discrimine positam, poteram subleuare, eidem, patrocinij opem ferre, non recusarem. Cæterùm vt his morem gererem, non sola me induxit amicorum, quamquam vrgentißima, efflagitatio, nec ipsius Ecclesiæ opum ac ditionum consideratio: sed SANCTORVM potiùs qui illam affluenti numero condecorarunt, suisque meritis, palmis, triumphis, gloriosam ac florentißimam in Galliæ Regno iam olim reddiderunt, gratißima recordatio, religiosáque in eos propensio & affectus, cui etiam publicæ salutis studium, perfectum cumulum addidit. Quod enim dudum de optata à se Hungariæ incolumitate dicebat Æneas Siluius: Christianus sum, sollicitudinémque habeo vt Christiana religio in tuto collocetur: quod fieri non potest, nisi & murus eius qui est Hungaria sit incolumis: *censui à me, hoc in negotio, aptè omninò vsurpari posse. Catholicus sum, hòcque flagro desiderio vt Orthodoxa religio & publica Galliæ salus in tuto collocetur: quod fieri non potest nisi & murus eius qui vrbs Lingona est, in Regni confinio sita, arcique hæreticæ factionis Geneuæ, firmum vti totius regionis ac religionis propugnaculum opposita, sit ac seruetur incolumis. Porrò nequit ciuitas ipsa Lingonensis salua consistere, (vt Iulius II. Apostolico suo diplomate denuntiat,) si Ecclesia quæ huius corporis est anima, aliqua læsione mutiletur, vel casu quouis suo è statu deijciatur: quod certè fieret si Cathedræ Pontificalis, cui tota ipsius Ecclesiæ dignitas ac potestas insita est, diuelleretur integritas, ipsáque, quâ, vti centro innixa ac*

connexa subsistit, vnitas, scissuræ etiam exilis inflictione solueretur. Verùm non Ecclesiæ solùm Lingonensis sic salus periclitaretur, nec cæterarum Regni Christianissimi, quibus hoc ex facto, non absimilis solij sacræ potestatis impenderet dissectio, læderetur tantùm incolumitas, sed ipsius quoque Vniuersalis Ecclesiæ Status hoc molimine concuteretur. Verum enim est quod dudum Eugenius III. summus Iesu Christi Vicarius, ad vniuersum Romanæ Ecclesiæ Clerum scribebat: VNITAS ECCLESIÆ SECTIONEM NON PATITVR. *Non modò quia (vt S. Augustinus docet serm.* 11. *in Matth.)* Spiritus sancti, qui vnus in diuinis amborum est, *communicatione congregatur, Magisterio eruditur, sed quòd sub vno Pastore ordinata, in quo omnium Pastorum vnitas commendatur* (idem serm. 50. in eumd.) *nec in corpore, nec in membris vllam sacræ compaginis sustinere posit diuisionem. Si enim in qualibet mysticæ molis parte sectionem perpetitur, totius corporis vnitas, ea vel tenui læsione violatur. Vnde consequens est, cuiusque particularis Ecclesiæ non posse Sedem conuelli vel dissolui, quin vnius Cathedræ vniuersalis Ecclesiæ, in qua doctrinę veritas cœlitùs collocata est, & Christianæ pacis ac salutis tessera reposita, diuinum temeretur Sacramentum. Vnitas igitur ipsa, quæ Christi sponsę signaculum est*, Ecclesiasticæque ordinationis (*hoc est Hierarchiæ subcœlestis,*) vinculum, d. 24 c. Acatius, *philtrum fuit vnicum atque illex, quo prolectus captusque lubens æqua rogantibus amicis tandem acquieui. Huius enim vis, quam diuinę commẽdationis fulcit auctoritas, texẽdo huic opusculo manum vt adhiberem, me permouit, tantòque ad hoc conscribendum maiores indidit stimulos, quantò altius insitum sentio precordiis, Catholicæ ipsius vnitatis amorem. Quam itidem eò mihi maiori studiô colendam atque asserendam existimaui, quò periculosiùs his temporibus, à multis, qui mysticam Christi tunicam discerpere diris ac miris modis*


satagunt, sacrosanctam ipsam vnitatem viderem impugnari. Hac itaque vel vnica consideratione, gratum meum hunc laborem fore omnibus probis & verè orthodoxis spero: quorum si fauorem consequar, non est cur aliorum, qui hoc titulo editum opus aspernabuntur, odia formidare debeam. At verò non tam aduersarios perhorresco quàm ęmulos, quorum vix quicquam edendo, poßit hodie quispiam aculeos declinare. Sicut enim dudum Palestini, puteos illos quos fidelis Abraham Patriarchæ serui effoderant, bitumine obstruere contendebant, ita scatet hoc sæculum Criticis, qui sugillationum suarum aggeribus, fontes quos doctrinę sacrę studiosi in dies aperiunt, datâ operâ obruere conantur: vnde adagium inoleuit, A PRÆLO AD PRÆLIVM, *librorum (maximè huius texturæ) auctoribus prodeundum esse. Cęterùm vt me non fugit arduum esse viris doctis, atque cùm sacrę Scripturæ tùm humanarum literarum peritis quibus ætas nostra abundat, cumulatè satisfacere: ingenuéque fateor, ea me haud esse opulenta facundia, qua his qui exculti sermonis pompam ambiunt, & styli comptioris leporibus delectantur, desiderium explere queam: Sic hos impendiò oratos velim, vt quamquam flores minimè hîc consertos videant, congestos fructus non ideò fastidiant, quos è diuinarum scripturarum sacrario, Ecclesiasticę historię pomerio, intimo Theologiæ cùm scholasticæ, tùm Canonicæ penu, non leui labore studui in eorum gratiam colligere, oblectationémque expromere. Nec enim Ecclesiæ Lingonensis causam quam nitidè edissero, sic nudè exequor, vt simplicem exeram illius defensionem: Quin potiùs sub hoc nomine accumulatam profero multarum rerum disquisitionem, quæ & Ecclesiasticæ vnitatis Sacramentum plenè dilucident ac vindicent, & Ecclesiasticæ hierarchiæ ac disciplinæ, rerúmque sacrarum scitu dignarum, poßint notitiam suggerere, quarum seriem, in subiuncta huic monito operis synopsi, vel vnico oculi coniectu cernere est exaratam. HIS igitur rationibus*

quibus consilij mei æquitatem, piumque animi, tùm in publica Ecclesiæ, tùm in priuata cuiusque commoda procuranda votum ac studium insinuo, candidis quibusque viris Tractatum hunc vt confido acceptum iri: sic nec ipsis quorum conatui obnitor, non omninò ingratum aut molestum fore mihi persuadeo. Non enim nocendi causa, aut displicendi cuipiam, hunc librum conscripsi, sed puro & syncero desiderio tuendæ pacis & mutui seruandi, aut certè conciliandi amoris, inter eiusdem Ecclesiæ alumnos, matris vnius filios, ipsum concinnaui: quamobrem nihil aliud spirat quàm purum Christianæ vnionis, dilectionis, ac perpetuæ concordiæ affectum. Adde quòd vtriúsque vrbis, quæ amica velitatione, hîc vel pro sacri honoris incremento, vel fulcimento depugnat, tractatus is propria non modò iura disquirat, sed decora quoque studiosè exquisita, consertáque profusè recenseat: vnde neutrius cedit dispendio, sed ambarum vt celebritatem auget, sic nonnihil prouehit gloriam. Denique sic etiam, ea in dissertatione, Lingonicæ Ecclesiæ iura propugno, vt ANTISTITIS REVERENDISSIMI *nihil cupiam dignitati, potestati, sanctitati derogatum iri, quem viuum velut totius probitatis simulacrum, ac eximiæ pietatis speculum, clarißimúmque Galliæ nostræ sidus, eadem admiratione suspicio, qua iustè debiti cultus prosequor veneratione. Scio quid mea intersit reuerenter cum Episcopis agere: quibus illatam, Deus propriam iudicat offensam. Non est igitur quod me texendo hanc lucubratiunculam reputes, voluisse tanti Episcopi gloriam imminuere: sic Pigmeus in Athlantem, sublimi sidera vertice pulsantem, lapillus in rupem excelsam, mus in elephantem, hyssopus humilis proceram in Cedrum assurgeret. Absit hoc à me, vt propriæ mensuræ modum oblitus, manus præsumam cum Angelo conserere, quo cum luctando quondam Israel fortissimus, demùm percussus in fæmore, dispendiosam retulit victoriam.*

ctoriam. Hanc minimè affecto gloriam: nec enim pugnax in arenam descendo, at supplex gratiam ambio, & quam à cælesti Palestrita ille flagitauit, demisse a tanto Præsule expeto benedictionem. Si quid enim in hoc Opusculo, dum Lingonensis Ecclesiæ in me transfero affectus, refero questus, exero gemitus, paulo feruentiùs quàm concinniùs comperiatur dictum, obnixè summissæque mentis qua possum profusione deprecor perillustrem ipsum Antistitem, vt quod pio impellente Zelo, mihi fortè haud aduertenti excidit, malo nolit animo ascribere: sed eadem æquanimitate id accipere dignetur, qua cætera, quæ ad dignitatis & virtutis eius laudem commendationémque faciunt, bonâ processerunt scribentis nitidáque intentione. Ideóque nec apices singulos, rigidiùs excutiendos, obsecro existimet, sed potiùs sic finem ea in re mihi præfixum pensitet, vt æqua lance omnia quæ hîc congesta sunt, non verborum equidem sed rationum momenta perpendat. Quæso insuper vt dicti huius, Domini, recordetur, qui Apostolos ægrè ferentes pia cuiusdam conamina, hac cõmonitione deliniuit: Nolite prohibere eum: qui enim non est aduersum vos pro vobis est. Marc. 19. 38. 39. *Tantùm enim abest, vt aliquid hac commentatione aduersus Reuerendissimum Episcopum Lingonensem molitus sim, quin potiùs dum sibi sacro fœdere copulatæ Ecclesiæ, patrocinium obeundum suscipio, incolumitatémque (quę sua etiam salus est & gloria) vindicare gestio: ipsimet non ingratum, quicquid sit non infructuosum, arbitror obsequium impendere. Est igitur quòd in animum inducam, me veniam, (si quam religiosus hic conatus exigit,) ab ipso faciliùs demeriturum. Hanc mihi liceat iisdem votis ac verbis, quibus pridem S. Bernardus, Guillelmum eiusdem Ecclesiæ Antistitem compellando exorabat, deposcere, quin & mihi iam penè quæsitam polliceri.* Multa sunt (*aiebat*) quæ me confortant, vt repulsam non metuat hæc nostra petitio, maximè verò,

quia non pro qualibet extranea, ſed pro veſtra vobis Eccleſia ſupplicamus. Epiſt. 60. *Faxit DEVS OPTIMVS MAXIMVS, vt hic meus fœtus, eodem fine conceptus, tandem auſpicatò cedat: mihique pro ſua gloria & Eccleſiæ ſuæ vtilitate maiora opera meditanti, ſic ſuo fauore propitius aſpiret, vt ipſa quæ paro fuſioris texturæ opificia, ad optatam demùm poßim coronidem perducere. TV interim præclare ac perchare lector, pios foue conatus, humaniſque pro tua humanitate erratis ignoſce.*





OPERIS SYNOPSIS

PRÆFATIVNCVLA

Huius quæ dissidij causam edisserit, conatúmque exprimit Reuerendissimi Episcopi Lingonensis.

A pag. 1. ad 16.



N hoc operis vestibulo I. Episcopalis ad Regem supplicationis, series exponitur. II. Origo, situs ac status Diuionensis Vrbis, quam Pontificali solio perillustris Episcopus Lingon. decorare satagit, obiter describitur. III. S. Benigni Burgundiam Christo consecrantis, tempora constituuntur. Diuionisque hinc profecta incrementa, quæ amplioris gloriæ cupidinem etiam indiderunt, referuntur. IV. Regis Christianissimi, eximia pietas, ac Consistorianorum Procerum religiosa moderatio, hoc in negotio commendatur. V. Capituli Lingonensis deuotus in Præsulem affectus insinuatur. VI. Humilis ac syncera protestatio de reuerentia ipsi debita minimè hoc in dissidio temeranda, prælibatur.

PARS I.

In qua discutiuntur rationes, quibus subnixus ipsemet Reuerendissimus Præsul Lingonensis, geminam nititur Cathedram suo in Episcopio statuere; planéque ac perspicuè eædem diluuntur.

A pag. 17. ad 58.

I*Pso in dissertationis limine, modestia Domini Antistitis collaudatur, qui quæ affectat, non vi sed ratione studet peragere: Tum I. eius primaria ratio, elicita ex Diuionensis vrbis dignitate ac splendore, qui ad gloriæ cumulum solij Episcopalis decus exigat, pensiculatè expenditur. II.*

Inordinatus splendidæ Sedis affectus, Canonicis legibus perstringitur. III. Spontaneæ transmigrationes, Synodicis pragmaticis explosæ demonstrantur. IV. Nexus Episcopi propriâ cum Ecclesia, ex annuli Pontificalis arcano, confirmatur. V. Amor anteriorum Præsulum Lingonensium, in suam ipsam Ecclesiam intensissimus declaratur. VI. Ex Parœciarum, quas indiuiduas permanere decreuit Episcopus Garnerius, statu, Canonicisque Parœcialium ædium priuilegiis, Matricis Ecclesiæ integritas inuiolabilis astruitur. VII. Diuionenses Basilicas ditatas fuisse, munificentia Lingonensium Antistitum, comprobatur. VIII. Copiosis his susceptis, è sinu matris Ecclesiæ, dotibus, filiam decere contentam esse, colligitur. IX. Diuioni, ex modernæ amplitudinis gloria, sibi Episcopalem Cathedram vendicandi ius haud competere, planè euincitur.

II. Ratio, eo ex fundamento deprompta, quòd res haud insolita sit, imò vsu receptissima, duabus Ecclesiis ex æquo Cathedraticis, vnum eumdemque Episcopum præsidere; diluitur ex ipsa rerum dissimilitudine: quæ recensione propalatur omnium Ecclesiarum Pontificalium, in Occidente vnitarum.

III. Ratio, de ædis opportunitate, qua Diuione constituatur Episcopalis secundaria Sedes, ex ipsa sacri sacelli (vbi hanc Episcopus erigere cupit) fundatione, fundatorisque intentione, ac peculiari constitutione, quæ nec alumnorum consensu obliterari queat, prorsùs infirmatur. Locorum verò, ab ipsa fundatione Romanæ Ecclesiæ subiectorum, dignitas ac incolumitas vindicatur. Insuper testamentorum sacrosancta dispositio ostenditur. Denique summum Pontificem, Priuilegiorum Apostolicorum non modò auctorem, sed & primarium assertorem esse, sacro ex iure, hincque enato more, elicitur.

IV. Ratio, petita ex honoris accremento; quòd Antistes, hac ex duplicatione Pontificalis solij assequetur: ipsius ex appetitus iniustitia, subsequentibúsque incommodis, cùm priuatis, tùm publicis, obtunditur.

V. Ratio inde ducta, quòd ipsa ex Diuionis (quæ Burgundiæ ocellus, imò apex est) ad Episcopale decus prouectione, Regiæ Maiestati plurima commoda accedent, ampliorque honorificentia: contrariâ omnino, at efficacissimâ destruitur insinuatione.

VI. Ratio, quæ necessitati innititur nouæ erigendæ Sedis, ad Cleri & populi Diuionensis, qui propè innumerus est, mores propiùs inspiciendos, coercendásque gliscentes corruptelas, ac scandala quæ in dies emergunt, validiori manu reprimenda: inefficax ex eo redditur, quòd Diuione vna tantùm, ex septem, Parœcia, Episcopali curæ subiaceat; cui regendæ proprius Curio inuigilat; continendæ autem intra septa Canonicæ disci-

CAVSA I.

Expetitæ rei ab Epiſcopo, Nouitas.

A pag. 77. ad 89.

HAC ſub inductione I. oſtenditur varijs documentis & exemplis, Nouitatem cùm in omnibus periculoſam, tùm maximè in rebus ſacris diſpendioſam eſſe. II. Ideò Patres, ad ſolum Nouitatis nomen exhorruiſſe. III. Summa qua potuerunt cura, nouitatis ſtudium ac conatum, ſiue circa doctrinam, ſiue circa politiam ſacram repreſſiſſe. IV. Auctores nouarum rerum in Eccleſia quamquam Epiſcopatus apice conſpicuos grauiter obiurgaſſe, dirìſque penè ſubieciſſe. V. Epiſcopalis geminationem Sedis, ab Epiſcopo pertentari, rem prorsùs in Eccleſia nouam eſſe ac inſolitam. VI. Hanc & Eccleſiæ fore noxiam, & Epiſcopo dedecoram.

Animaduerſiones huic cauſæ hærent, haud vbique obuiæ; de ſententiæ Sedis Apoſtolicæ matura deliberatione & irretractabili diſpoſitione, *p.* 77. De profana Nouitate & vetuſtate ſacra, *p.* 78. De Nouitatis periculo, *p.* 79. De ſumma Apoſtolicæ Sedis decretorum auctoritate, ex S. Auguſtini praxi & doctrina, *ibidem*. De antiquo Arelatenſis Præſulis in Gallia priuilegio, *p.* 80. De ſtudio colendæ antiquitatis, ab Occiduis Epiſcopis, è fonte Sedis Apoſtolicæ delibato, *ibid.* De Remenſis Eccleſiæ inter Occidentales gloria, *p.* 81. De Epiſcopis abſque Romani Pontificis auctoritate minimè damnandis, Eccleſiaſticæque hac de re ſanctionis, vi ac celebritate, *pag.* 82. De Regibus debita à ſacris Proceribus Canonica reuerentia, *p.* 83. De iuſta obſiſtendi iniuſtis Principum iuſſionibus, Epiſcoporum libertate, *p.* 84. De Canonum impio contemptu, grauiſſimóque eoſdem temerantium reatu, *ibid.* De Sedis Apoſtolicæ plena in omnes Eccleſias poteſtate, *p.* 83. &c.

CAVSA II.

Lingonenſis vrbis ſpectabilis antiquitas, amplitudo, celebritas.

A pag. 89. ad 99.

HIC I. docetur, Antiquitatem cùm rerum tùm perſonarum eſſe ex ſe plurimum venerandam. II. In Eccleſiaſticis cauſis maximè at-

tendendam. III. Diuionis exordia & obscura & exilia fuisse, incrementa autem sensim accessisse. IV. Lingonicam Vrbem, & origine longè antiquiorem, & fama clariorem, statuque digniorem vtraque in politia semper fuisse habitam. V. Episcopalem Sedem, ab Religionis crepundijs, ob loci situm ac splendorem sortitam: ea scilicet maximè ex causa quod ciuitas esset municipalis.

Notæ sunt huius causæ insigniores. De primatu ætatis inter Episcopos & Presbyteros, *p.* 91. De vrbicorum Archipresbyterorum, Lutetiæ, nuncupatoria duntaxat prærogatiua, *ibidem.* De prædicationis S. Benigni in Burgundia duratione, *p.* 92. De Diuionis ad ius regium ex cessione Episcopali transcriptione, *p.* 94. De antiquitatis præcellentia, *p.* 95. De Sedium Episcopalium locali constitutione, *pag.* 98.

CAVSA III.

Ecclesiæ Lingonensis fundatio perantiqua, præcelsa origo, eximia dignitas, ac multiplex decus & gloria.

A pag. 99. ad 138.

P*Rimùm tractatur sub hoc titulo de dignitatis Ecclesiarum duplici fundamento, nimirum de vetustate originis, & nobilitate fundatoris. II. De Apostolicarum Ecclesiarum quadruplici ordine, Romanæ principatu, Gallicanarum diuersa erectione. III. De Lingonensis Ecclesiæ inter Apostolicas tertij ordinis spectabili gradu; Auctoris eius, nempe S. Benigni, discipuli B. Polycarpi Apostolicorum virorum coryphæi, sublimi dignitate; videlicet Apostolatu & Martyrio. IV. Demonstratur huius viri sanctissimi Celticam in Galliam profectionem, diuino vaticinio fuisse honoratam, cœlesti benedictione prosperatam, mirabili sobole fœcundatam, immortali gloria coronatam. V. Petrum Cluniacensem iure ac appositè fundatam ab ipso Benigno Lingonensem Ecclesiam appellasse,* nobilem & famosam Ecclesiam: *Nobilitatem etenim, ex Sanctorum quibus inclaruit, & quorum catalogus promitur, gloria affatim se prodere: Magnitudinem, ex sacri Principatus amplitudine, maximis Episcopi prærogatiuis, Cleri copia & splendore, longè latéque enitere: Famam, ex præclaris dotibus, cùm mysticis, tùm ciuilibus, quibus ornata ipsa promicat Ecclesia, opibúsque quibus affluit, emanasse. VI. Denique triplici iure, ex quo Ecclesiarum prærogatiua maximè colligitur, nonnullis Gallicanis Lingonensem ipsam antecellere, videlicet antiquitate, origine, & honore.*

plinæ, Iuridicus Ecclesiasticus cum Promotore, Episcopali auctoritate præfectus est. Adde quòd Episcopus, cuius non procul à Diuione statuta est sedes Pontificia, seu Pastoralis Specula; maiorem temporis partem transigat apud ipsos Diuionenses, quibus ideò sic præsit, vt prosit, perpeti ferè sua præsentia & opitulatione.

VII. Quæ Capellæ Regiæ decorem pollicetur, ac eiusdem Sacerdotio, honoris, cùm in capite, tùm in membris, non exile incrementum: incongrua, quin & vmbratilis euincitur, multiplici argumento. Consequenter verò, quia passim vrbis splendor Episcopali in supplicatione attollitur: vnicam in amplissimo Galliarum regno Lutetiam, regiæ vrbis honore ac decore insinuatur pollere; non modò ex eo qui cernitur Monarchiæ statu, sed, quod magis est, ex primæua ipsius Regni institutione. Præterea futile esse, quod de Regalis Parœciæ prærogatiua, (qua plurimùm eniteat Capella Diuionensis) ingeritur. Demùm fit perspicuum, quòd tametsi sedes regia Diuione aliquandò figeretur; tùm nihil ferè ex prætensa euectione, sacræ Capellæ in Episcopalem ædem, Regiæ Maiestati commodi aut honesti accessum iri.

VIII. Quæ implicita est duntaxat motiuorum, aliàs pleniùs inducendorum, congeries: ex ipso indigestæ molis inuolucro, exigui momenti præsumendam esse, haud temerè conijcitur.

Selectis verò notationibus hæc disquisitio adornatur: potissimùm de Imperiorum fulcro, *pag.* 11. De genuino pij ac iusti Regis simulacro; *p.* 12. De antiquissimo Galliæ Episcoporum, ad Sedem Apostolicam appellandi more, *p.* 13. De summi Pontificis, in his, qui iniustè sede deiecti fuerant, restituendis auctoritate, *ibidem.* De hominis præcellenti dote, *p.* 17. De Præsule coercendo mediocritatem propriæ ciuitatis spernente, *p.* 21. De spirituali Episcopi cum Ecclesia connubio, *p.* 24. De annuli Pontificalis mystica significatione, *p.* 25. De Parœcialis Ecclesiæ iuribus ac honoribus, *p.* 29. De Lingonensium Præsulum, in sacras ædes Diuionenses propensione munifica, *pag.* 29. & 30. De Castri Diuionis veteri nuncupatione, eiusdémque ad Ciuitatis iura prouectione, *p.* 33. 34. De vrbis Tyri, ob multiplicem gloriam, superbia, *p.* 35. creatarum rerum communi imperfectione, *ibid.* Petræ fundamentalis Ecclesiæ firmitudine, *ibidem.* De naui mystica, *p.* 37. De priuilegiorum Apostolicorum energia, eorumdémque exemptis illicita renuntiatione, *p.* 43. De Decani Diuionensis, per Abbatem Cisterciensem, confirmatione, *p.* 45. De testamentorum vigore, *ibid.* De sacris Canonibus, ac Ecclesiarum priuilegiis, à summo Pontifice seruandis, *p.* 46. 47. De ipsius Pontificis, in Romanæ Ecclesiæ asserenda potestate necessaria sollicitudine, *p.* 48. De seruitutis miseria, *p.* 49. De institutione authorizabili, *p.* 50. De diebus festis Pontificalibus, *pag.* 51. De Regio sacram politiam asserendi iure & munere, *p.* 52. De Ecclesia à S. Benigno Diuione constructa, *p.* 53. De fundatorum intentione religiosè obseruanda, *p.* 55. De Ecclesiæ ac vrbis Parisiorum multiplici encomio, *p.* 56. De præcipuo diuinorum munerum collatore, *pag.* 57.

PARS II.

Causas & rationes complectens, ob quas Capitulum Lingonense, Episcopi nouo conatui sese opponit: contendítque geminam quam ille exposcit Cathedram, minimè concedendam esse.

A pag. 59. ad 76.

IN Proëmio, I. De diuortijs, ac repudij libello ex sacræ Scripturæ regulis & Patrum doctrina, differitur. II. Spiritualis connubij vinculum, quo Episcopus, cum Ecclesia nexus est, insolubile astruitur. III. Tres casus in quibus Præsuli fas esse, docent Canones, sedem mutare, aut à sua recedere Ecclesia, pulchrè explicantur, studiosè expenduntur, hícque deesse prorsùs indicantur, subindè verò luculenter tractatur I. de barbarica, vel hæretica incursione: fugáque tunc temporis Episcopo licita. II. de duplici persecutione publica vel priuata. III. de populi peruersione, odio & malitia. IV. Laus ingens Clero & populo Lingonensi ex oppositis affectibus conciliatur: nempe ex orthodoxæ fidei constanti professione, hæreseωs innato odio, ac strenua profligatione, eximio denique in Pastorem suum amore.

Huic autem proloquio exquisitæ insitæ sunt obseruationes v. g. De causa libelli repudiationis, *pag.* 59. De vxore adolescentiæ haud spernenda, *pag.* 60. De Ecclesia, ab Episcopo vel Presbytero primoducta, non relinquenda, *ibid.* De mystici huius coniugij arctiori quàm corporalis vinculo, *ibid. &* 61. De licitæ recessionis, furente persecutore, & impauidi ac opportuni occursus laudabili imitatione, *p.* 62. De Petri fuga & Domini apparitione ac monitu, *p.* 64. De Sede Patriarchali Hierosolymitana, Aconem post extremum Regni excidium translata, *p.* 67. De vrbis Lingonicæ quæ numquam à sceptro diuelli debeat regali priuilegio, *p.* 68. De versipelli Hæreticorum astutia, *p.* 69. De perenni eorumdem, fidem corrumpendi machinamento, *p.* 70. De optimorum ciuium primaria laude, ac cœlesti præmio, *p.* 72. De Ecclesiæ pro Petro, vinculis constricto, anxietate ac sollicitudine, *p.* 73. De Iacobo, ab ipso Petro, Hierosolymorum hierarcha constituto, *ibid.*

Porrò in huius inductionis serie, plurima digna notatu attinguntur: Videlicet, De Ecclesiæ Principalis, quo veteres Romanam Ecclesiam insigniuerunt, epitheto, propria eius energia: Molinæique Caluinistæ, qui ipsius Ecclesiæ principatum, nouum esse calumniatur, impudentia, *pag.* 101. De Patriarchatus Ephesini origine, *p.* 102. De S. Pauli per Galliam Viennensem excursu, *p.* 103. De trino Apostolico Clemente, Romano, Græco, Gallico, *p.* 106. De S. Ioannis Euangelistæ in gentes Occiduas affectu, in Gallicam propensione: Necnon Apostolicâ eiusdem, de promouenda Gallicana Ecclesia enascente, cura; specialique ab ipsomet facta Polycarpo suo discipulo, studiosæ illius prouectionis, commendatione; De Polycarpi, in hac procuranda, sollicitudine; delectísque diuinitus ab ipso, post primariorum Christi Præconum ac Athletarum in Gallia agonem, ablegatísque nouis Apostolis; de Benigni inter eos primatu, eius cum Collegis in Burgundiam aduentu; Tergeminorum apud Lingones conuersione, lucta & coronatione; eiusdémque Benigni Diuionem accessu; diffuso ibi Euangelico semine, *p.* 107. 108. 109. Ecclesiis ab ipso conditis, Clericis institutis, *pag.* 111. De S. Polycarpi hunc mittentis vaticinio; De fidei Christianæ excellentia; Eiusdémque in Gallia post Apostolica tempora incorrupta propagatione, *p.* 112. Benigni insigni inter Galliæ Apostolos priuilegio; glorioso certamine, ac trophæo, *p.* 113. De multiplici Lingonensis Ecclesiæ, quam ipse suo ore & cruore peperit gloria, *p.* 114. De Sanctorum huius vrbis ac Diœcesis copioso numero, gestis, ac benedicta memoria, exquisitis obseruationibus illustrata, *p.* 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. De Episcopi Lingonensis inter Suffraganeos Prouinciæ Lugdunensis eminentia: Æduensísque exoleto, Pontificali pallio potiendi, priuilegio, *p.* 125. De Lingonici Præsulis in Regis solemni inauguratione excellenti munere, *pag.* 126. Pariatus Lingonensis Ducatúsque origine, iuribus, dignitate, *à p.* 126. *ad* 131. De antiquitati habendo honore, *p.* 133. De zelo Episcopali, in domo Dei tuenda, Ecclesia scilicet propria defendenda, *pag.* 138.

CAVSA IV.

Ecclesiasticæ vnitatis (cui repugnat geminatio Sedis Episcopalis) inuiolabile Sacramentum.

A pag. 139. ad 166.

TOTA est huius Causæ series Theologica, vt pote sacræ Scripturæ auctoritatibus, delibatísque inde Patrum documentis, mysticísque conceptibus instructa & concinnata. I. Siquidem ostenditur, Ecclesiam Vnitati innixam esse cùm doctrinæ, tùm disciplinæ. II. Vnitatis huius mysterium, in Vnius Episcopi cum Ecclesia nexu, consecratum subsistere. III. Clerum Vnitatem in Episcopo debere suspicere & colere: Epis-

copum vicissim ex officio obligari, Sacramenti ipsius vnitatis intemeratè seruandi, Episcopatum, *vt ait S. Cyprianus*, præbendo vnum atque indiuisum. *IV. Elucidatur profusa declaratione connubij mystici, quod inter Ecclesiam & Episcopum cohæret, Sacramentum. V. Indicatur id mysticæ simplicitatis tenacissimum, quamuis diuisionem excludere, omnem dualitatem respuere, perfectam exigere vnitatem. VI. Excellentia ipsius vnitatis quanta sit demonstratur, ex intimis Theologiæ arcanis, selectis Philosophiæ Theorematis, historiaque Ecclesiasticæ insigniorìbus monimentis, ac sacrorum Canonum selectiori doctrina.*

Notæ capitalis huius tractationis sunt præcipuæ. De Christo lapide angulari; de vno grege, vno Pastore, vna gente, vno Rege, *p. 139*. De Deo vno, vno Christo, vna Ecclesia, vna Cathedra, vno Sacerdotio; De Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ad supremam Hierarchiam cœlestem mystica relatione, *p.* 140. De Episcopi Catholicæ Ecclesiæ titulo, Pontificis Romani proprio, *p.* 141. De Episcopi & Ecclesiæ mutua inhærentia, *ibid.* De vnico vnica in Prouincia Metropolita, *ibid. &* 142. De Presbyterorum gradu & dignitate, *ibid.* De omnium Ecclesiarum, in vnius vniuersalis corpore, connexione: sub solis & ciuitatis figura, *p.* 143. De Polygamia, sacris & politicis legibus proscripta, *p.* 144. 145. De vetito Episcopis, ab Ecclesia ad Ecclesiam transitu, *ibid &* 146. De veteri ritu, electum Episcopum, in propria vel Metropolica Ecclesia, consecrandi, *ibid.* De celebri Concilio Parisiensi sub Guillelmo III. Pręsule habito contra beneficiorum agglutinatores, seu plurium Ecclesiarum inuasores, *pag.* 147. Editisque aduersus hunc ambitum ab ipso Guillelmo libris eximijs, *ibid.* De Presbyterorum Cardinalium, extra vrbem, prisca nuncupatione; déque Parisiensis ac Suessionensis Ecclesiarum antiquo, Parœcos vrbicos hoc titulo & ordine censendi, more: De his ad quos ex sententia Zachariæ PP. hæc honorifica est appellatio propriè referenda, *p.* 148. De matrice Ecclesia non deserenda, aliáque in Diœcesi ab Episcopo haud constituenda: (Canon Carthaginensis hac de re excussus & vindicatus,) *p.* 149. De vna Metropoli, in duas minimè secanda: De Christi tunica inconsutili, *p.* 150. De doctrina veritatis, cœlitùs insita Cathedræ vnitatis, *p,* 151. De vnius in fide traditionis, & vnius in politia ordinis, Ecclesiastica harmonia, *p.* 152. De zelo summorum Pontificum, in Ordinis statúsque Hierarchici vnitate, (æquè ac fidei sinceritate) asserenda, sanctorúmque duorum Antistitum in hanc impingentium lapsu & correptione, *a p.* 152. *ad* 157. De Ecclesiæ per vnitatem, ortu ac propagatione, *pag.* 158. De trina & simplici vnitate, *p.* 159. De omnium ab vno emanatione, *p.* 161. De humana salute, ab vno seruatore, in vnitate consummata, *p.* 162. De necessario cum Petri Cathedra consensu ac contesseratione, *p.* 162. *&* 163. Proscriptisque ex notæ huius defectu, à Catholicæ vnitatis commercio, hæreticis ac schismaticis, *ibid.* De perpetua Gallicanorum Episcoporum, cum Romana Ecclesia coniunctione, *p.* 163. De Christi insolubili cum Ecclesia vnione, *p.* 166. De vnica arca, ara, victima, domo, specula, Cathedra, vnóque grege, Pastore, capite, ac corpore, corde vno, & anima vna, *p.* 166. Deque particularium Ecclesiarum cum vniuersali in Symbolo vnitatis conformitate,

mitate, ac vnicè necessaria in omnibus vnitate, *ibidem & pag.* 167.

CAVSA V.

Metropolitæ haud exquisitus consensus: Capituli verò, cuius assensum Episcopus neglexit, communis reluctatio.

A pag. 167. ad 198.

IN priori parte huius causæ, ea quæ conferunt ad Archipræsulis iura & honorem accuratè expenduntur. I. Siquidem inuestigatur Metropolitarum in Ecclesia institutio. II. Archiepiscopi, qui & Metropolita est in Occidente, dignitas, ac Comprouincialium Episcoporum subordinatio, declaratur; Suffraganeorum vnde fluxit nomen indigitatur. III. Disquiritur ratio, qua Archiepiscopo suo Suffraganei subiacent: obsequia verò, quæ ad testandam subiectionem, ipsi debent canonica, sacris ex institutis eliciuntur. IV. Iura superiora, ac prærogatiuæ, quibus Archiepiscopus præeminere inter collegas dignoscitur, minutim recensentur, ac liquidis probationibus confirmantur. V. Insinuatur Reuerendissimum Lingonensem Episcopum officij immemorem videri, quòd suo Archiepiscopo itidémque Primati Lugdunensi illustrißimo, in negotio quod aggressus est geminandæ Sedis, iusta non detulerit. VI. Demum vindicatur Archiepiscopalis potestas à desuetudine & non vsu, è réque Ecclesiæ esse, vt reuirescat ac vigeat, demonstratur.

Porrò in posteriori parte, Capitulorum Cathedraticorum priuilegia asseruntur. I. Canonicæ illorum prærogatiuæ referuntur. II. Casus enumerantur, in quibus Episcopus, Canonicorum suorum astipulationem & consensum debet deposcere, aut saltem eorumdem expetere Consilium. III. Indicatur quid Sede vacante poßit, ex iure statuto, Capitulum, in Episcopatus administratione. IV. Quæstio obiter proponitur, an poßit solus Episcopus, Ecclesiæ communem causam tractare, & audiri debeat in Iudicio agere volens sine literis Capituli: quæ resoluitur negatiuè. V. Iusta Capituli Lingonensis querimonia modestè exponitur, de pertentata ab Episcopo contra Canonicas sanctiones Matricis Ecclesiæ dissectione, nouæque, (quam secundariam vocitat,) Cathedræ erectione, inexpetitò prorsus, ipsius Capituli Cathedratici, consiliô vel assensu. VI. Quemadmodum hic contemptus in Capituli ipsius grauem vergit iniuriam ac

læsionem: sic conatus ipse in communem Ecclesiæ iacturam, imò penè sacræ politiæ euersionem redundare ostenditur.

Insuper animaduersiones satis consonæ contextui annectuntur; scilicet de constituta ab Apostolica Sede, penè à teneris Ecclesiæ vnguiculis Sacerdotali Hierarchia, *p. 167.* de Dioeceseon distinctione, *ibidem*. De Primatus triplici specie, *p.* 168. De Metropolitæ in Synodo residentis, inter Comprouinciales præeminentia, *p. 169.* De eiusdem inter Suffraganeos auctoritate, *p.* 170. De antiqua electionum forma; proprio quondam Metropolitæ suffraganeos ordinandi iure, ritu; consuetáque Episcopi, quamquam auctoritate Apostolica inaugurati, Archiepiscopo obsequendi professione, *pag. 171.* Item de priuilegio designandi Præsules, quondam à Sede Apostolica nostris secundæ stirpis Regibus indulto: non ita diù, in gratiam posteriorum Regum renouato, *p. 172.* De prisco iure Summi Pontificis Episcopos consecrandi, sine Archiepiscopi præiudicio: Item de debita Archiepiscopo ab Episcopis filiali reuerentia: vicissímque paterno quo illos ipse amplecti debet amore, *p. 173. 175.* Quòd Episcopus, tribus saltem post ordinationem mensibus, Metropolitano, ad discendum ab eo Ecclesiastica instituta, se repræsentare debeat, *pag.* 173. An formandis in Synodo Prouinciali decretis, sola Archiepiscopi auctoritas sufficiat, vel Suffraganeorum etiam astipulatio requiratur, *p. 174.* Quòd Archiepiscopus etiam Canonicè Primas dici possit, *p. 175. 176.* De Primatu Lugdunensi, *pag. 176.* De maioribus causis ad Metropolitanum, & Pontificem Maximum, gradatim ab Episcopo referendis, *p.* 177. De Archiepiscopi in subiectos Episcopos officio & potestate, *p.* 178. De neglecta pridem in Gallia, hac in re disciplina, *ibid. & 179.* De mysterio septem Candelabrorum, septem Ecclesias designantium, *pag.* 180. Quòd Metropolitæ intersit, numerum subiacentium sibi Ecclesiarum scire, Actus Præsulum inspicere, statímque Prouinciæ communem lustrare, *p.* 180. De Suffraganeorum visitatione, ab Archiepiscopo solicitè exequenda, *ibid.* De seruandis Metropolitanorum vbique priuilegiis, *p.* 181. Quàm grauiter modernis sæculis, ea in re peccatum sit: Quæ dispendia inde subsecuta, *p.* 182. 183. Quòd in Sede Apostolica, adhuc resonent Apostolici spiritus oracula, *p.* 184. Quàm pulchrè & ordinatè disposita sit Ecclesiastica Hierarchia, *p. 185.* De veteri incundæ Clericalis ordinationis more, *p. 186.* De Ecclesiastico Senatu, seu Presbyterorum considentium sub Episcopo, cœtu, *ibidem*. Quòd Episcopus sine Cleri sui concursu, res Ecclesiasticas non eroget, *p.* 187. De Episcopi ac Parœci improuidè opes sacras dispensantis, Canonica coërcitione, *ibid.* De attributa, diplomate Apostolico, Capitulo Lingonensi legitima, distractas ab Episcopis Ecclesiæ possessiones reuendicandi potestate, *ibidem*. Quod Episcopi Parœcias, sine publica vtilitate, & Canonico consilio diuidere non debeant, *p. 189.* De Capellarum in Parœciis licita, hoc est Canonica erectione, *ibid.* De Capitulorum Cathedraticorum ad sacra comitia euocatione, *p.* 190. Seruatóque pridem in Prouincia Senonensi, inferiora etiam Capitula Parisiensis Diœcesis, ad Synodum Prouincialem conuocandi, more. *ibidem*. De laudabili praxi S. Cypriani, res Ecclesiasticas semper cum Cleri sui consilio & assensu pertractantis, *pag.* 191. De natiuo Canonicorum Cathedralium, negotia Ecclesiæ cum

Episcopo procurãdi officio, *p.* 193. De intemerata Canonum custodia, *p.* 195.

CAVSA VI.

Binæ Episcopalis Cathedræ vna in Diœcesi, insociabilis prorsùs connexio.

A pag. 198. ad 216.

PORRO hoc ordine ista inductio est digesta I. *indicatur, secundariam Cathedram non posse statui, absque primariæ euersione.* II. *Vnione quemadmodum nihil melius, ita diuisione nihil esse deterius.* III. *Diuisiones rerum, seu duplicationes, mala semper portendere ac parere multimoda.* IV. *Constituta Diuione noua Sede Episcopali, primitiuæ Matricis decus sensim, suo è centro excisurum, ac totum, Diuionem, quasi suapte propensione migraturum. V. Pari gloria, non posse duas Sedes proximas enitere, nec æmulas diu consistere. VI. Duabus inscribi Ecclesijs Clericum, Canonicis legibus repugnare: multò magis exorbitare à sacræ politiæ norma, duabus Cathedris Præsulem insidere, duabus Ecclesiis Matricibus mystico fœdere copulari: cùm plures ob rationes, tùm maximè eo quòd, æquo affectu paríque studio plures nequeat curare ac regere Ecclesias coæquales. VII. Residentiæ debitum, quo propriæ Ecclesiæ astringitur Episcopus, prorsùs conatui eiusmodi obsistere. VIII. Demonstratur, quàm arctum sit strictúmque, ex Ecclesiasticarum legum præscripto, ipsius residentiæ Episcopalis vinculum. IX. Quibus potissimùm diebus celebriter peraguntur diuini fœderis humanæque redemptionis solemnia: his potissimùm Præsulem Ecclesiæ suæ præsentiam debere, atque ad Pontificalia celebranda officia teneri, quæ duobus in dissitis locis, simul obire nequit. X. Hinc colligitur necessariò sequi, si duæ sint vna in terminatione Cathedrales Ecclesiæ, alteram, ipsis quibus altera potietur decoribus, in maximis pietatis Christianæ solemnijs priuatam iri. XI. Motus ac conflictus graues hinc suborituros, perennésque simultates inter vtriúsque Ecclesiæ Sacerdotium confestim emersuras. XII. Quin & dedecora plurima, ipsimet Episcopo, tædiáque inde varia prouentura.*

His constat fulcris tota causæ textura. At margini in contextus subsidium annotamenta varia, selectáque monita præfiguntur, vt potè de templi in Syon & Garisim infausta oppositione: Sacerdotij & legis translatione: Elusæ excidio, Auscij euectione, *p.* 199. De Canonum septimæ Synodi, qui in scopum collimant, editione, *p.* 200. De Episcopi votiua peregrinatione,

ad Apostolorum limina, à S. Gregorio, propter residentiæ vinculum, pio monimento præpedita, *p.* 203. De loco residentiæ Episcopalis, *ibidem.* De formatarum literarum ritu & commercio, *p.* 204. De Anastasij Presbyteri Cardinalis S. Marcelli, ob non præstitam residentiam, Synodali depositione, *pag.* 205. Quòd defectui residentiæ Præsulum ac Pastorum, mala quæ Rempublicam Christianam, postremis his sæculis inundarunt, rectè censuerit Cardinalis Montanus, ascribenda. *ibidem.* Quod ad sarcienda eiusmodi publica dispendia, meritò à summis Pontificibus ac Christianissimis Regibus, latæ fuerint leges, Episcopos & Parœcos, ad residentiam præstandam strictiùs obligantes. Tùm subnectitur insignis obseruatio, de euocationis Regiæ, cuius colore absentiam dudum Episcopi Gallicani prætexebant, Synodica moderatione, *p.* 207. De Basilicæ mystica nuncupatione, *p.* 208. De Euangelica lotionis pedum ceremonia, *ibidem.* De maioris Hebdomadæ, antiqua ac Canonica celebratione, palmarum benedictione; solemni, Pontificis in summo templo, feria 4. supplicatione, *ibidem.* Item de veteri more Baptisterium, annulo Pontificali, initio Quadragesimæ obsignandi, idipsúmque, in die Cœnæ Domini, propria manu Episcopi resegrandi, *p.* 209. De Pontificali adoratione Crucis in Parasceue, De Baptisterij celebri in vigilia Paschæ benedictione; solemníque baptismi per Episcopum administratione, *ibid.* & 210. De Paschæ diei sanctitate, splendore, celebritate, *p.* 211. Ecclesiæ Cathedralis, Episcopali præsentia tunc orbatæ: luctu ac dedecore, *p.* 212. De Alexandrinæ Ecclesiæ, inflicta pridem in maiori Hebdómada, horrenda desolatione, *p.* 213. De primogenituræ Ecclesiasticæ, iure studiosè conseruando, *p.* 215. De septem Diaconorum antiqua institutione, in qualibet maiori Ecclesia, *ibidem.* De eorum, in Chrismatis consecratione Episcopo ac Presbyteris assistentium, munere; Subdiaconorúmque ac inferiorum Clericorum, ea in ceremonia, ad ampliorem ornatum, adhibita præsentia, *p.* 216. De ipsius Chrismatis vberi gratia, ac fausta dispertitione, *ibidem.*

CAVSA VII.

Excitatio nouæ Sedis in Lingonensi Episcopatu, nec necessaria nec vtilis: quinimò superflua prorsùs ac noxia.

A pag. 217. ad 253.

TRACTATVR hac sub epigraphe. I. De vi & necessitate legis, quæ aliquando licitum facit, quod aliàs illicitum est: & qua cum modificatione Canonicum eiusmodi axioma vsurpari debeat. II. De multiplici necessitatis specie, & quo sensu, hic, qua de agimus sumatur necessitas. III. Fusiúsque disseritur de necessitate morali, quæ publicum

vel priuatum commodum respicit, ex sancti Dionysij doctrina à Marsilio Ficino, insigni theoremate illustrata. IV. De eorum differentia quæ licent ab his quæ expediunt, & rursus eorum quæ expediunt ab his quæ ædificant. V. De Sedis Apostolicæ suaui Oeconomia, quæ summam quam habet potestatem, ad rationis trutinam expendit, atque ad necessitatem quam publica commendat vtilitas, solet quicquid agat aut decernat, laudabili moderamine emetiri. Vnde nec nisi ægrè Pontifices Maximi à Canonum præscripto recedunt, cùm quid statuunt vel concedunt: rigidioresque se præbere solent cùm de Episcoporum haud necessarijs translationibus agitur, potissimùm verò vbi tractatur de Ecclesiarum vel inutili prouectione, vel noxia depressione. VI. Necessitatem qualem in designatis casibus requirunt sacræ leges, in eo qui vertitur, nullam occurrere, quin & accurata indagine conuincitur, hîc nec exilem posse assignari. VII. Illud siquidem Pontificale decus, quod Diuioni studet Episcopus comparare, ipsimet ciuitati tantùm abest vt necessarium ostendi possit, quin potiùs reipsa superfluum esse. VIII. Vtilitatem, quæ expedientiæ necessitatem inducat nec hîc fingi posse, ad eiusmodi splendorem Diuioni conciliandum: quod vt planum fiat, vndique ipsamet vtilitas, qua obtendi queat specie, perlustratur. IX. Vtile ab honesto secernitur: idque commodum quod expetitæ erectioni dicitur inesse, procul à iusto esse & honesto indicatur. X. Non solùm otiosam & inanem esse, quæ postulatur, erectionem: quin potiùs multis nominibus infaustam & detrimentosam, atque dedecoram cùm vniuersæ Gallicanæ Ecclesiæ, tùm potissimum Lingonensi, ac ipsimet Diuionensi Basilicæ, necnon vtriúsque ciuitatis Clero & populo; sed & Reuerendissimo ipsi Episcopo. Id porrò ex innumeris quæ inde suborituræ sunt, rixis, scandalis, aliisque grauissimis perturbationibus & incommodis, perspicuè insinuatur.

Cæterùm notis non spernendis hæc itidem inductio cumulatur: quarum potiores sunt de spiritualis hominis triplici consideratione, *p.* 219. De vnico, Christi vice, in Ecclesia summo Iudice, *p.* 220. De veteri Catholico axiomate, ***Prima sedes à nemine iudicatur***, de Caluini hoc sugillantis imperitia ac impudentia; de Canonicis eiusdem Ecclesiasticæ regulæ fulcimentis, *p.* 220. 221. De legitimo dispensationum vsu, *pag.* 222. De quorumdam Præsulum excessu, & Summorum Pontificum modestia, *p.* 225. De præcipua quæ debet esse Episcopi sollicitudine, *pag.* 228. De publica vtilitate, priuatæ anteferenda, *p.* 231. 232. 233. De non multiplicandis Episcopalibus Sedibus, ne Episcopi nomen vilescat, *p.* 235. De regia Ecclesiarum tutela, *pag.* 236. De vnctionis Hebræorum ac Christianorum Regum differentia, *ibid.* De Parœci vna in Ecclesia necessaria vnitate, *pag.* 238 Eiusdémque in Clerum & populum potestate legitima, *p.* 239. De dissensionum origine, *ibid.* De corporis mystici viuificatione, *pag.* 241. De Regaliæ, in Episcopatibus Præsule

vacuis iure; huicque obnoxiis in Gallia Ecclesiis, *pag.* 242. 243. De priuilegiorum custodia, *ibid.* De Capuæ veteris cum Noua, ob recens erectum Episcopale solium intestino periculosóque dissidio, *p.* 244. De templi in Samaria schismatica excitatione, *p.* 245. De popularium contentionum pernicie, *p.* 249. De Episcopi his in motibus vitandis aut sedandis officio, *pag.* 249. De eius, dum sacris operatur, solemni ad populum salutatione, *ibid.* De pace ab Episcopo, non ore modò sed & opere, colenda: insigne S. Hugonis Lincolniensis documentum, *p.* 251. De chori & tympani mystica concordia, *ibidem.* De præcipua Principis cùm sæcularis, tùm Ecclesiastici prouidentia, *pag.* 252.

CAVSA VIII.

Episcopalis fidei oppigneratio publica: Apostolicæque prohibitionis sacrosancta auctoritas.

A pag. 253. ad 288.

EA est huius causæ anacephaleosis. I. Episcopalis dignitatis excellentia commendatur, cùm ex præclaris Episcoporum, diuina in Scriptura, denominationibus, sacrosanctisque muneribus, quæ in humanæ salutis Oeconomia, Dei iussu, Christique vice, exequuntur: tùm ex supremæ venerationis indicijs, atque officijs, quibus à summis sæculi potestatibus honorantur, necnon maximis quæ Sancti, dum adhuc mortales erant, sacro ipsorum apici impendebant cultus religiosi obsequijs. II. Officij Episcoporum sanctitate enarratâ, quin & sublimitate dignis encomijs celebrata, quæ eò pertingit, quòd nullus possit eisdem cultus indebitus rependi: subinde inquiritur, cur pro Episcopo Diœcesano, in tremendis mysterijs, specialem Ecclesia præscripserit, fundendam à Sacerdote obsecrationem: Cuius ritus duplex ratio redditur. Prima, ex difficultate petita, dignè tanti muneris obeundi, patentique quo versatur Episcopus alienam curando salutem, à propria excidendi periculo. Qui metus eò grauior est, quò ex altiori fastigio cadenti, maior imminet ruina. (Hæc multiplici ac persuaui doctrinâ consideratio insinuatur.) Secunda, desumpta ex imperij & potestatis amplitudine, qua si abuti contingat Antistitem, subditis magnæ calamitatis alea vertitur, quorum salus vel perditio ferè in Præsulis manu posita est. Ideò Episcopalis potestas quàm latè pateat ostenditur, iura potiora quibus præcellit in regimine Ecclesiastico Episcopus, sacrorum ex Canonum politia, recensentur. III. Additur, ne præfixas metas transiliat Episcopus, Ecclesiam orationis subsidium, non tantùm

adhibuisse: sed & Canonicæ circumscriptionis terminis Episcopi imperium conclusisse; ipsummet insuper vi Sacramenti adegisse (quod in ordinatione emittit,) ad se intra præscriptos limites continendum, Canonicas sanctiones obseruandum, summo Pontifici obediendum, Metropolitano iusta suffragationis obsequia deferendum. IV. Præter hos nexus, Episcopos in Gallia, Sacramento fidelitatis quo Regi obligantur constringi. At Episcopum Lingonensem speciali insuper iureiurando coarctari, quo & legis municipalis, & Capitularium statutorum, ac priuilegiorum Ecclesiæ obseruationem profitetur inuiolabilem: quæ quidem, vt ex formula patet præstiti à moderno Antistite, superiorum exemplo Præsulum, iteratique Sacramenti; penitùs his quæ iam contendit aduersantur: adeò vt nequeat conatibus insistere, nisi datæ fidei vim faciat, atque ab his quæ solemni iureiurando obfirmauit promissis, apertè resiliat.

Fusè hæc capita explicantur. At margini inseruntur ad dicta corroborandum, studiosæ indaginis annotamenta; nempe de honore à Principibus sæculi Episcopis deferendo; de decoro ab ipsis Episcopis propriæ dignitatis obseruando, *pag.* 253. De præclaris quibus Patres Episcopos exornant titulis, *p.* 254. De Episcopali salutanda & adiuranda corona, *p.* 255. De prisco manus eorum osculandi, necnon ad ipsorum vestigia procedendi, more, *p.* 256. De ipsorum super omne culmen mortale excellentia, *p.* 257. De Presbyteri ac Sacerdotis nominum, veteri, media ac nupera acceptione, *p.* 258. De Beneficiorum institutione, ac Parœcialium Sacerdotum, Christianæ religioni coæua antiquitate, *p.* 259. De vero ipsorum apud Episcopum gradu; déque seruando ab Episcopo, in Sacerdotum cœtu Præsidente, moderamine, *ibidem*. De perstricta à S. Hieronymo quorundam Episcoporum Presbyteros spernentium morum duritia, *pag.* 260. De Episcopi multiplici angustia ac periclitatione, *p.* 262. De ritu orandi in Missa pro Episcopo, *pag.* 264. De more orandi pro Summo Pontifice, *p.* 265. Item pro Rege, *ibid.* & 267. De quadripartito ordine Episcoporum, discretionísque huius ratione, *ibid.* & 266. De necessaria Sacerdotalis & Regiæ potestatis concordia, *ibid.* De Parœcorum dignitate, num Prælatorum nomine propriè censeantur, *p.* 267. De antiqua Episcopalis sponsionis in ordinatione formula, *p.* 269. De Metropolitani Primatu & auctoritate, *p.* 270. De eorum qui Episcopis noxia consilia suggerunt coërcenda malitia, *p.* 272. De sensu Pythagorei axiomatis, *Corona minimè carpenda, ibidem*. De Regio, in Ecclesijs Galliæ, iure patronatus & clientelæ, *p.* 273. De more quo Episcopus iurat manu pectori admota, præsente Superiore, *p.* 278. De vetusto Episcopis occursandi ritu, *pag.* 279. De Episcopalis dignitatis præeminentia, Principúmque & Episcoporum mutua obseruantia, *p.* 279. 280. De Regiæ & Pontificiæ Majestatis comparatione, *ibid.* & 281. De Regis Christianissimi religioso officio, *p.* 283. De Ecclesiæ Lingon. immunitate, *p.* 282. De successoris, in seruandis decessorum factis & pactis obligatione, *pag.* 285. De non diuidenda populi possessione, *p.* 286. De Cleri cuiusque Ecclesiæ, propria Matris iura propugnandi, & damna propulsandi, pio & necessario studio, *pag.* 287. *&c.*

CAVSA IX.

Iurisiurandi Episcopalis sanctitas & religio.

A pag. 288. ad 320.

ITA se habet huius causæ connexio. I. Iurisiurandi sanctitas Theologicè describitur, conditionésque expenduntur, quibus tùm assertorium, tùm promissorium iuramentum, elici exerique oporteat. II. Pontificis, quàm magna ea in re debeat esse circumspectio & pietas, declaratur. III. Edocetur initum à Reuerendissimo Præsule Lingonensi iusiurandum, debitis circumstantijs instructum esse. IV. Ab huius idcircò obseruatione, non posse eumdem, vlla se excusatione eximere. V. Vel ob id maximè quòd non simplici verbo id præstiterit, sed sub solemni numinis inuocatione, cum Sanctorum obtestatione, manusque super caput S. Martyris Mamantis, Ecclesiæ Lingonensis tutelaris, religiosa impositione, VI. Ceremoniæ huius occasione, iam à multis retrò sæculis apud Lingones vsurpatæ, de diuersis iurisiurandi edendi apud Maiores vsitatioribus ritibus, pertractatur: nimirum de modo ac more iurandi per Crucem, per Euangelium, per altare, per Ordinem, per Sanctorum λείψανα. VII. Cuius ritus, quòd ad rem magis pertineat, praxim diuersam, violatæque in eo vsurpando ac diuinitus vindicatæ religionis, exquisita exempla congeruntur, sanctique Mamantis solita in sacrorum suorum pignorum temerarios attrectatores indignatio, atque aduersus Ecclesiæ suæ iurium impetitores seu sacrarum opum direptores, tragica animaduersio, propatulò exponitur. VIII. Episcopus per præstiti, religioso adeò more, iurisiurandi sanctitatem obsecratur, ne à se sub tanta pietatis testimonio & authoramento, pactis ac promissis recedat; sed omni qua decet integritate eadem custodiat: procul reiectis, quæ aduersus initi à se Sacramenti tenorem sibi suggeruntur, consilijs.

Muniendis quibus articulis, varia notationum fulcra adhibentur: breui hoc apographo perspicua. Videlicet de Neophyti apud Ecclesiasticos auctores vocabuli acceptione, *pag.* 290. De non prætexenda à Præsule Canonum ignorantia, *ibidem*. De antecessorum laude dignorum iusta imitatione, *pag.* 292. De Gemmarum in ornatu Pontificis mystica significatione, *ibidem*. De Mitræ Episcopalis & Abbatialis Canonico discrimine, *p.* 293. De Casibus in quibus Episcopus iurare tenetur, *p.* 294. De his in quibus Presbyter iurare itidem compellitur, *ibid.* De more ethnicè iurandi abrogato, *pag.* 295. De codicis Euangelici, Oecumenicis in Synodis honorifica collocatione,

ac more

ac more ipsis in plenariis Ecclesiæ comitijs iam ab aliquot sæculis recepto vt Euangeliorum textus, iurantibus solemniter, per S. R. E. Protonotarios contingendus exhibeatur, *p.* 296. 297. De formula iurandi per Euangelia, *ibid.* Sacrásque scripturas cæteras, *p.* 298. De Religioso altaris, ad firmandum iusiurandum attactu. *ibidem.* De corporis Dominici obtestatione, *ibid.* & 299. De formula iurandi per sacra Sanctorum pignora, *ibidem* & 300. De more Synodicos consessus celebrandi, propè sanctorum Tutelarium corpora. *ibid.* De S. R. E. Protonotariorum nomine & dignitate. *pag.* 301. De S. Desiderij Lingonensis Episcopi & Martyris, in periuros mirifica vltione. *ibid.* De pietatis inter virtutes principatu, *pag.* 304. De S. Thomæ Aquinatis diuina illustratione, *ibid.* De prænotatione sermonis S. Augustini apud Gratianum corrigenda, *p.* 305. De Capituli Cathedratici Lingonensis annosa antiquitate, prima ante exemptionem reformatione, vberiorique per Isaac Episcopum dotatione, *p.* 306. De brachij S. Protomartyris, Vesuntionem, è Græcia aduectione, temeraria ipsius per Chelidonium Episcopum confractione déque cruore; mystico in eumdem Chelidonium erumpente, latâque in ipsum super hoc, ab Hilario Arelatensi, sententia, *ibidem* & 308. De porrectæ manus quæ in Capituli Lingonensis sigillo cernitur significatione, *ibidem.* De sacrarum facultatum ac vasorum Ecclesiasticorum pia ac iusta distractione & erogatione, *p.* 310. 311. De Hierosolymitani Regni extremo excidio, Europæ communi ob hanc cladem fremitu, Galliæ Præsulum ac Procerum pio & strenuo conatu, *pag.* 312. & 313. De Esaiæ Prophetæ vera dissectione, quam perperàm Tostatus fabulosam censuit, *p.* 314. 315. De S. Mamantis gloria, encomiis, variáque pignorum, at miraculosa semper eiusdem translatione: déque cultus eius in Occidente, potissimùm verò in Gallia Celtica propagatione, *p.* 315. 316. 317. De more Patribus vsitato Præsules adiurādi per Sedis suæ Tutelarium memoriam, *ibid.* De S. Augustini profusa in Sedem Apostolicam deuotione, plenéq; ab ipso summis Pontificibus delata obedientia & reuerentia; Item de appellationum ad Rom. Ecclesiam, etiam post Apiarij causæ terminationem, licita ac frequentata deuolutione, *p.* 317. De domus Episcopi sanctitate, *p.* 318. De Episcopali & Sacerdotali corona, *p.* 320.

CAVSA X. ET VLTIMA.

Apostolicæ sanctionis inuiolabilis perscriptio, quà decretum est, Iudicium, & Priuilegium.

A pag. 321. ad 362.

SERIES postrema huius rationis sic est conserta. I. Causa Pontificiæ sanctionis Iulij 2. qua diuelli ab Vrbe Lingonensium Ecclesiasticum Tribunal, vel diuidi vllo modo, vetuit, exponitur: astruitúrque

sedem sacram Iudicialem , à Præsulatu non modò inabstrahibilem esse: sed & Sedem ipsam Pontificalem ab Episcopo inseparabilem , prorsúsque in se indiuiduam. II. Diluitur obiectio quæ contra hanc assertionem elici posse videtur , ex æqualitate geminæ in eodem fundo Sedis , Præsulísque idemtitate. Siquidem ea duplicatio penitùs Apostolico Pragmatico prælibato repugnat. III. Pontificij ipsius diplomatis energia multifaria expenditur. Primò vt est priuilegium, quo nomine asseritur inuiolabile. Enimuerò Apostolica priuilegia ex Christi constitutione , Pontificum declaratione , Synodorum iudicio, Patrum astipulatione , perennique Ecclesiæ vsu & consensu sacrosancta esse comprobantur. Secundò , vt Iudicij Apostolica ipsa perscriptio vim habet (quemadmodum ex rei gestæ insinuatione constat:) Sedis siquidem Apostolicæ sententiam , vt summæ est auctoritatis, sic insolubilis esse firmitatis, regula est (quod conuincitur) in regno Dei receptissima. Tertiò ex eo quod eidem rescripto , decreti etiam perpetui insit pondus. Porrò Ecclesiastica decreta summorum Pontificum legis vim habere immobilis atque inuiolabilis , iam dudum in plenario Ecclesiæ consessu , Spiritus sancti iudicio fuisse ostenditur definitum : Patrum primariorum vnanimi persuasione ac doctrina traditum : communi, cùm Orientalis , tùm Occidentalis Ecclesiæ , confessione ac perpeti obseruatione firmatum. IV. Hinc , è re nata disseritur de Canonica sanctionum Apostolicarum auctoritate , probaturque ex professo statuta & decreta Hierarchica ac mystica summorum Pontificum , propriè Canones dici posse ac debere: Pontificem ius habere Canones non tantùm exequendi , vindicandi , relaxandi ; sed condendi etiam , qui Christi omnes in terris cultores deuinciant , vniuersáque in Ecclesia vim intemeratæ legis obtineant. Nec id modò sacris auctoritatibus euincitur , sed sæculi Principum politicis etiam legibus, Imperatorum scilicet Pragmaticis: ex quibus maximè Valentiniani III. Constitutio , quam eam in rem inclytæ memoriæ Cardinalis Peronius , in responsione ad Regem Angliæ protulit , inculcatur : atque à Petri Molinæi , qui librum præfati Cardinalis refellere nisus est , putidis cauillationibus , imposturis ac imperitijs strenuè vindicatur. Tùm verò Apostolicas sanctiones ex se vim suam habere indicatur ; distinctam esse Pontificis ac Regis potestatem ; hunc Canonum vindicem illum dictatorem , ex Iurisperitorum Galliæ Coryphæi sententia , esse ; Reges Christianissimos semper Sedi Petri deuotissimos, obsequentissimos fuisse; *suis Pragmaticis Apostolica collaudasse , promulgasse ; summorúmque Pontificum decreta de fide , & disciplina Ecclesiastica , pro sacrosanctis habuisse , haberique voluisse ; sed & ipsorum Pontificum in gubernanda Ecclesia supremam auctoritatem exi-*

mia pietate semper aduneratos, plenariam eorumdem in sacris cudendis legibus potestatem cognouisse, hisque intemeratum manere vigorem suis edictis statuisse. At, ne vis ex Regali præcepto videatur huius potestatis emersisse, quæstione subinde proposita ac Theologicè discussa, probatur, summum Pontificem hanc potestatem obtinere ex ipso Apostolatus officio: id Concilia Oecumenica multimodè profiteri, Patres docere, Galliam pro certo semper & explorato habuisse. V. Statuto hoc principio (quod Ecclesiasticam vnitatem fulcit, quam asserimus, & ad institutum plurimùm confert) hinc infertur, Apostolicis statutis refragari, ingens piaculum esse, nihil enim aliud id reputandum, quàm summæ à Deo ordinatæ in Ecclesia potestati, resistere, atque ideò in diuinæ Maiestatis prosilire iniuriam. Quapropter cum à tanto reatu abhorreat Reuerendissimus Episcopus Lingonensis, operæ pretium esse, vt ipse Constitutioni Apostolicæ Iulij II. de non secando Lingonensis Ecclesiæ sacro Tribunali debitam obedientiam exhibeat, huicque sic obtemperet, vt à diuidendi Episcopatus, mutandæue vel geminandæ Sedis molimine promouendo, lubenter abstineat.

Causa verò ista vt diffusior, sic copiosiori est obseruationum cumulo instructa, quarum selectiores sunt, de vrbis quæ Ecclesiastico principatu pollet, ob spiritualia negotia frequenti aditu, *pag.* 322. De Episcopi iuridico Tribunali, eiusdémque Pontificali Cathedra, proprióque vtriúsque solij discrimine, *p.*323. De priscæ legis Pontificis, Suffraganeo iudice, *ibidem.* De Episcopi & Officialis vna eadémque audientia, *p.*324. De sensu & veritate Canonici illius axiomatis, *vbi Papa ibi Curia*, *p.*325. De mutua Episcopi & Ecclesiæ inhærentia, *ibid.* De debita summorum Pontificum decretis ab omnibus reuerentia, *p.*326. De delatis à Concilijs Occumenicis & probatissimis Patribus Pontifici Romano, titulis, honoribus, obsequiis, *pag.*327. De multiplici sacrilegio, & diuersa rerum sacrarum specie, *ibid.* De Ecclesiasticorum priuilegiorum seruandorum vigili Pontificum veterum studio, antiqua summi Pontificis professione, *p.*328. Episcopali persimili sponsione, *p.*329. Quòd Papæ auctoritatem contemnere, ex priscorum Galliæ Episcoporum sententia, *sit Spiritui sancto repugnare*, *pag.*332. Subindéque de diuina in contemptu decretorum Pontificis Dei in terris Vicarij offensa, *p.*336. De S. Petro, probra successoribus illata, vlciscente, *p.*337. De Canonico vigore sanctionum Pontificalium, quamquam Canonum libris minimè insertarum, *p.*339. De proprio vtrique potestati Papali & Regiæ, iure & honore deferendo, ac religiosè obseruando vtriúsque discrimine, *ibidem*. Quòd Pontificiæ leges Christianos in conscientia obstringant, *ibid.* De duabus Pseudosynodis, à Photio inuasore, contra S. Ignatium Patriarcham CP. habitis; legatísque Apostolicæ Sedis, ab ipso suppositis, *p.* 340. De Pontifice loquente vt Papa, vel vt particulari Doctore, *p.* 342. De hæreticis & schismaticis, sola Sedis Apostolicæ auctoritate damnatis ac profligatis; insignique ac vberi Caluini super hoc obser-

---

COROLLARIVM.

A pag. 362. ad 376.

VT authoris egressus ingressui respondeat, sitque vterque pacificus, hæc operi super additur coronis, placidæ suasionis flosculis conserta. I. Reuerendissimus Antistes Lingonensis à culpa ex eo excusatur, quòd cùm Sedis geminationem aggressus est, Apostolicæ prohibitionis nondum habuerat notitiam. II. Ezechielis visio, de mysticis currus gloriæ Dei quadrigis, euntibus & reuertentibus, atque ad vocem quæ sub firmamento fiebat subsistentibus, ad rem sic accommodatur, vt hinc eliciatur, ipsum decere Episcopum, percepta conatus sui obliquitate, à cœptis desistere: Regisque gloriæ Vicarij oraculo paternè admonitum, gressus reflectere, atque alia omninò, quàm quæ complexus est, inire consilia. III. Sanctissimorum ac sapientissimorum id Episcoporum exemplis suadetur, videlicet S. Cypriani Carthaginensis, S. Hilarij Arelatensis, Hincmari Remensis, Hugonis Lugdunensis, Richerij Senonensis, qui dum quædam sub boni specie contra fas incautè connitebantur, Apostolica voce commonefacti, ad rectum iustitiæ tramitem, à quo paululùm deflexerant non modò lubenter redierunt: sed & hoc ex impetu, maturoque regressu, ac religiosa Pontifici morigeratione, maiorem sibi gloriam pepererunt. IV. Subiungitur, Episcopum condecere integræ famæ studiosum, ab omni immansueti animi opinione immunem esse: ideòque prorsus à Leuitæ illius ferocia abhorrere, qui proprio gladio mi-

nutim concisum vxoris suæ corpus, per terminos Hebraicæ gentis dispertiens, omnes populares suos attonitos reddidit proclamaréque fecit: numquam talem rem factam fuisse in Israël. *V. Ex fœderis mystici arcano colligitur Ecclesiam Episcopo arctissimè deuinctam, quin & incorporatam, ab ipso non secus ac vxorem à viro protegendam esse: idque ipsius Pastorum omnium Principis Christi, intimatur exemplo, qui sic Ecclesiam dilexit, vt semetipsum tradiderit pro ea. Pulchrè verò ibidem elucidatur, quomodo ipse Christus Dominus dicatur ab Apostolo,* Seruator corporis Ecclesiæ: *ipsa verò* Caro de carne, & os de ossibus eius. *Quam in rem adducitur locus insignis Exod.* 12. Os non comminuetis ex eo. *Ex quo, sublimi sensu exposito, Ecclesiæ cùm vniuersalis, tùm particularium quarumcumque astruitur, compaginis, inuiolabilis integritas, vnitasque insolubilis. VI. Per sacram Episcopalem coronam obsecratur perillustris Præsul, vt fœderis initi cum Lingonensi Ecclesia, sponsa sua, si vnquàm modò potissimùm recordetur: eiusque cuius à Spiritu sancto, non diuisor constitutus, sed adunator & defensor destinatus est, discidium procurare nolit; at potiùs incolumitatem foueat, huicq; asserendæ sese, vt ex officio obstringitur, apud Summũ Pontificem actorem & patronum exhibeat. Sperandum esse, subnectitur, ipsum Antistitem suo huic muneri pro sua pietate ac æquitate minimè defuturum. Qui tamen si Ecclesiæ suæ patrocinium debitum præstare detrectet, non ideò esse cur Clerus ac populus Lingonensis animum despondeat: auxiliatricem siquidem dexteram, eidem Ecclesiæ, summum Pontificem (qui Episcoporum Episcopus, communis omnium Ecclesiarum parens, ac supremus Pastor est & protector) ex credito cælitùs officio, tùm maximè porrecturum; quâ labanti opitulabitur, omnémque ab ea scissuræ qua impetitur, remouebit periclitationem. Multiplici verò atque persuaui doctrina huius expectationis fiducia obfirmatur; ex sacris potissimùm paginis expressâ, præclaris Patrum monitis historicisque ac Theologicis insinuationibus concinnatâ.*

Porrò huic auctario, variæ etiam intextæ sunt notationes: scilicet de Decretorum Papalium vigore, *p.* 362. Quæ ligant etiam certis in casibus ignorantes, *pag.* 363. De obedientiæ summo Pontifici deferendæ religiosa admodum obligatione, ex S. Isidori doctrina, *ibid.* Quòd qui Papæ in diuinis subesse recusat, sacræque eius potestati refragatur, Acephalis coniungitur, fitque ab æterna salute extraneus, *ibid.* Axioma hoc Theologicum, tempore ipsius S. Isidori fuisse ab Ecclesia Catholica inter pietatis Christianæ dogmata numeratum, *ibid.* S. Cyprianum quamquam aliquandiu propriæ sententiæ tenacem, constanter tamen Sacræ contesserationis iura cum Stephano Pontifice coluisse: eidémque ad extremum vsque spiritum summo vt Ecclesiæ duci, adhæsisse, *pag.* 365. Hilarium Arelatensem,

postquam Leoni magno paulisper obstitisset, ceruices Apostolico culmini subiecisse: gratiamque S. Leonis ambiuisse ac impetrasse tandem, *pag.* 366. Cardinalem Baronium hanc Hilarij resipiscentiam, coniecturis tantùm attigisse; Igitur notas eius ad Martyrolog. Rom. 3. Non. Maij hac ex obseruatione supplendas, *ibid.* Huic verò alia hæret haud trita animaduersio, de more iam olim in Gallia recepto, vt Archiepiscopi ac Episcopi, sua quique in consecratione, iurent in verba summi Pontificis, sub certa sponsionis formula: déque putido, circà hunc ritum Petri Molinæi Caluinistarum antesignani mendacio, *p.* 367. Subinde verò anagraphæ conseruntur non minùs exquisitæ, de Christi corporis mystici structura, ossiumque eius non confringendorum Sacramento, *p.* 368. De boni Pastoris imitatione, *p.* 369. Episcopi, iura Ecclesiæ suæ diripi sinentis, haud leui piaculo, *ibid.* Prolis dissectione, à Parentis votis & voce, longè aliena, *p.* 370. De propria veste, à Sacerdote summo, minimè discerpenda, *ibidem.* De vniuersalis Papæ vniuersali cura, *pag.* 371. De eodem vnico corporis Ecclesiæ Catholicæ Medico, diuinitùs constituto, *p.* 372. De vitanda ab Episcopo subiecti populi diuisione, paceque ac vnitate, ab eodem, proprio in grege, sedulò procuranda, grauissima S. Gregorij admonitio, *pag.* 373. De Ecclesiæ Romanæ sublimitate, ac materna prouidentia, *ibid.* De Tituli Ecclesiastica significatione, *p.* 374. De prima ac secundaria Ecclesiæ Petra fundamentali, *ibid.* De Sedis Apostolicæ mysticis nuncupationibus, *pag.* 375. De S. Petri summa ac mirifica potestate; eiusdem perenni, sua in Cathedra, per continuum præsidium præsentia; *ibidem.* Denique de successoris eius præcipua solicitudine, vnitatis nimirùm Ecclesiasticæ asserendæ Apostolica cura: Angelicoque conciliandæ in Ecclesiis concordiæ officio, *p.* 376.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infrascripti Doctores sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis fidem facimus attentè perlustrasse, atque accuratè perpendisse librum cui Titulus est. *De Episcopali Monogamia, & Vnitate Ecclesiastica, &c. Auctore D. Andræa du Saussay Parisino S. R. E. Protonotario, Ecclesiaste Regio, necnon SS. Lupi & Ægidij in Vrbe Pastore.* Opus sanè incredibili eruditione refertum, maximóque labore concinnatum; in quo, tantùm abest, vt aliquid ab orthodoxa fide alienum repererimus, quin potiùs omnia doctrinæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ vndequáque consentanea, ipsiusque vnicæ Christi sponsæ vnitati, quam Seruator ipse Christus Dominus fuso sanguine consecrauit, sarciendæ; paci quam Christianæ pietatis signaculum & fulcimentum esse voluit, serendæ; & asserendæ Sedium Episcopalium stabilitati, Antistitum dignitati, Summi Pontificis auctoritati; quin & Matricium Galliæ Ecclesiarum antiquitati ac nobilitati illustrandæ, admodùm congrua & apposita in eo deprehendimus. Quamobrem librum ipsum, quem ex diuinarum Scripturarum oraculis, Conciliorum Oecumenicorum ac probatarum Synodorum statutis, Summorum Pontificum responsis & decretis, Sanctorum Patrum documentis, primæ notæ Theologorum placitis, atque cùm sacræ, tùm prophanæ historiæ exquisitis obseruationibus Auctor præfatus, velut apis argumentosa è plurimis pulcherrimisque flosculis fauos persuaues, expressit ac congessit, comprobamus: atque vt lampadem fulgentissimam Ecclesiæ sacrario appendendum, hoc est in lucem, vt lucem exerat quamprimùm emittendum, ad Dei gloriam, Ecclesiæ decus, doctorum virorum oblectationem, Christianæque Reipublicæ communem vtilitatem, vnanimi astipulatione censemus, consonisque etiam votis peroptamus. Lutetiæ Parisiorum anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo primo, die sexta mensis Iulij.

DE Y. — TALON.

S. DE MONTEREVIL. — F. IOAN. PELLETIER.

F. YVO PINSART. — A. DE BREDA.

CAPITVLI LINGONENSIS
Comprobatio.

NOs Decanus & Canonici Cathedralis Ecclesiæ Lingonensis capitulatim conuocati, librum nobis exhibitum ab insigni viro D. du Saussay S. R. E. Protonotario, Sacrorum Canonum Doctore, necnon Ecclesiæ sanctorum Lupi & Ægidij Parisijs Pastore vigilantissimo, cui synopsis est, *De Episcopali Monogamia & vnitate Ecclesiastica dissertatio, seu insignis Ecclesiæ Lingonensis diuortium & scissuram detrectantis pia ac necessaria defensio*, communi totius Ecclesiæ nostræ menti conformem, Sedis Apostolicæ & Romanæ decretis consonum toto sinu recepimus; Doctorúmque sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, DD. de Y, Talon, de Montereul, Pelletier, Pinsart, & de Breda sententiam sequuti, eorum calculo eruditum hoc opus semel munitum, extra Catholicæ Religionis aleam positum asserimus. Siquidem vtrâque manu versatum, integritatis, veritatis, pietatis, modestiæ, eruditionis plenum, pacis alendæ, multorumque nominum capacem censuimus, meritòque nostræ Causæ patrocinium luculentissimum, Capituli Lingonensis firmamentum, multis documentum, posteris monumentum, & Ecclesiæ nostræ palladium tutissimum iudicamus. In quorum fidem Secretarij nostri Chirographo hanc tabulam subsignari, & Sigilli nostri appensione muniri iussimus. Actum Lingonis die vigesima mensis Februarij, Anno Salutis millesimo sexcentesimo trigesimo secundo.

De mandato Dominorum

REGNARD.

DE




DE EPISCOPALI MONOGAMIA, ET VNITATE ECCLESIASTICA DISSERTATIO;

SEV INSIGNIS ECCLESIÆ LINGONENSIS DIVORTIVM ET SCISSVRAM DETRECTANTIS, pia ac necessaria defensio.

PRÆFATIVNCVLA

Huius quæ dißidij causam edisserit, conatúmque exprimit Reuerendiss. Episcopi Lingonensis.



VLCHRE equidem magnus ille Martyr & Pontifex Ignatius, qui Christum in carne viderat, & venerabile IESV nomen cordi intimè affixum & inscriptum perferebat, Apostolorum asseclam atque discipulum Polycarpum, Angelum illum Smyrnęorum Ecclesiæ (quem in Apocalypsi filius hominis rediuiuus, ouans triumphánsque, di-

lecti voce discipuli, blandè alloquitur, calamóque deprædicat, ob probatam fidem & virtutem eximiam, æternæ iam gloriæ candidatum, & corona vitæ dignissimum) officij admonens hortabatur, * VT GRATIA, QVA INDVTVS ERAT, CVRSVM SVVM PRODVCERET; LOCVM IN QVO POSITVS ERAT, TVERETVR; VNITATEM, QVA NIHIL MELIVS EST, AMARET ET EXCOLERET. Quæquidem sacra Apostolicáque monita, vt præcipuam Episcopi curam indicant & complectuntur: sic vtinam ab eo Præsule qui in Lingonensi Ecclesia Polycarpi sanctissimi ac gloriosissimi Antistitis gradu pręfulget, munereque defungitur, pari ac cætera Pontificia munia, quæ summa laude exequitur, obseruarentur, studio & diligentiâ. Certè nullus in præsentiarum expostulationi locus esset; sed eâ pace ac quietè omnia, ipsa in Ecclesia perstarent, quibus tot retro sæculis feliciter constiterunt. Non enim Ecclesia Lingonensis conqueritur, quòd Episcopum sit degenerem consecuta, quinimò ideò sibi iugiter gratulatur, ac plurimùm gloriatur, quod talem sortita sit his temporibus Antistitem, cuius virtus & pietas priscorum sanctissimorum Præsulum meritis, si non anteferri, iurè saltem coæquari possit: talis enim ac tantus est, vt de eo nemo bonus silere, nemo malus obloqui queat: vnde meritò quidam modernus sapiens, ipsi Ecclesiæ tali sponso ornatæ, sibique communi filio congratulatus *, eumdémque egregium Pręsulem admodum demiratus, insigni hac apostrophe, congruenter ipsum compellat atque affatur

* Epist. 5. cuius meminit S. Hier. lib. de Script. Eccl. in Ignatio.

* Ecclesia quando habet bonum Prælatum cōgaudendum est *Can. Non autem, & ibi Glos.* 1. c. 7. q. 1. Sic dudum cōgratulatus est Sidonius Apol. Bituricensi Eccl. ob Simplicij ad Episcopale solium promotionem: in oratione quam in sacris comitiis habuit, quando Simplicium ipsum ex credito sibi munere à se delectum, renūtiauit Episcopum: *Benedictus, inquit, Simplicius, hactenus vestri, iamque ab hinc nostri (modò per vos Deus annuat) habendus ordinis comes; ita vtrique parti vel actu, vel professione respondet, vt & respublica in eo quod admiretur, & Ecclesia possit inuenire quod dili-*

Æthereum munus nobis per sæcula missum
Virtutis specimen, cælestis regula vitæ.

Quæ verissima sui pastoris elogia Clerus & populus Lingonensis communi ore deprædicat; ipsáque Ecclesia, quia sponsi decora esse agnoscit, sua etiam esse ornamenta, mysticum ob nuptiale fœdus quo eidem copulata est, ingenuè profitetur. Verùm idcirco ipsa solùm conqueritur; quod qui, velut alter Polycarpus, *mirabili gratia indutus sit, cursum suum nolit, vt instituit, producere.* Nam *locum in quo positus est non amplius vult tueri*, sed Sedem aliò sacram traducere: *vnitatem* verò, cuius nexu Ecclesiæ suæ obstringitur, non illibatam vt hactenus seruare cupit, sed miro suscepto consilio, sensim dissuere, tandémque dissoluere contendit.

Est certè in Lingonensi * tractu DIVIO oppidum percelebre, olim castrum quidem exiguum, hac verò tempestate, Burgundiæ Ducatus qui Regi Christianiss. paret, vrbs primaria, ædium elegantia, multitudine ciuium, ac arcis firmitate cæteris præstans, hócque insuper maximè pollens decore, quod ibi totius regionis sit Senatus, Regiique Præfecti, seu Proregis ordinaria sedes. Porrò non tam his titulis aliisque sæcularis gloriæ ornamentis ea est ciuitas conspicua, quàm Sancti Benigni Presbyteri qui ab Oriente, vt sydus salutiferum has in partes Occiduas, à Sancto quem præmemorauimus Polycarpo Apostolorum auditore missus est, martyrio augustissimo quod anno circiter 169. sub M. Aurelio * illic perpessus est, famosa & illustris, sine cuius trophæi memoria, huc vsque profectò iacuisset & modica & ignobilis. Sed quantumuis ex exili pri-

gat. Si natalibus seruanda reuerentia est, &c. Illustris in vtraque conuersatione prosapia, aut Episcopis floruit, aut Præfectis: si annos eius computemus, habes efficaciam de iuuentute, de senectute consilium. Si literas vel ingenium conferamus, certat natura doctrina, &c. Extat post epist. 9. lib. 7.

* Pulchrè Gregor. Tur. Castrum Diuionense describit lib. 3. hist. Franc. c. 19. & ex eo Aimoinus lib. 2. c. 24. de gestis Franc. Sed & Petrus Sanjulianus Decanus Cabilonensis in limine lib. 1. de antiquitate & origine Burgũdionum, situm & iconem modernę Diuionis graphicè expressit, cui descriptionem præfixit eiusdem vrbis accuratam. Nuper verò Claud. Robertus eruditissimus Presbyter Lingonensis (cuius dicta sub anonymi Sapiẽtis elogio superiùs in contextu laudauimus) Diuionem præclaro opusculo cõplexus, multiplici encomio, eiusdem decora insigniuit.

* Chronicon Ab-

mordio, ad ſplendorem hunc quo clara cernitur, ſit prouecta; tamen huc vſque Eccleſiæ Lingonenſi, è cuius ſinu parentem ſuum ſuſcepit, obnoxia, Epiſcopóque diœceſano duplici iure ſubiecta, ſæculis ſupra decem perſtitit. Quod enim Lingonenſis Antiſtes, Par Franciæ, præter Pontificiæ poteſtatis decus, imperio etiam ciuili huic oppido præemineret: ideò Robertus Franciæ Rex Chriſtianiſſ. cupiens Burgundiæ Ducatum Henrico filio ſuo primogenito patrimonij iure regij, quoad ſceptra capeſſeret concedere; cum Lamberto Lingon. Epiſcopo pactum iniit, quo ius omne quod in Diuionenſi oppido Lingonenſis Eccleſia habebat in rem & fiſcum Regium prorſus tranſcriptum eſt: hácque ratione Diuio (vt incolæ ferunt) in ciuitatem & caput prouinciæ à Rege prouecta, Præſulis tamen Lingonenſis curæ & prefecturæ paſtorali, vt ab initio fuerat, obſtricta permanſit. Imò non tantùm Eccleſiaſtico eius imperio ipſa noua ciuitas obnoxia ſubiacuit, ſed ſequacium Antiſtitum paterno amore exculta, ampliſſimis beneficiis cumulata (quæ in eorum actis leguntur, adhucque in Templorum ſtructuris & dotibus cernuntur) præclara euaſit, adeóq; ipſos in ſuos Præſules emicuit procliuis & deuota, interim vt eorum mandatis nunquam immorigera reperta ſit, ſed exemplo perfectæ ſubiectionis & obedientiæ cæteris totius diœceſeos oppidis ſemper præierit: hoc decore pietatis illibatæ, perenniſque obſequij gloria, magis quàm alio quolibet ſplendore, ſacræ laudis cupida apud poſteros promerendæ. Et verò ſi poſteri maiorum huc vſque veſtigiis inhæſiſſent, laudabilis hæc adhuc moderatio vigeret, quæ Diuionenſi certè mu-

batũ ſancti Benigni Diuion Mss. quod nobis eſt in manibus, eum ſub Aureliano paſſum, vt & nonnulla antiqua ferũt monumenta, commemorat. At cùm huiuſmodi operis auctor paſſim inſinuet, (quod & acta Martyrij prodũt) Sanctũ Benignum fuiſſe S. Polycarpi diſcipulũ, fieri vtiq; nequit, vt ſub Aureliano pro fide decertãs, victor triumphũ peregerit ſuum. Aurelianus ſiquidem principatum nonniſi ſub ann. 271 exorſus eſt: ad quem perueniſſe Apoſtolorum auditoris aſſeclã, nulla permittit ratio aſtruere. Rectiùs igitur cẽſuêre, qui ſub M. Aurelio L. V. qui ann. 163. ſceptra Cæſarea capeſſiuit, agonem glorioſum obiiſſe ſanctũ Benignum aſſeuerãt. Qua ratione compulſus auctor ipſe Chronici Diuionenſis, eò adductus eſt, vt mendum in ſancti Benigni acta irrepſiſſe ſubindicaret. Fatetur enim tandem ſanctum hũc Chriſti pugilem, extrema ſub Aurelio Imperatore perpeſſum: quem vulgo (hoc eſt perperam) Aurelianum dictum fuiſſe, ob voculæ

nicipio, non minus ornamenti conferret, quàm qui nouo ambitu ipsi iam quæritur honor cathedræ Episcopalis. Verùm aliud visum est fastuoso hoc sæculo expetendum, quàm quod anteriorum temporum religiosa simplicitas exoptârit. Iugum Lingonensis Ecclesiæ, quod suaue hactenus & leue vsu probatum est, durum & intolerabile Diuionenses aliquot censuerunt. Nempè, non quod reipsâ sic esset, (quid enim aut dedecoris aut oneris si matris curæ filia subiaceat, si monitis eius pareat?) sed quia turpe & indecorum arbitrati sunt, Diuionem, vrbem Burgundiæ primariam, incolarum virtute, nobilitate, opibus, frequentia & amplissimo Parlamento insignem, Lingonensi ciuitati quæ nec Prouinciæ caput est, nec fortè pulchritudinem aut magnitudinem nouæ huius æmulæ exæquat, subiacere: quasi verò sic vrbs vrbi, & non potius plebs Præsuli, grex Pastori, proles matrici, parœcia Diœcesi, vti riuulus fonti, ramus stipiti, membrum capiti, inhæreret & suffragaretur. At ampliùs riuum esse, aut ramum vel membrum Diuio non sustinuit. Sed quod & iustitia & pietas vetat, subordinationis hierarchicæ pertæsa, vt iugô matris excussô proprij iuris fieret, secessionem nouissimo elabente sæculo molita est. Anno siquidem 1578. emendicatis trium Burgundiæ Ordinum suffragiis, oppidum suum Diuionenses, à suo capite diuelli, ibique nouum Episcopatum erigi, nouam Ecclesiam Cathedralem, ex Abbatiali, quæ Sancto Benigno sacra est, instaurari, Monachos excucullari, & in Canonicos sæculares transmutari, à Rege Christianissimo Henrico III. supplici libello depoposcerunt. Sed Rex pientissimus ratus suas non esse par-

affinitatem indigitat. *Tempus*, inquit, *prædicationis sancti Benigni 20. annorum fuit, in quibus per istam Galliam prædicando multos ad fidem Christi conuertit, &c. Imperator ergo Aurelius, qui & Aurelianus vulgò dicebatur, Diuionẽ Castrum ingressus, cõper. a sancti Martyris prædicatione, &c.* Ex quo syntagmate historico habes Aurelium mendosè cum Aureliano permixtũ, ansam erroris imperitis priscorum monumentorum exscriptorib⁹ præbuisse At errorem istũ profusiùs euicimus, atque explosimus omnino in nostra 72 Dñi discipulorum Synopsi n. 22. in Apelle, vbi de Polycarpi ætate atque obitu ex professo disseruimus, aduersus Pamelium disputantes de primo Smyrnæorum Ecclesiæ Episcopo, sup. illud Apocal. 2. *Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe, &c.*

tes de Sede Pontificali decernere, ad Summum Ecclesiæ Moderatorem, cuius curæ & arbitrio Rex cœlestis Hierarchiam Ecclesiasticam vniuersam commisit, rem totam edixit, vt pietas exigebat, referendam. Institerunt igitur apud sanctissimum Pontificem Gregorium XIII. qui tunc Petri Cathedræ, summo non minus virtutis quàm dignitatis decore, insidebat, modis omnibus Diuionenses, vt votorum compotes fierent, nouámque quam ambiebant tanto conatu prærogatiuam peculiaris Pótificij consequerentur. At ex aduerso steterunt Carolus Scarsius dignissimus Lingonum Antistes, cum Decano & Capitulo eiusdem insignis Ecclesiæ, qui zelo non tam tuendæ dignitatis, quàm canonicæ propugnandæ æquitatis excitati, nouitatem eiusmodi, in suæ Ecclesiæ excidium, & venerandæ antiquitatis ludibrium, totiúsque Gallicanæ Hierarchiæ scandalum vergentem, vigore planè sacerdotali cohibere & exscindere enascentem omni studio curauerunt. Datis enim pridie Cal. Ianuarij anni superiùs designati, ad prædictum Summum Pontificem supplicibus literis, non modò insinuarunt, conatum Diuionensium esse prorsus Pontificiis legibus & sacris canonibus repugnantem, Ecclesiæque non tantùm Lingonensi, sed & Gallicanæ, adeóq; vniuersali noxium: (quamobrem omni ratione explodẽdum esse astruxerunt;) verùm etiam reipsâ effecerunt vt Pontifex Maximus, pro ea qua pollebat dignitate & prudentia, re maturè ac sapienter ponderatâ, Diuionensium postulata illicita censuerit, & irrita reddiderit: denegatâ illis, quam tanto ardore flagitabãt, emancipatione, ab Ecclesiæ matricis Lingonẽsis gremio ac imperio, & no-

uæ prorsus recusatâ Cathedræ Episcopalis erectione. Sic igitur imposito, Apostolica auctoritate, Diuionẽsibus silentio, conticuerunt vel inuiti vsque ad fortunatissimum HENRICI Magni Galliarum Augusti principatum: quo florente, rati se ob vrbis suæ splendorem, & eam quam iniuerant apud clementissimum Regem gratiam, facili negotio impetraturos, vt Regio assensu & fauore, Episcopale decus Diuioni à Pontifice Maximo Clemente VIII. ipsimet pio & inclyto Regi addictissimo, tandem concederetur, voti vt compotes fierent, machinas omnes adhibuêre. Sed frustrà ab eis repetitus fuit eiusmodi conatus: nam Rex æquè religiosus ac inuictus, nullis se passus est ambitiosis suffragationibus affici, sed maiorum pio tramiti inhęrens, totius huiusce postulationis summam ad supremi Ecclesiæ Pręsidis, reuocandam esse arbitrium, vt par erat, decreuit: ideòque ad Sedem Apostolicam ablegauit solemni oraculo, adeò auidos noui Episcopatus appetitores. Huic verò, luctuoso casu abrepto glorioso Principi, cùm diuino munere generosa proles, meritissimúsq; hęres LVDOVICVS XIII. rê priùs quàm nomine Iustus successisset: Diuionenses sub huius felicibus auspiciis rem sępiùs tentatam aliquando perficere, & tandem optatis frui posse arbitrati sunt. Cęterùm cùm nonnihil de suo iure diffiderent, nihilque præter æquum à Iustissimo pientissimóque Rege obtinere pręsumerent, nouo inito consiliô cœpta prosequi aggressi sunt. Nempè quia negotium sub ipsorum nomine inchoatum, & toties tentatum parum prosperè processerat; alio ore & colore id proponendum existimauêre. Mira siquidem indu-

ſtria effecerunt, vt qui conatuum ſuorum impugnator pręcipuus eſſe debuerat, eorumdem ſtudioſus patronus ac ſuffragator redderetur. Officiis & blandiciis demulcere, quem experiri principalem potentiorémque ſui ambitus aduerſarium verebantur, (ipſum ſcilicet Reuerendiſſ. Epiſcopum Lingonenſem,) ſtuduerunt: ſpeciéque obtenta pietatis, quam impensè colit, ſuggeſſerunt è re eius, magis quàm ipſorum Diuionenſium eſſe, vt Cathedra Epiſcopalis Diuione Apoſtolica & Regia auctoritate inſtauretur. Ne verò ingenioſa hæc perſuaſio, alia quàm peruia & conducibilis appareret, ſolerter ſubiunxerunt, ſine Epiſcopalis Eccleſiæ Lingonenſis diſpendio, at ſummo cum ipſius Epiſcopalis dignitatis incremento, adeóque & Epiſcopi honore, ac populi commodo, dignum hoc æterna memoria facinus, ab eodem Antiſtite iniri & peragi poſſe. Nimirum ſeruatâ illibatè Lingonenſi Eccleſiæ matrici ſacri honoris pręrogatiuâ, eiuſdem facilè eſſe, Diuionenſi ciuitati Pontificalis dignitatis conſortium impertiri, erectâ in aliqua eiuſdem vrbis ſpectabili æde Collegiata vel Abbatiali, Cathedra Epiſcopali, cui vnus idémque Pręſul, Lingonenſis ſcilicet, qui & Diuionenſis nuncupetur, vti vnicæ Pontificiæ pręfecturæ ſolio inſideat: hácque ex gemina ſpecula paſtorali, vniuerſi gregis ſaluti æquis obtutibus proſpiciat. Grata fuit, quia recta & fructuoſa viſa eſt, eiuſmodi propoſitio Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Lingonenſi; quamobrem pium eſſe ducens & compendioſum hac via progredi, his ſuggeſtionibus lubenter aſſenſus eſt. Rei igitur gerendæ & promouendæ ſeſe & auctorem & actorem conſtituit: pro eáque qua pol-

let auctoritate, tantùm, vt auspicatò cederet, negotium, à Regis gratia & opitulatione exorsus est; supplici exhibito eius Majestati libello, quo binam Cathedram Episcopalem vna in Diœcesi sua licere sibi instaurare efflagitat. Quia verò Regij non est muneris Sedem Episcopalem erigere, vel geminare: sed Apostolicæ ius est & functio potestatis: petit vt Regiis iuribus saluis & illibatè vigentibus, fas sibi sit apud Summum Ecclesiæ Pastorem vota sua persequi, sicque agere vt vno manente Episcopatu duabus in Cathedris sibi liceat præsidere, Sedémque secundariam constituere, quæ eodem cum altera Pontificali decore fulgeat, & æquali sacri principatus honore potiatur. Porrò vt rem æquam esse & piam admodum quam postulat insinuet; his suam petitionem fulcit rationum plausibilium momentis.

I. Dicit Ecclesiæ S. Mametis Episcopale decus non ideò detrahendum, sed pari gloria & dignitate vtramque Sedem decorandam fore.

II. Id vsu receptum, cùm in ipsius Galliæ sinu, tum in diuersis Orbis Christiani quaqua latè patet partibus, maximè Occiduis.

III. Exponit, Sedem nouam Diuione in Capella Regia instaurari decere ac debere: subindicans se sacrum hunc locum præ cæteris deligere, cùm ne aliorum Præsulum, Abbatum scilicet S. Benigni & S. Stephani iura imminuat, Monachorúmque disciplinam concutiat ac perturbet: tum quia nobile est ibi sodalitium Canonicorum qui sibi assistant & seruiant, gradúsque Episcopalis Ecclesiæ repleant spectabili corona; tum denique quia nihil his optatis Decanus ipse & Canonici Diuionenses aduersentur;

quin potius vltrò consentiant & astipulentur.

IV. Etsi thronum Episcopalem ibi constituat, non iura sibi Episcopalia in pręiudicium Regis velle ascribere: sed collationes præbẽdarum Regi, vt anteà fuerunt, proprias & liberas spondere concessurum. Nihil quoque hac erectione derogatum iri, verẽdum esse, piis fundatorum intentionibus, vt nec priuilegiis & immunitatibus hactenus Decano, Canonicis & Capitulo regiæ huius Ecclesiæ indultis & attributis.

V. Regiam Majestatem nullum dispendium inde perpessuram esse: quinimo multiplex hinc decus & commodum ipsi obuenire posse; quandoquidem cultus diuinus maiori cum splendore in vrbe toto orbe Gallico conspicua, peragetur: Episcopi enim præsentia & majestate multum ornamenti & gloriæ cùm Ecclesiæ, tum Sacerdotio, tum ipsi sacrificio accessurum.

VI. Sic benè prospectum fore statui Diuionensis Ecclesiæ, quæ Episcopali præsentia multum indigeat, ad compescẽda quæ passim ob absentiam eius emergunt scandala & abusus. Hoc enim noui honoris accremento Episcopum ipsum vigilantiorem atque studiosiorem futurum gregis huius sui, commodi & salutis.

VII. Astruit regiæ Capellæ Diuionensi, nouæ huius prærogatiuæ accessione, multum dignitatis cõparari. Enimuerò cùm Sacellum hoc sacrosanctum ipsa sit Regiæ Majestatis parœcialis Ecclesia, hinc equidem recipiet non exile honoris incrementum, quod pro vertice non amplius Decanum sacrificulum agnoscet, sed Pontificem obtinebit, & ipso Præsulatus apice illustrem, & munere Regij Curati conspicuum.

VIII. Deniq; votis suis obsecundãdum contendit ob alias plurimas rationes, eásque vrgentissimas, atque adeò non solius regiæ Capellæ decori ac vtilitati conferẽtes, sed vrbis totius (cuius id splendor deposcit) ornamẽto ac cõmodo omninò appositas & cõgruentes.

His igitur causis & rationibus concinnatam supplicationem, cum Christianissimo Regi, deuotè Reuerendiss. Antistes & Dux Lingonensis obtulisset; Rex vt tantæ molis negotium, ea quâ par est disquisitione excuteretur, petitionis eiusmodi summam ad sacri sui Consistorij examen referri iussit. Porrò togati Proceres, *Cæsari quæ Cæsaris sunt, reddentes: Deo* autem eiúsque Vicario, *quæ Dei sunt* sanctissimè deferentes*, erectionis quidem auctoritatem, & eius vtilitatis & necessitatis dijudicationem, supremo religionis Antistiti, Episcoporum Principi, ac œcumenico Ecclesiæ Pastori, syncera pietatis obseruantia retulerunt. * Quòd verò ad Regis spectat interesse, censuerunt, nullum Regiæ Majestati ingenerari præiudicium, si deprecatorem sineret apud Pontificem Maximum, erectionem nouæ Sedis in Capella regia Diuionensi procurare, atque (si ita decreuerit Pontifex) impetrare & consequi: Modò Ecclesia Sancti Mamantis Lingonensis, Cathedræ Episcopalis honorem retineat, Regique Christianissimo remaneat, collationis beneficiorum suæ ipsius Capellæ Diuionensis ius intemeratum, Decanique & Canonicorum gradus, immunitates & priuilegia, aliáque iura hactenus illis concessa, & in hunc vsque diem propagata, salua & inconcussa in posterum perseuerent.

Et benè quidem est quod Iustissimi ac inuictissimi Regis rectitudo & pietas * hoc decreto sapien-

* *Pulcrum imperiorum est seruare Religionem & pietatem, quam Princeps semper praeferre debet: vtque eius est in omni virtute populo praire, ita in Religione maximè, quæ Princeps est & caput virtutum.* Lipsius lib. de vna Relig.

* Placito Consistoriano edito Lutetiæ Parisiorum die 19. Febr. anno 1630. obsignato De Creil.

* S Fulgent. lib. 2. de veritate prædestinationis & gra-

tissimo integræ defensionis locum Ecclesiæ Lingonensi, coram supremo Ecclesiæ Iudice patere voluit. Nam ideò super petitione eiusmodi, Capitulum Lingonense minimè credidit audiendum aut accersendum: quoniam rem integram Apostolicæ Sedis iudicio discutiendam & terminandam more Maiorum, imò lege & praxi Christiana, religioso prorsùs ductus consilio, & filiali in Pastorem supremum reuerentia affectus, æquum & pium relinquere existimauit. Immortales igitur gratias Deo rependit Lingonensis Ecclesia, *qui hanc voluntatem dedit in cor Regis*, vt iura sua nihil passus sit repentino conatu imminui: sed summo æquitatis libramine (iudicij sacrorum auctoritatem religiosè detrectans) voluerit ipsimet Ecclesiæ, citra vllam regiæ Maiestatis offensam, fas esse * apud totius Ecclesiæ curatorem & moderatorem, cœlique ipsius clauigerum, ac Christi Vicarium supremum, iura sua tueri & persequi, nouáque quæ in suam libertatem & dignitatem struuntur molimina, iusta defensione abs se depellere, atque properè amoliri. Iure igitur *inculpatæ tutelæ*, excita ipsamet Ecclesia Lingonensis, vbi fama percepit, suum Episcopum, ad Sedis Apostolicæ cognitionem sua postulata retulisse, canonicæ oppositionis remedio censuit sibi esse, à dispendio, quod sibi imminet, præcauendum. Non autem has in angustias coniiceretur nisi ipse suus, quem summoperè colit, Antistes, æmulorum gloriæ suæ studiis præoccupatus, aures innatæ benignitatis, suis precibus & cõmonitionibus humillimis occluderet, ac nulla ratione ab instituto diuelli pateretur. Ægrè igitur fert admodum nobilis illa Ecclesia, quod sponsi sui tot nominibus amabilis, votis

tiæ iusti Regis pijque iconem, qualem omnino Ludouicus XIII. nostris diebus præfert, genuinè prorsùs expressit. *Is*, inquit, *vas est misericordiæ præparatum ad gloriam, qui in Imperiali culmine recta fide viuit, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiicit. Magis timore seruire Deo, quàm in timore dominari populo delectatur. In quo lenitas iracundiam mitigat, ornat benignitas potestatem. Qui se magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibet, subiectis salubriter consulit: iustitiam sic tenet, vt misericordiam non relinquat. Qui præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminit filiũ, vt eius paci atque tranquillitati per vniuersum mundum prodesse faciat suum principatum. Magis enim Christianum regitur atque propagatur imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cùm in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur.*

* Mos iste cum Christiana religione in Gallia re-

compellatur, in augustissimo Religionis Christianæ theatro, adeóque coram ipso religionis apice, summo vtique Pontifice refragari: cuius amorem & gratiam quibusque syncerae dilectionis indiciis, assiduis obsequiis, intimisque affectibus studuit hactenus sibi deuincire & promereri: rata nihil sibi honorificentius & conducibilius esse posse, quàm illum perpetim excolendo, reuerendo, complectendo, eximiæ beneuolentiæ nexibus sibi obstringere. Verùm quia res eô deuoluta est, vt ipsemet Reuerendissimus Episcopus, animũ suum ab Ecclesia sua abalienauerit, & in aliam, quæ ex huius dispendio gestit crescere, suos traduxerit amores; cogitur Capitulum Lingonense pro matre sua hac in causa insurgere: quoniam enim illa præ dolore iustos voce nescit questus exprome-re, Decanus & Canonici qui post Episcopum natiui sunt ipsius Ecclesiæ defensores, eidem hoc in discrimine opitulari, & omnibus modis suffragari ex officio astringuntur. Enimuerò quia Senatum constituunt Ecclesiasticum *glos. fin. in can. Ecclesia habet* 16. *q*. 1. Ecclesiæ non modò dignitatem seruant, sed & eius iura vindicare debent & tueri aduersus quoscumque impetitores, itavt etiam cum proprio Prælato possint litigare, *glos. debeant in cap edoceri* 21. *de rescript. l*. 1. & hoc sine curatore, *cap cùm Ecclesia de elect*. 31. Imò potest Capitulum contra suum Prælatum constituere propria auctoritate actorem, *glos*. 3. *in c. edoceri præcitatum addit. licet*. quin ex Canonicæ ipsius legis præscripto potest irritare factum Prælati tendens ad Ecclesiæ præiudicium *, quia sua interest, *cap. dilecti de Maior. & obed. & ibi glos. appellar*. Multo magis igitur, impugnare in iudicio. Quia nimirùm Capituli

ceptus, apud priscos etiam Frãcorum Reges inualuit, vt grauiores Episcoporum causæ ad Sedis Apostolicæ examẽ remitterentur: Regiòque etiam rescripto supplici interpellaretur Summus Pontifex, vt sua auctoritate quæ suprema est, subortas de rebus aut personis sacris controuersias cõponere dignaretur. Testis est Gregor. Tur. lib. 5. hist. c. 20. Damnatos insuper Præsules Gallicanos à Coepiscopis, ex canonum præscripto ad supremum Pontificis Apostolici iudicium prouocasse, atque si innocentiam cõprobassent, Sedibus quibus exacti fuerant Pontificia iussione restitui consueuisse, idem prodit Scriptor libro 2. c 1. & lib. 10. c. 31.


* Hine Innocentius III. speciali rescripto mãdauit Capitulo Lingonẽsi, vt reuocaret ad ius & proprietatem Ecclesiæ sacras possessiones quas alienauerant Episcopi, sine consensu Capituli. Extat lib. 3. registri eiusdem Innocentij sub an. Pontificatus 15.

ſuppoſita, ſunt præcipua membra Eccleſiæ, quæ de corporis incolumitate magis debent eſſe ſollicita. Idcircò non ex animo refragandi Cathedratici Lingonenſes ſeſe Epiſcopi ſui votis & conatibus obiiciunt, ſed ex mero officio quo obſtringuntur Eccleſiæ iura & dignitatem tueri ac propugnare. Vnde quibus poſſunt affectibus, ipſum ſuum Antiſtitem humillimè deprecantur, ne iniuriam ſibi inferri reputet, quòd aduerſus ea quæ contendit, enitantur: cùm id nonniſi inuiti faciant, Canonibus obſtricti, neceſſitate compulſi, & ne officio ſuo defuiſſe poſteris videantur. Quamuis autem hac in cauſa neceſſe ſit, ad tuendam & fulciendam oppoſitionem quam Romana in Curia nuper ediderũt, his quæ in ſupplici libello expreſſit Reuerend. D. Lingon. intẽtionis eius argumẽtis ac rationibus reſpõdere: PRÆFANTVR IN PRIMIS ipſimet Decanus & Capitulum, nihil ex his quæ pro cauſæ ſuæ iuſtitia hac in defenſione dicturi ſunt, dignitati, honori, & reuerentiæ quam Præſuli ſuo meritiſſimo debẽt, derogatum iri: quinimò eandem in omnibus ſaluam fore & intemeratam ſe admodum percupere. Sed quia etiam Eccleſiæ Doctorum dicta vim Canonum non habent, ideóque reprobari poſſunt *can neque quorumlibet diſt. 9.* ſed quando reprobantur, debent ſemper cum reuerentia impugnari: *ibidem.* Præmiſſo debitæ venerationis obſequio, Cathedratici Lingonenſes, rationes & motiua quæ ſuggerit Reuerendiſſ. Epiſcopus in ſuæ petitionis ſyngrapha: ſaluo ipſius honore poſſunt ſaluâ etiam conſcientiâ excutere: Canonica enim cùm ſit auctoritas, Doctorum ſcriptis in tantum credendum eſſe, in quantum veritati conſonant, & ſic in appro-

bandis ſententiis non debere reſpectus haberi ad auctoritates perſonarum, ſed ad rationes vrgentes *can. Ego ſolis diſt.* 9. * hac ſanè regula, quæ ſacra eſt, hoc in diſſidio vtentur: ſepoſitâ enim auctoritate ſupplicantis (quam illibatam ſemper cupiunt, vt obteſtati ſunt, conſeruare:) rationum momenta, quibus poſtulata ſua æquè concedenda eſſe inſinuat, ſic expendent & diſcutient, vt petitionem ipſam quæ his fulcitur, nulla firmitudine niti oſtendant; ſed penitùs canonicæ auctoritati, Eccleſiaſticæ praxi, æquitatis legibus, veræque rationi refragari: Inſuper & eādem periculoſum in exemplum vergere, necnon Sedis Apoſtolicæ præiudicium, Gallicanæ Eccleſiæ diſpendium, vniuerſalis ſcandalum, Lingonenſis excidium tendere perſpicuè propalabunt.

* *Nec ſanctitas perſona prodeſt, vt citius credatur*, Gloſ. ib. & 50. diſt c. ſi quis præpopera.





PARS PRIMA.

IN QVA DISCVTIVNTVR rationes, quibus subnixus ipsemet Reuerendiss. Præsul Lingonensis, geminam nititur Cathedram suo in Episcopio instaurare: planéque ac perspicuè eadem diluuntur.

RATIONEM in humanis actibus obtinere principatum, esséque horum omnium primum principium, præclarè insinuat Theologorum princeps, 1. 2. quæst. 90. 2. cap. Ab hac enim, omnia alia principia pendent, eique suo quæque modo suffragantur. Et hoc quidem duplici iure. * Ratio enim est dupliciter causa aliquorum, vno modo sicut necessitatem imponens, altero sicut inducens & disponens. Nam homo facilè ratione subigitur, ipsique non modò, quasi naturæ lege obstrictus necessariò acquiescit, verùm & lubens suaui eius energia irretitus & illectus, eidē paret & obsequitur. Quamobrem Philosophorum Coryphæus Regem maximum hortabatur, vt ratione potius quàm vi & imperio homines gubernaret. Id enim natura aiebat comparatum esse, vt magis ratione quàm violentia homines ducerentur; hósque Principes qui ratione vtuntur, & cum hac volunt omnia agere, bonos & opti-

Seneca epist. 76. *In homine optimū quid sit? Ratio.* Id ex professo demōstrat Sidonius Apoll. lib. 7. ep. 14.

* Idem 2. 1. q. 83. 1. c.

Epist. ad Alex.

mos censerent; eos verò qui contrario modo se gererent, contraria haberent existimatione. Causam solerter attigit, in suis de *vtilitate credendi* commentariis præcipuus Ecclesiæ Doctor, vbi obseruat rectè fieri reputari quicquid à recta ratione proficiscitur. Vnde cùm nihil violenter aut inordinatè, præsertim à mystici regni Magistratu, fieri deceat, sacræ sanciunt regulæ, nihil Episcopo licere aggredi in Ecclesia, quod alicuius sit momenti, de quo non debeat postulatus rationem reddere, *can. Chorepiscopi, & ibi glos. & quod dist. 68. & glo. cùm extra in cap. vt animarum de Const. in 6.* Est igitur quod in præsenti negotio singularem moderationem D. Antistitis Lingonensis nonnihil commendemus, qui quod aggressus est non tam vi & auctoritate persequi, quàm ratione niti peragere, quasi datâ operâ vult videri. Quapropter & conamina sua piæ postulationis titulo cohonestat, & optatis suis rationum momenta, quibus iusta & religiosa pateant, solerter pro munimento supponit. Porrò cùm in omni negotio (ait Hugo à S. Victore *lib. 3. Didasc.*) duo sint necessariò consideranda, ratio nimirùm & opus: vsu tamen receptum est vt rationem & causam magis quàm ipsum factum consideremus & discutiamus, vt notatur *glos. fi. in cap. debitum de Bigamis l. 1. tit. 21.* Hinc igitur, vt ea quæ agitur controuersia rectè & ordinatè pertractetur, causas & rationes quibus innixus nouæ Sedis, binæque Episcopalis Cathedræ vna in terminatione, priscáque & hactenus indiuisa Lingonensis Ecclesiæ Diœcesi, excitationem, ipsemet Præsul Reuerendiss. affectat & persequitur, operæpretium expendemus, vt perspicuè eniteat, vtrum iusto ductus æquitatis libramine,

id quod molitur exoptet, vel abs re & tenui persuasionum fultus congerie, id ipsum quod contendit in Diuionensis Capellæ incrementum assequi percupiat.

PRIMA igitur ratio (quam serie postremam, etsi reipsa præcipuam Episcopalis petitio constituit) desumpta est à splendore vrbis, quæ cùm sit, vt ipsemet insinuat Reuerendiss. Antistes, vnà ex Imperij Gallici præcipuis ac insignioribus, suo quasi iure Episcopale decus, quo ferè vnico caret, exigere videtur. Qua certè insinuatione, pace eius dictum sit, non obscurè prodit quo fine & affectu, hanc gloriam ipsimet vrbi procuret & conciliare studeat; nempè vt ipse ex maiori populi frequentia ciuitatisque amplitudine & nobilitate, nouum ampliorémque splendorem, noua illic stabilita Sede, sibi quærat & vendicet. Non autem permittit statuta moderatio, hîc referre Patrum dicta & canonicas sanctiones, quæ hunc ambitum in Episcopis acerbiùs reprehendunt. Extant certè in vetustissimo Concilio Sardicensi sancitæ leges, quibus insigniorum locorum appetitores acriter perstringuntur. Sic enim ibi legitur can. 1. & 2. Osius Episcopus Cordubæ dixit: *Non minus mala consuetudo quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de Ecclesia sua ad aliam transire. Manifesta est enim causa quia hoc facere tentat, cùm nullus inuentus sit Episcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem transiret: vnde apparet, vel auaritiæ ardore eos inflammari, vel ambitioni seruire, vt dominationem agant: si omnibus placet eiusmodi pernicies sæuiùs & austeriùs vindicetur, vt nec communionem laicam habeat qui talis est. Responderunt omnes, Placet.* Porrò post ipsius Concilij sacras Consti-

tutiones missa est ad omnes Ecclesias Epistola Synodica, qua Patres, Arianos Episcopos huius ambitus auctores ac propagatores commemorant, & damnant solemni anathemate. Sic & Liberatus Carthaginensis Diaconus refert in Breuiario de causa Nestorij & Eutichetis, Agapetum Pontificem, Antimum Antistitem damnasse, hac maximè de causa, quòd ambitione motus, relicta priori Cathedra, ad vrbis Regiæ Constātinopolis commigrasset Sedem. Nota verò est quibusque sacræ antiquitatis indagatoribus, sancti Gregorij Nazianzeni vel spontanea exturbatio è Sede ipsa Constantinopolitana. Cùm enim è Concilio Antiocheno missus fuisset ad reparandam Ecclesiam Constantinop. dirè ab Arianis dilaceratam & ferè prostratam, ibique adeò strenuè aduersus Hæreticos egisset, vt ab orationibus de Theologia habitis, Theologi cognomen demeruisset; expetitúsque à Catholicis constitutus fuisset illis Episcopus, à Petro Patriarcha Alexandrino, eáque etiam in Sede à Concilio œcumenico Constantinopolitano confirmatus: nihilominus quia post ipsam Synodum aduenientes Ægyptij Episcopi, illi de Sede illegitimè occupata negotium facessebant, arguentes quod contra leges Ecclesiasticas de modicæ ciuitatis Sede, ad Regiæ vrbis Cathedram emigrasset; ipse huius iurgij pertæsus, ne ambitum videri posset exemplo suo fouere, sponte se abdicauit, & mox Nazianzum reuersus est, editâ priùs luculenta cedróque digna orationê ad 150. Episcopos de non affectata Cathedra Constantinop. quæ hactenus inter aurea eius opera extat. Legitur insuper in tertio Concilio Carthaginensi, compressi ambitiosæ commigratio-

nis exempli, notatu digna historia capitulo 38. Illic enim visere est vti Cresconius Villæregiensis Episcopus, qui propriam Ecclesiam aspernatus, plebê sua relictâ, in Tuburiensis vrbis, quæ certè clarior erat Ecclesia, sedere contra Ecclesiastica statuta præsumpserit: quapropter primùm à Concilio Capsensi damnatus, cùm antiquam Sedem nollet repetere, auctoritate Synodica Patrum Carthagine considentium, totaliter exclusus est. Hinc in Concilio quarto Carthaginensi, cui interfuit sanctus Augustinus, regula 27. condita fuit, quæ sic habet: *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat* Quæ profectò regula & à Summorum Pontificum antiquissimorum decretis manauit: vt constat ex Epist. 1. Anteri Papæ ad Episcopos Hispaniæ: quin & sequacibus Apostolicis Præsulibus rata grataque adeò fuit, vt hanc seruari vbique præceperint; sic enim sanxisse comperiuntur inter cæteros Pelagius Primus epist. 2. ad Benignum Archiepiscopum, & Nicolaus I. in epistola ad Hincmarum Rhemensem Archipræsulem, * quam in hunc finem laudat Gratianus dist. 8. c. *mala consuet.* Obtinuit autem olim eadem politia in Ecclesiis Galliæ. Nam in Concilio 2. Arelatensi quod sub sancto Leone actum est can. 13. excommunicatur expressè Episcopus, qui quacunque occasione, propriam relinquens Ecclesiam in aliaque sedens, ad proprium locum interpellatus non vult redire: In Canonibus autem è Synodo Romanorum missis ad Gallos circa tempora Caroli Magni, secundùm quæstiones ab illis pro positas, n. 13. Ecclesiastici violati pudoris reus iudicatur Episcopus, qui relicta sua Ecclesia ad aliam Ecclesiam transierit: iubetúrq;

* Imò & Leo magnus epist. 84. ad Anastas. Thessal. c. 8. qua sic edicit, *Si quis Episcopus mediocritate ciuitatis suæ despecta, administrationem celebrioris loci ambierit, & ad maiorẽ plebem, se quacũq; ratione transtulerit, non solùm à Cathedra quidẽ pellatur aliena, sed carebit & propria: vt nec illis præsideat quos per auaritiam concupiuit: nec illis quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri.*

tali piaculo teneri, ac si relicta vxore ad alienã accesserit: quod grauissima astruitur vindicandum censura. Sic autem in Concilio Aquisgranensi sub eodem Imperatore habito, iuxta antiquas Ecclesiæ sanctiones, definitum cernitur c. 24. qui de stabilitate Episcoporum & Clericorum, sub nota speciali, Sacerdotibus inscriptus est. *Item in eodem Concilio* (Calcedonensi) *nec non & in Sardicensi* (statutum est) *vt nec Episcopus, nec Clerici transmigrent de ciuitate in ciuitatem. De Episcopis vel Clericis qui se de ciuitate in ciuitatem transferunt, placuit vt Canones qui à Sanctis Patribus de his ipsis constituti sunt, suam habeant firmitatem.* Quæ Synodalis constitutio vetúsque ipsa regula Ecclesiastica à pientissimo illo Principe Carolo Magno, suis Capitularibus in disciplinæ sacræ monimentum inserta est lib. 1. c. 24. Cæterùm non est quod quis obiiciat, frustrà hos Canones & decreta hîc vrgeri, cùm non de transitu Episcopatus ad Episcopatum, quod vetant sacræ huiusmodi sanctiones, cogitet Antistes Lingonensis. Absolutè siquidem prohibent SS. Patres, commigrationem omnem quæ fit de Ecclesia aut ciuitate minus conspicua, ad maiorem aut nobiliorem vrbem; quoniam hæc transitio nonnisi ex ambitu & cupiditate amplioris gloriæ passim emergit. Quod virus vt de Ecclesiæ corpore excindant, tam seueris castigationibus animaduertunt in quosuis eiusmodi transmigratores, siue qui titulum minorem cum maiori commutârint, siue qui spreta ciuitate, vbi sita est propria eorum Cathedra, Sedem mutantes, in loco eminentiori voluerint Pontificio decore præfulgere. Id verò sic esse patet ex Concilio sexto Paris. sub Ludouico Pio c. 21. & Aquisgranensi 2. paulopòst celebrato

c.12. vbi distriĉtè Episcopis prohibetur, *ne principalem Cathedram Ecclesiæ suæ negligant, aut prætextu etiam quietioris secessus, diù alibi in Diœcesi, quàm in propria ciuitate immorentur.* Nimirùm quod benè aduerterent sapientissimi Patres, vno in Episcopatu, sicut in Lingonensi qui amplissimus est, permulta esse loca, castra, oppida, ipso Episcopali vel situ amœniora, vel mœnium amplitudine maiora, vel fortè etiam insigniora, sæcularis potestatis splendore. Igitur ne his illecebris Episcopi pellicerentur, sicque Ecclesias matrices desererent, & his in locis diutiùs lubentiúsque quàm in propria Sede degentes, Cathedram propriam despicere viderentur: (vnde Clero & populo non modo scandala, sed & dispendia grauissima poterant obtingere:) idcircò has inhibitiones ediderunt, quibus quasi fræno euagantes eiusmodi Episcopos coërcere, & gliscentem iam abusum maturè comprimere possent. Habet igitur ex his sanctissimis regulis Dominus Lingonẽsis vnde de suo facto dijudicare queat, cùm & neglecta ferè hactenus Lingonensi ciuitate, matriceque Ecclesia, propriáque & principali Sede, sæpiùs Diuione quàm Lingonibus immoretur, nuncque studeat penitùs ipsam suam Ecclesiam deserere, & binæ Cathedræ, quam exposcit, prætextu, extinctô sensim ipsius Ecclesiæ Lingonensis fulgorê, Diuione Sedem Episcopalem constituere, ibique, vt infrà palàm fiet, Cathedram figere, &, vt aiunt, residere percupiat: quod nihil aliud fuerit quàm Sedem commutare, vel prorsus transferre, propria veráque sponsa, cui adhærere debet ex ipso ordinationis suæ sacramento, relictâ vel contemptâ.

Nec verò primaria illa ratio quæ mouet ipſum Antiſtitem ad honorem Epiſcopalem Diuioni inferendum, conatum eius excuſat, aut laudabilem efficit. Quamuis enim Diuio ſit nunc ciuitas præclara, Lingona quæ certè priſcum decus retinet, illi non debet poſtponi, eiúſque incrementum, ſuo diſpendio promouere. Nec id decet Epiſcopum procurare, cui equidem charior mater quàm filia eſſe debet. Tenetur certè EpiſcopusEccleſiæ ſponſæ ſuæ iura tutari, de ea die ac nocte cogitare, nihilq; magis ſtudere quàm eius ampliare ornamentum & commodum: ſplendorem porro eius in gratiam alterius imminuere, aut amorem ſuum, ob nouæ coniugis affectum diſpertire, imò transferre, penitùs ab Epiſcopi officio & munere alienum eſt, pietatiſque debito & myſticæ vnionis ſacramento prorſus repugnat. *Nemo vnquam*, ait Apoſtolus *, *carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam: pro cuius ſanctificatione & ſalute mortuus eſt.* Sic & Epiſcopus qui vice Chriſti Eccleſiæ ſuæ ſpóſus eſt, * Eccleſiam creditam amare debet, exornare non ſpoliare, nutrire non diſcerpere, fouere non deſerere, ob alterius deſiderium. Hinc eſt quod vbi Apoſtolus præcipit Epiſcopum eſſe debere Monogamum, hoc eſt vnius vxoris virum, ſanctiſſimi Doctores ** de vnius Eccleſiæ nexu & amore quo obſtringitur Pontificali ſua initiatione interpretati ſunt. Idque ſignificari cenſuerunt, vnico illo anulo qui eidem in conſecratione datur. * Ad cuius ritus myſterium reſpiciens Innocentius III. Pontifex re & munere maximus, præclarè ſcripſit lib. 1. c.61. myſteriorum Miſſæ: *Anulus eſt fidei ſacramentum in quo Chriſtus ſponſam ſuam Eccleſiam ſubarrhauit,*

* Epheſ 5.29.

* Cap. inter corporalia de Tranſl Epiſc. lib. 1. decret. tit 7.

** S. Amb lib 4. de ſacer. cap. 4. Sanctus Chryſ. ho 2. in epiſt. ad Tit. S Aug. lib. de bono coniug c. 18. & S. Leo epiſt. 88. ad Afros, &c.

* Vide Medinam de pœnit. lib. 1. c. 16 § 1.

cuius custodes & pædagogi sunt Episcopi & Prælati, annulum pro signo in testimonium ferentes. In testimonium scilicet amoris, & signum vnici & fidelis coniugij. Cui congruenter Apostolicæ insinuationi, Demetrius Bulgariæ Archiepiscopus, in responsionibus ad Constantinum Cabasilam, ritus edisserens ordinationis Episcopalis: monet apud Latinos annulum gestari ab Episcopis, in signum mysticæ desponsationis, quam contraxerunt cum Ecclesia, virgine pura & munda, cuius cùm sint & dicantur sponsi, annulum recipiunt, vt *in Dei digito* ipsam seruare possint & protegere ab omni incursu & ludibrio. Nec alio sensu Stephanus Æduensis lib. de Altaris Sacramento c.11. * significationem sacri ipsius annuli accepit & explicuit: sic enim infit. *Annulus in digito Episcopi Ecclesiam cuius minister est, sponsam Christo associat, & fulgore suo dona Spiritus sancti fulgentia declarat*: quæ sanè in Ecclesiæ desponsatæ commodum pariter & ornatum debet Episcopus dispensare: id est, ad eius vnius quam vnicè suscepit colendam & complectendam, referre decus & gloriam. Ideóque in antiquis ritualibus cautum est, ne annulus qui Episcopo confertur, alio sit ex metallo quàm ex auro puro puto solidè conflatus, vnica gemma instructus, in qua nihil sculpi debet. Nimirum vt puro animi affectu, vnicóque cordis amore Episcopus Ecclesiam, quam in sponsam accepit, prosequatur: nec alterius imagine delectetur, aut specie illiciatur. Et verò si religiosi huius arcani Dominus Lingonensis memor esset, non in aliam suos amores trãsfundere cogitaret, non spósam suam spoliare niteretur: vt eius exuuiis aliam ditaret, monilibúsque detractis è collo fidelis coniu-

* Prodiit primùm ex Bibliotheca Riniacensi editus apud Henricũ Stephanum Parisiis, an. 1517. Deinde à Margarino de la Bigne Bibliothecæ SS. Patrum assutus fuit.

In peruetusto Põtificali ante annos 500. in membranis exarato, succincta habetur descriptio Episcopalis apparatus, quâ hæc de Pontificalis annuli mystica significatione produntur. *Annulum in digito gerit Episcopus, Pontificalis dignitatis indicium & fidei signaculum, quatenus sponsam Dei sanctam Ecclesiam intemerata fide custodiat.*

gis subintroductam exornare satageret. Canonica est querela : *qui me debet defendere, non me debet impugnare, glos. 2. in cap. si de Const.* * Durum igitur id admodum, est quod Episcopus Lingonensis, qui Ecclesiæ suæ, sponsæ vtique & nobilissimæ & fidelissimæ decora feruenti zelo & studio perenni, amare, seruare, ampliare debet; huius iura, dignitatem & gloriam in Diuionensis Capellæ commodum, imminuere & quasi detruncare velit : sicque Dominæ potiorem patrimonij & honoris portionem, in ancillam transferre, nuper à se concupitam. Et verò Diuionensis ciuitatis dotes & sacras & ciuiles, non inficior, potuisse ipsi conciliare diœcesani Antistitis beneuolentiam: bonos enim boni cupidos & amatores esse rerum vsu compertum est. Diuio autem præter sæcularis gloriæ & potestatis splendorem, ipsámque aëris & aquarum salubritatem, soli vbertatem, amœnitatémque summo insuper nitet pietatis feruore; tenacissima vtique auitæ Religionis, nouorum autem dogmatum penitùs inimica. Cæterùm duabus etiam nobilissimis Abbatiis S. Benigni, & S. Stephani, conspicua; septem parochiis insignis, plurimisque aliis Ecclesiis, Monasteriis & Xenodochiis instructa & ornata. Sed quicquid pulchrum, quamuis sit amabile, non ideò tamen est concupiscibile, amori enim certa regula & modus præfixus est. Licet viro cuilibet probo, gradu proprio dilectionis, consanguineas prosequi: at amore maritali nullam ipsi præter vxorem complecti fas est. Filiam habere potest pater, matre ipsa formosiorem : at nec illam matri anteponere, nec in vxorem potest asciscere. Multa magnáque illi quidem licet beneficia (paterni amoris

* Lib. 1. Decreti

Diuionis vrbis insigne præconium.

indicia) impertiri: ſed non thori conſortem, aut rei familiaris dominam, poteſt illam conſtituere. Quod quidem diſcrimen priſci Epiſcopi Lingonenſes probè caluêre, & ſuis in affectibus prudenter coluere circa Eccleſias ſubiacentes: Has etenim vniuerſas ſibi commiſſas paterna charitate & cura fouerunt: ſed Lingonenſem præcipuo ſemper amore & ſtudio habuerunt, illique primas vt honoris, ſic & ſolicitudinis ac munificentiæ ſuæ partes perpetim impendêre. Hanc enim aliarum matricem, ſibi arcano Dei conſilio deſponſatam, coniugali nexu copulatam, imperij ſacri titulo & iurê decoratam, & dotibus inſignioribus cumulatam, ſibi præ cæteris charam & venerabilem ſciebant eſſe oportere. Quamobrem honorem eius & commodum perpetim prouexêre, mutuum affectum ſedulò exquiſiêre, de diuortio cum ea ineundo cogitauêre nuſquam: quinimò vel ab ipſo nomine ex intima quam ſemper cum illa ſeruauerunt ſpiritus vnitate, & ſtricto quod hinc inde iugiter interceſſit pacis vinculo compertum eſt vehementer ipſos abhorruiſſe. Vnde cùm ciuitas ipſa Lingonenſis à Normanis direpta, obruta, proſtratáque eſſet, quamuis ex canonum præſcripto, capta ab Infidelibus vel deſolata ciuitate poſſit Epiſcopus ad aliam ciuitatem tranſire *: Geilo tamen qui ſub incurſione Normanorum Lingonenſis Epiſcopus erat, ob vrbis excidium, noluit aliò Sedem traducere Pontificalem: ſed memor initi cum Lingonenſi Eccleſia fœderis ſacroſancti, illibatum illi amorem & honorem cõſeruans, nec ſtationem relinquere, nec ſponſam attritam ſpernere, nec deſolatã deſerere æquum duxit: quinimò viſceribus miſericordiæ plenus amo-

* Concil Antioch. c.18 & Quinſextũ can.37. Item gloſſ. in can. Paſtoralis 7.q.1.

rísque Pastoralis concussus stimulis properè studuit sponsæ lachrymas abstergere, damna ei illata resarcire, decora ablata restaurare, ciuitatísque mœnium disiectas moles reparare, vt ipsi Ecclesiæ gementi solatium afferret, instruerétque præsidium. Sic enim de hac eius pietate rescribit Carolus Crassus Imperator in munifico quod ipsimet indulsit pro Ecclesia Lingonensi diplomate. *Idcirco notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, & nostris præsentibus scilicet & futuris, quod Geilo sanctæ Lingonensis Ecclesiæ Reuerendus Antistes nostram adiens sublimitatem, celsitudini nostræ innotuit, quatenus Lingonensem ciuitatem, sibi videlicet à Deo commissam ob nimiam persecutionem seu infestationem Paganorum, & refugium seu saluationem Christianorum, & sanctæ Dei Ecclesiæ defensionem, propè iam reædificatam, sine alicuius Comitis vel Iudicis iuuamine, atque constructã haberet, & vt ad perfectionem illam perducere posset modis omnibus satageret, &c.* En quàm longè fuerit hic optimus Præsul ab eorum mente, qui quod Diuio locus sit celebrior, Episcopalem Sedem putant Lingonibus detrahendam, suadéntque moderno Antistiti illuc trãsferendam esse. Cùm vrbem dirutam maluerit à fundamẽtis restituere, quàm in eiusmodi oppidum tunc iam munitissimum suóque iuri obnoxium sacræ potestatis transuehere Cathedram. Sed quia domesticis exemplis agimus, ex facto alterius Præsulis, Garnerij scilicet qui tertius post istum ordine præfuit, deprehendere possumus quo affectu & diligentia prisci Pontifices curauerint non modò suæ Ecclesiæ matricis dignitatem & integritatem: sed etiam inferiorum iura & priuilegia Ecclesiarum sarta tecta seruare studuerint. Is enim æterna dignus memoria Episcopus,

quòd videret occaſione nouarum ædicularum, quæ in dies priuata procerum deuotione, ſua in Diœceſi conſtruebantur, plurimum diſpendij antiquis baſilicis, maximè verò parœcialibus Eccleſiis, quarum decimæ paſſim diſtrahebantur ingenerari, coacta Diuione in Baſilica ſancti Stephani Synodo, illarum incolumitati vt prouideret inſigne ſtatutum exarauit, *de non diuidendis propter nouas* Capellas *parochialibus Eccleſiis**. Ex qua ſanctione promptum eſt aduertere, quantùm ab Eccleſiæ principalis, Cathedræque propriæ alienus fuerit diſſectione: ſi enim parœcialem ædem diuidi in duas nefas cenſuit: non dubium quin longè grauius iudicârit eſſe piaculum, ipſum vnitatis centrum conuellere, & Sedem Pontificalem in duas concidere, baſilicæque ſummæ cæterarum reginæ dimidium ſubtrahendo decus, biſſectam reddere dignitatem, quæ inuiolata ob ſacramentum vnitatis, ſemper conſiſtere debet. Sed inquies, quare non licebit Epiſcopo, qui omnium ſuæ Diœceſis Eccleſiarum Paſtor & pater eſt, vnam ex his aliquam potiore dilectione proſequi, & maioribus prærogatiuis exornare? Porrò non inficiamur id ei licere, modò ſponſam filiæ non poſtponat aut æquiparet, ídque ſine eius iurium detrimento faciat, & abſque aliena iactura, ea quæ confert impertiatur. Sic equidem priſci Epiſcopi Lingonenſes, inter ſuæ Diœceſis plebes, Diuionenſem ſpeciali beneuolentia, poſt Lingonenſem dilexerunt: Huícq; oppido eiuſque Eccleſiis maiora exhibuerunt * ſuæ propēſionis teſtimonia. Qui legerit rerum à ſingulis geſtarum monumēta, breui diſquiſitione percipiet, potiora quæ Diuionenſes Baſilicæ principales, nempè S. Benigni, & ſancti Stephani

* Statum parœciarum nec præſumptione, nec præſcriptione mutari poſſe edixit Gelaſius PP. ſcribens ad Maximum & Euſebium Epiſcopos, vt refertur 16. q. 3. c. licet. Pluréſque vna in terminatione conſtituere Epiſcopo vetitum eſt, gloſ in can. *plures*: proprios enim & diſtinctos limites debent habere 13. q. 1. c. Eccleſias. Parochialis autem Eccleſiæ ſpeciale priuilegiū eſt, præter miniſtrādi ſacramenta & funerandi iura, necnon decimas, primitias, oblationes percipiendi, vt intra ſuos fines Capella non ædificetur cap. Corā, & ibi gloſ. 1. de off. deleg. Si tamē aliqua cōſtruatur ex Epiſcopi indulgētia, hoc fieri debet & ſine parœcialis Eccleſiæ diſpēdio, & ita vt Capellanus Prælato Eccleſiæ, in cuius limitatione Capella erecta eſt, ſubijciat, reuerentiamque eidem exhibeat. *cap his quæ de Maior & obed.*

* Præter Chronicon S. Benigni Diuionēſis, quod ſingulorum penè Epiſcoporū, maximè verò S Gregorij, Edoaldi, Heronis, Alberici, Theutaldi, Iſaac, Argrini, Varnerij, Got-

templa cœnobitica in hunc vſque diem obtinent beneficia, decora & priuilegia, ex natiua quaſi ſingulorum Antiſtitum Lingonenſium in ciuitatem & populum Diuionenſem propenſione & munifica bonitate promanaſſe. Vnde mirum eſt admodum cur poſt tot è Lingonẽſis Eccleſiæ ſinu & penu deprompta, & in Diuionenſem collata beneficia, Pontifex modernus etiam Pontificalem titulum & honorem, velit tranſcribere, & quaſi pro cumulo adiicere: ſic enim enitendo nihil aliud videtur intendere, quàm poſt delibatos natiui fontis riuulos, fontem ipſum quaſi data opera in alueum recentem deuoluere, ſicque vt riuum impleat ipſam exſiccare ſcaturiginem.

At inhonoratam non poteſt (dicunt æmuli Eccleſiæ Lingonenſis) Diuionem adeò ſibi amatam relinquere, quoniam iniquum & probroſum videtur vrbem *in vertice montium* poſitam, Burgundiæ Metropolim, Senatus ampliſſimi Sedem, Epiſcopali honore vacuam inſtar viliſſimi viculi aut certè exilis oppidi tandiù iacere. Sed hîc non eſt quæſtio quid Diuio cupiat, aut quid Epiſcopus Lingonenſis cenſeat illi ad integrum ſplendorem conferendum. At quid duntaxat ratio poſtulet & ius permittat. Et primùm quidem notare iuuat ſic Dei prouidentia factum eſſe, vt nihil creatis in rebus reperire ſit adeò perfectum & numeris omnibus abſolutum, vt in eo nihil omninò ſit quod deſideretur. *Non omnis fert omnia tellus.* Sed quæ permultis commodis & ornamentis abundat, nonnullis itidem caret. Quædam loca exuberant tritico, alia vino; alia plumbo abundant, alia ferro, nonnulla ſtanno, pauca argento, pauciſſima auro. Sunt quæ floribus ornantur & nemoribus. Alia præ-

ſelini, Brunonis (qui collapsã baſilicam S. Benigni à fundamẽtis ſtupenda mole eximiáque fabrica reſtaurauit) necnon Lamberti & Roberti, munificam pietatem in S. Benigni dotando, ditandóque Cœnobio, propriis cuiuſque beneficiorum annotamentis, cõſignatam æternitati profusè commendat: Chartulariúmq; Stephanienſe quod eorũdem Præſulum liberalitate auctum & cumulatum ſancti Stephani aſceterium variis rerũ ab vnoquoque impertitarum prodit indiciis: Tres certè penes me ſunt Codices vetuſtiſſimæ notæ, Eccleſiaſtica Diœceſis Lingonenſis monimenta complectentes, quorũ ex ſerie liquet, Sedis hu° Epiſcopos dotibus ac cenſibus vbertim adeò Diuionẽſes baſilicas prouexiſſe, vt mirum ſit quidquam hodie matrici Eccleſiæ Lingonenſi, ex cuius opibus illas ditarunt, ſacri patrimonij ſupereſſe: Vix enim ſeſe continuerũt, quin ipſa viſcera profunderent, vt paternum amorem in ſacra Diuionis Sodalitia impenſius teſtarentur.

ſtant fontibus, fluminibus. Alia ſitu præualent, amœnitate, maris vicinia. Alia denique permultis ſimul ſpeciali Dei beneficio pollent muneribus quaſi de induſtria confertis & cumulatis: Sed quidquid ſit nulla reperiri poteſt in orbe ciuitas quantumuis magna & nobilis, cui non aliquod deſit, aut vitæ humanæ commodum, aut gloriæ & poteſtatis ſiue ſacræ ſiue ciuilis ornamentum. Non eſt huius loci in tam amplam palæſtram excurrere, vt id expreſſa inductione propalemus: Sat fuerit regula generali & canonica, Apoſtolicæ Sedis oraculo prolata, id aſtruere. Fuere certè Græci ornandæ ex aliarum Eccleſiarum iactura Bizantinæ Cathedræ percupidi, in eáque prorſus ſententia peruicaces quod contenderent Eccleſiaſticam prærogatiuam ciuili & prophanæ ita connexam eſſe, vt ibi poteſtatis Regiæ, & majeſtatis Sedes ſtatuta eſſet, ibi Sacerdotalis quoque principatus ſolium deberet collocari. At hanc illorum maximam eſſe inſaniam Gelaſius Pontifex, aculeatâ Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ directâ, perſpicuè declarauit, variis rationibus & exemplis conuincens, Eccleſiaſticam prærogatiuam non prophanæ vrbium nobilitati aut dignitati annexam aut affixam eſſe, neque hanc neceſſariò comitari, ſed ſic vtrámque eſſe diſtinctam, vt vrbs quæ ciuili imperio fulget, Eccleſiaſtico faſtigio carere poſſit: & è contra: quæ ſacra dignitate præeminet, terrena poteſtate deſtitui, hácque in re alteri ſubiacere.

Epiſt. 13. paulò poſt medium to. 2. Concil.

Accedit huic Apoſtolicæ ſententiæ fulciendæ ipſe rerum ſtatus. Nam & hodie videmus Aquileienſem Patriarcham in Vtinenſi oppido Venetæ ditionis præſidere; vbi nulla elucet ciuilis auctoritatis præ-

Ferrar. in Topograph Martyrol. voce Aquileia & Vtinum.

minentia. E contrà cernimus in 2. Lugdunensi Sagiensem Episcopum in oppidulo habere suam basilicam & Cathedram: illícque nullam Curiam aut Præfecturam Regiam considere. At contra, Alençonium, eiusdem Diœcesis ciuitas Senatu Præsidiali, Ducatu nobilissimo, Regiæ proli masculæ addicto, & Franciæ Patriciatu conspicuo insignis est: sed quæ tot ornamentis promicat, hoc vno caret, quod minori ratione Diuio efflagitat: nec id exposcit, sed antiquis se terminis cõtinet, libenter ferens vt sibi Sagium Episcopali honore præemineat, * cui terrena gloria & ciuili potestate adeò longè præcellit.

* Ita & Cadomum ampla opulentaq; ciuitas, subest Bajocensi sibi Episcopali quidẽ auctoritate præcellẽti, at dotibus cæteris lõgè impari.

His verò insinuationibus etsi plenè satisfactum videatur huic considerationi, quam pro fundamento Episcopalis Diuioni communicandi seu conciliandi honoris, assumit Reuerendissimus Pontifex Lingonensis, tamen adhuc ad vberiorem satisfactionis cumulum, lubet quæstionem illam insignem hîc referre, quam Canonici Doctores & Ciuiles Iurisperiti agitare solent, circa quæ ad ciuitatis constitutionem requiruntur. An scilicet ad substantiam & esse ciuitatis exigatur, quod Episcopatu sit prædita. Verùm hîc opus esse non censeo hac de re quid sentiant singuli eorum disquirere: cùm constet canonica lege id de quo adeò contentiosè dimicant, esse satis perspicuè declaratum. Ciuitates enim posse appellari etiam loca non habentia Episcopos, innuit *can. Episcopi dist.* 80. *& can audiuimus* 3. *q.* 2. Probat & ratio, quæ etiam ex textu Canonico dicitur: Etenim si ad esse & substantiam ciuitatis requireretur quod illic esset Episcopatus: sequeretur, si ob delictum, vel aëris intemperiem, vel aliam ob causam ciuitas priuaretur Episcopo,

ſcopo, illam deſinere eſſe ciuitatem. At hoc minimè eſt verum, nam ciuitas quæ proprium occidit Epiſcopum iure quidem priuatur prærogatiuæ Epiſcopalis, at nomen & ius ciuitatis retinet: vt colligitur ex can. *Ita nos*, 25.q.2. Hinc gloſ. *Ciuitates* in extrauag. Ioan. 22. *Sedes Apoſtol.* * rectè monet, ciuitatem dici antequam ibi ſit Sedes Epiſcopalis inſtituta: proindéque Sedem eiuſmodi minimè conſtituere ciuitatem. Præualet igitur ea ſententia, quæ de iure gentium & ciuili aſtruit ad ciuitatis conſtitutionem, & priuilegia tantùm requiri atque ſufficere auctoritatem Principis ſæcularis. Rebuf. in Concord. tit. de coll. § *ſtatuimus* 2. verbo, *in ciuitatibus*. Caſt. in cap. 1. *de priuileg. n.* 7. Abbáſque & alij ibid. Atqui Diuio quæ ab Euangelij ſalutari ſuſceptione annis ſuprà mille Caſtri duntaxat nomine * & ſtatu cenſita eſt, iam ante annos 50. ſuprà 400. Ciuitatis titulum & honorem ab Hugone Duce Burgundiæ eſt felicibus auſpiciis conſecuta; imò (vt vulgò fertur) & in verticem Burgundiæ prouecta à Roberto Chriſtianiſſ. Rege: ſummiſque priuilegiis à ſubſequentibus Galliarum Monarchis & Burgundicis Dynaſtis fuit cumulata: vnde perſpicuum eſt ad titulum ciuitatis promerendum, nullatenus Epiſcopali ſolio indigere: quæ iampridem tanto ſplendore fruitur, vt inuidiam etiam poſſit parere, ex tam fortunato rerum ciuilium incremento. Satis igitur ei eſſe debet quod ex obſcuris adeò primordiis, in tantam euaſerit claritatem & magnitudinem, quæ ex detrimento aliarum Burgundiæ ciuitatum & magis antiquarum, & non minùs ex auito iure ſpectabilium defluxit: maximè verò ex Lingonenſis Epiſcopalis Eccleſiæ beneficiis, quaſi confertim à pia ma-

* De conceſſ. præbend. tit. 4.

* In Chronico Diuionenſi Mss. adhuc poſt ann. 900. Diuio Caſtrũ vocitatur. Imò caſtellum fol 99. b. *Hugo quidã dedit in caſtello Diuion. Curtiliũ vel areã.* Quin & Pagus fol. 101 a. *Ademarus quidã illuſtris vir ex Senatoribus multas habens poſſeſſiones tam in Diuionenſi pago, quàm in aliis regionibus.* Itẽ rurſus caſtellũ f. 104. a. *Dedit Argrinus epiſcopus iuxta murum Caſtelli areã.* Deinceps verò Caſtrum, paſſim vt anteà dicitur, fol. 107 a. in Synodo Lingon. ann 912. habita à Varnerio Epiſcopo: *Interpellatus eſt à Gedrado Abbate, &c. De quadã Eccleſia, infra muros Caſtri Diuionis ſita,* fol. 111. a. *Deinde Rodulfus Rex, mortuo Hugone Duce fratre ſuo, Burgundiam adiit, reſidénſque Caſtro Diuion menſe Aprili, &c* anno ſcilicet 9 6. Itẽ ſub S. Vvilelmo Abbate poſt ann. 1000. fol. 131. b. *Alter quidam huius Caſtri Diuionenſis ciuis.* fol. quoque 148. b ſub an. 1013: *Poſtmodum Hugo quidam miles de paribus Diuion. Caſtrum habitantibus partem ſua hæredi-*

tre in sinum dilectissimæ filiæ congestis coaluit. Non igitur ægrè ferre debet si matri decus vnicum manet, matris nempè ipsum nomen & officium, quod ei vtique non potuit nisi proprio occasu & excidio impertiri: Nec inuito pati animo, si tot monilibus decorata, vnica gemma suo ornatui desit: qua sanè plurimæ Galliæ vrbes aliquot etiam Episcopalibus quoad statum ciuilem insigniores, nemine mirante, manent etiamnum destitutæ. Tyrus, diris à Propheta impetitur, quod situs opportunitate, opum copia, populi affluentia, mœnium altitudine, ambitus magnitudine, famæ celebritate, vbique terrarum conspicua, non his bonorum & honorum cumulis desiderium suum concluserit: sed extra omnem cupiditatis mensuram prorumpens, esse voluerit *vrbem perfecti decoris*. Hoc enim & statum cuiusque rei creatæ excedit, & Deo qui operibus suis proprium modum imposuit, prorsus exosum est. Qui certè ciuitati soli supernæ hanc gloriam indidit, vt *omnis lapis pretiosus esset operimentum eius*, perfectóque decore intùs & extra niteret, atque *in quadro posita* solidæ ac numeris omnibus absolutæ structuræ gloria polleret; cælesti Agno nupta, Angelis stipata, Apostolis innixa & suffulta, beatis spiritibus septa, fluuio vitæ irrigua, diuino lumine irradiata, auro cooperta, margaritis ornata, gemmis vndique rutilans, omnis penuriæ expers, mali cuiusque nescia, bonis omnibus cumulata, perenni felicitate gaudens, & vt vno dicam verbo, omni ratione beata. Nulla autem est in terris ciuitas, quæ vrbis huius cælestis genuinam perferat imaginem; vel vmbram duntaxat referat: nam & subcælestis Hierusalem quæ supernæ figura aut potiùs adum-

tatis, &c. dedit. Fol. denique 156. a. *Memoratus Rex Robertus cũ plurimo exercitu* Diuionem *Castrum aduenit, circumpositam regionem deuastans, &c. Vuilelmus Comes Monachos aliquantos cũ libris & omni ornatu Ecclesiæ intra Castrum* Di*uionem, ac in Ecclesia S Vincentij, &c. residere fecit.* Hinc habes Roberto regnãte adhuc ciuitatis titulo Diuionem minimè decoratam: sed Castri duntaxat censitã fuisse ordine ac nomine. Vide inf part. 2. caus 2. Quomodo autem sub ipso Roberto, Diuio Regij iuris effecta sit, & hinc sensim prouecta fuerit indicat annotatio ad finem §. *Si igitur*, ibidem affixa.

Ezech. 27.

Ezech. 27. v. 3. *Hæc dicit Dominus Deus, O Tyre, tu dixisti perfecti decoris ego sum* Ad quæ verba san- Hieron. lib. 8 in Ezech. notat primum Tyri crimen superbiam esse: & quod suã pulchritudinem, propriæ industriæ, non Dei gratiæ, ascripserit: & quòd perfectam sibi arrogãrit pulchritudinem, adeò gloriabũda, vt di-

bratio fuit, nec vnquam perfecto rerum statu emicuit, nec prospero diù potita est: sed tandem obruta, iacens, non modò omnem amisit decorem, sed vix nudum nomen seruare potuit. Roma autem quæ diuinæ prouidentiæ arcano, gloriam ad se huius traduxit *, rerum vicissitudinem multiplici clade ac direptione experta, sæpiúsque in pristinum decus reuocata, etiam si hodie, supremum orbis fastigium teneat; non tamen dotibus quibuscumque cumulata coruscat. Ex quo ferè Sedem Apostolicam consecuta est, imperiali solio orbata est; non enim permittere voluit Deus, vt vno in Cælo Sol & Luna fulgerent, vno in solo aurum & argentum affluerent; vno in solio, Cæli Clauiger, Orbis Pater, Christi Vicarius, Pontifex Maximus, Patriarcharum Episcopus, Ecclesiæ sponsus, supremúsque Hierarcha, cum terreno Principe Cæsaris successore præsideret. Non tam ne duæ supremæ potestates mutuo occursu sese illuderent, (quod neutiquam formidãdum est euenturum, cùm nulla sit terrena tartareáque potestas quæ fidei possit petram concutere*) quàm ne vna vrbs sola in orbe fulgeret, omniáque iura sibi vendicans, omni ex parte felix & beata censeretur. Gaudeat igitur (insigni hoc exemplo admonita) Diuio suis dotibus: sed Lingonensi vrbi (cui in spiritualibus ab Ecclesiæ ferè crepundiis subiacet) proprium decus non inuideat: Non enim ipsius gloriæ obesse potest: si quæ tot ornamentis præstat, vnico ab illa, Episcopali fulgore vincatur. Quinimò hoc excellentiæ eius confert plurimum, quòd vna in re duntaxat inferiorem se illa fateatur: quamuis nec inferiorem dixerim, quam donorum congerie parem, rerum mira-

ceret, sum vrbium pulcherrima, sum ocellus orbis: ita enim sũ pulchra, vt nihil mihi ad decorũ addi possit quod solius Dei esse docet S Dionys. c 4 de diuin. nom.

* S. Aug. tract. 49. in Ioan. sub oram, tom. 9 in illud: *Venient Romani, & tollent locum nostrum, &c.*

Matt. 16.
Esa. c. 8 & 18.

* Inde Sanctus Chrysost. homil. 55. in Matt docet hominem piscatorem, Petrum videlicet, quauis petra à Christo firmiorẽ redditũ, vniuerso etsi orbe obluctãte, elidi non posse. Et S. Aug. in psal. cont. part. Donati de Romana loquens Ecclesia: *Ipsa est petra quam non vincunt superba inferorum portæ.* Hacque ratione, Petrum *saxum immobile* diuinitùs effectum, S. Ambr. ser. 47. asseuerat.

bili æquilibrio, diuina prouidentia constituerit; sic inter Lingones, ipsámque Diuionem esse decernens diuisum imperium: vt illa ciuitas, præemineret potestate Ecclesiastica, ista dominatione terrena: Illa esset propriæ Matrix Diœcesis, ista ciuilis penè totius Burgundiæ Metropolis: Illic animarum præsideret Episcopus, istic ciuitatum Gubernator regius resideret: Illic denique amplissimus esset Senatus Ecclesiasticus, istic verò regius Senatus augustissimus existeret. Sed de vrbica dignitate eiúsque statu & intuitu hactenus.

SECVNDA igitur ratio qua communicationem Episcopalis honoris Antistes Lingon. ciuitati Diuionensi satagit comparare, ea est: quod absque Lingonensis matricis Ecclesiæ dedecore & dispendio, ea prærogatiuæ sacræ dissectio, seu duplicatio Cathedræ fieri possit. At vix quispiam capiet quomodo Ecclesia quæ dimidium sui perdit imperij & honoris, illibata deinceps permaneat; quomodo quæ vnica pollebat sacro principatu, sortita sociam, non æmulam patiatur, non sentiat, multata potiori parte hæreditatis, iacturam. Incompertum est quî fieri queat, vt in duas partes dissecta non intereat, cùm dolor nonnisi ex diuisione continui oriatur, mors nonnisi per separationem animæ à corpore inferatur. Porrò non dubium est quin Episcopalis dignitas sit Lingonensis Ecclesiæ forma intrinseca, & quasi spiritus vitalis totum corpus & omnes eius artus informans, & ad actum instruens: quæ si auferatur, necesse est vt quæ hoc spiritu viuebat, continuò intereat. Nec dici potest dignitatem Episcopalem ab Ecclesia Lingonensi totaliter non auelli, sed dimidiam duntaxat ab ea di-

ſtrahi, alia portione relicta. Nam forma informans per ſe eſt indiuiſibilis, alióqui corruptibilis & mortalis. Aut igitur diuiſa ſic Epiſcopali gloria, ſua ipſa diſſectione euaneſcet, aut eius quæ media parte Eccleſia priuabitur, ea tota carebit & interibit. Vulgare adagium eſt, *Nauem qui diuidit, perdit* *: ſic prorſus qui Cathedram Epiſcopalem ſecat, eamdem deſtruit & diripit. Nec eſt quod Dominus Lingonenſis hanc diſſectionem Pontificatus in duas Sedes, quia ratione non poteſt tueri, exẽplis approbare geſtiat, dum ſubnectit, variis in orbis Chriſtiani partibus eiuſmodi Cathedræ Epiſcopalis geminationẽ permitti, ac etiamnum ex pridem recepto vſu vbique ferè vigere. Nam vt generali hac inſinuatione nihil conuincit: ſic ſpeciali inductione facile eſt oſtendere illud ipſum quod in præſidium aſſumit ſuæ intentionis, nihil ipſi penitùs ea in re ſuffragari. Reperiuntur quidem in orbe Chriſtiano Epiſcopi, vnitis duabus vel etiam tribus Eccleſiis præſidentes. Nam vt de Orientali Eccleſia quæ ferè proſtrata iacet, ſileamus, in quáque Occidentalis parte licet Epiſcopatus vnitos, & vni Epiſcopo concreditos conſpicere. Sic equidem (vt à capite ad membra progrediamur) in ipſo Eccleſiæ cardine iam olim coadunati ſunt per Eugenium III. Oſtienſis Epiſcopatus & Velitrẽſis. per Calixtum II. Portuenſis & Sanctæ Ruffinæ. Item in Romana prouincia, quæ immediatè Summo Pontifici ſuffragatur vniti recenſentur Anconitanus Epiſcopatus & Numanenſis; Parmenſis & Atrienſis, Lauretanus & Recinetenſis, Viterbienſis & Tuſcanenſis. In regno autem Neapolitano ſub Salernitano Metropolita, Campanienſis & Satrianenſis; ſub Amalphitano,

* Eccleſia comparatur Naui, gloſ. innouata in can. de fabrica. diſt. 1. Vnde & arcæ Noë aſſimilatur à S. Hier. in Ep ad Damaſ. & S. Auguſt. lib. 15. de Ciuit c. 26. & ita nominatur Extrauag. Vnam ſanctam, & ibi gloſ. vna.

Rauellensis & Scalensis; sub Compsano S. Angeli de Lombardis & Biscariensis; sub Hidruntino, Leucensis & Alexanensis; sub Theatino Aquilarius & Furcorniensis; sub Beneuentano Abellinensis & Frequentinus. In eodem autem Regno vniti etiam Archiepiscopatus comperiuntur nempè Acheruntinus & Materanus; Sipuntinus & Manfredoniæ. In Sicilia autem iuncti pridem fuère per Bonifacium VIII. sub Messanensi Archiepiscopo Præsulatus Lipaciensis & Pactensis. Item posteà sub Turitano Emporiensis & Phausaniensis. In Sardinia, Caralitano Archiepiscopatui hæret Episcopatus Sullensis. In Etruria verò inuicem colligantur sub Archiepiscopo Florentino, Episcopatus Lunensis & Sarzauensis; sub Senensi Massanensis & Populoniensis. In Hispania coniuncti sunt Compostellanus Archiepiscopatus & Emeritensis. In Anglia Conuetrensis Episcopatus & Lichfeldensis; Bathoniensis & Vellensis. In nostra autem Christianissima Gallia olim copulati fuere Præsulatus Nouiomensis & Tornacensis; Cameracensis & Atrebatensis, nunc discreti; adhuc autem iuncti perdurant Episcopatus Valentinus & Diensis. Item Grassensis & Venciensis nostro æuo connexi per Clementem VIII. Pont. Max. codicillis Apostolicis Romæ exaratis anno 1591. 16. Kal. Martij. Sed nihil est quod ex eiusmodi exemplis sibi subsidij Dominus Lingonensis, duas ambiens, vna in Diœcesi, ex æquo Cathedras Episcopales, conciliet: quandoquidem sic Episcopatuum factæ sunt vniones non duplicationes: Vnde Summi Pontifices etsi ob grauissimas rationes eiusmodi matrices Ecclesias connexas esse voluerint, nunquam tamen alicui Episcopo

permiſerunt duas ſibi ideò Cathedras Pontificales vendicare. Quinimò cùm Archiepiſcopo Nazareno, qui titularis eſt, Calixtus III. Epiſcopatus Caſſinenſem & Montis-viridis in Regno Neapolitano, ad fouendam dignitatem coniunctim attribuiſſet: ſtatuit vt ſuppreſsâ vtriuſque Eccleſiæ Cathedrâ, Sede propria & vnica Præſul ille potiretur: vnde ſoliô erectô in oppido Barulo (vulgò Barletta) illic hodiéque cum Collegio Canonicorum & Cathedraticis dignitatibus reſidet. Semper in eiuſmodi vnionibus id fuit à Pontificibus maximis obſeruatum, vt vnita Eccleſia per ipſam vnionem dignitate excideret: Idque ex iure Canonico quo ſtatuitur vt vnita Eccleſia per vnionem ſupprimatur, & omnia transferantur in eam cui fit vnio: quemadmodum pluribus oſtendit Auguſtinus Barboſa Theſaurarius Vimaranẽſis part. 3. de ſollicitud. Paſtoral. alleg. 66. Ex qua regula conſequitur quod ſi Diuionenſis Capella erigatur in Eccleſiam Epiſcopalem, vnietur certè Lingonenſi, vel ipſa Lingonenſis eidem Diuionẽſi. Si primùm, ſtatim ſuo ortu occidet noua hæc Cathedralis. Si alterum, Lingonẽſis Eccleſia priſtinum dignitatis decus continuò amittet. Sed inſuper conſiderandum venit qua ratione ducti ſummi Eccleſiæ Præſides, pridem Epiſcopatus duos in vnum conflauerint, vnique ac eidem Antiſtiti committi voluerint. Sanè id graphicè exprimit Iacobus à Vitriaco priſcus S. R. E. Cardinalis, & Aconitanus primùm in Syria Epiſcopus *, ſua in hiſtoria Orientali lib. I. c. 53. vbi cùm enumeraſſet Sedes Epiſcopales Palæſtinæ: hoc de iiſdem corollarij vice monitum ſubnectit. *Multæ aliæ ſunt ciuitates in terra Promiſsionis, quæ licet ante tempora Latinorum*

* Fuit poſtea Tuſculanus, Gallúſq; natione erat, ex pago Vitriaco in agro Pariſienſi oriundus. Cuius præclara extant opera quæ Trithe-

proprios haberent Episcopos Surianorum & Græcorum: Latini tamen (rerum in Oriente Domini) *propter multitudinem & paupertatem eorum, ne dignitas Episcopalis vilipenderetur, plures Ecclesias Cathedrales & ciuitates vni Cathedrali subiecerunt.* Hæc ille congruenter rebus gestis & dispositioni Canonicæ quæ vniri vetat Ecclesias, nisi vna earum sit hostilitate desolata, vel necessariis facultatibus destituta *c. 2. de relig. domib. in 3. decret. tit. 36.* Hac autem ratione cùm Strigonium, Archiepiscopalis Regni Vngariæ & primaria ciuitas, sub impia Turcæ tyrannide deuenisset: Pontifex Maximus, Archiepiscopo superstiti, Tyrnauiæ in eodem Regno Episcopatum perpetuò ad tuendam dignitatem adscripsit: vbi & hodie sedẽs, munere suo perfũgitur, incredibili Christianorũ solatio. Sic etiam cùm nostro tempore Clemens VIII. instante Guillelmo le Blanc Episcopo Venciensi, Grassensi Episcopatui ipsum Venciensem adunaret, expresse suo in rescripto causam huius vnionis voluit assignari, nempè *quod Ecclesia Venciensis tam tenuis esset reditus, vt vix Episcopus florenorum* 800 *summam annuatim perciperet*, quæ Episcopali muneri dignè obeundo & honori tuendo, nullatenus posset sufficere. At in casu qui versatur, nihil simile prorsus occurrit: Siquidem Lingonensis Ecclesia opibus copiosa, statu florentissima, Diuionensis Capellæ (etiamsi Episcopalis foret) accessione non indiget: cùm decore suo & splendore longè latéque in Gallia eniteat, potiúsque eius Episcopus honoribus & opibus exuberet, quàm his opus habeat. Insuper ex prælibatorum exemplorum congerie liquet, omnes Ecclesias, quæ vnitæ hactenus fuere & simul cõflatæ, ex æquo fuisse Episcopales:

themius recenset lib. de Script. Ecclesiast. vbi eum appellat *Virum in diuinis Scripturis eruditum, sæcularium Scripturarum non ignarum, moribus & vita spectabilẽ, in declamandis sermonibus ad populũ excellentem.* Claruit summis sub Põtificibus Innocentio III. Honorio III. Gregorio IX. (qui eũ Cardinalem creauit) & Cœlestino IV. multisque laboribus perfunctus in Oriente & Occidente piè obiit an. 1240 Hoc porro breue elogium ideò memoriæ eius appendimus, vt iusta patriæ redderemus quæ sydus adeò lucidum Ecclesiæ vniuersæ peperit.

At Diuionensis Capella nunquam hanc prærogatiuam habuit: vnde pari ratione non potest cum Lingonensi copulari. Denique omnes illi Præsules qui adiunctos possident Episcopatus, non distinctas habent Sedes: sed vt vnam sponsam colunt, sic vna tantùm Cathedra potiuntur. Igitur eiusmodi exempla, votum nihil iuuant Lingonensis Antistitis, qui binam Cathedram exoptat; & non duos Episcopatus vnire, sed vnum in duos diuidere, & duas Ecclesias Cathedrales ex vna constituere percupit & satagit.

TERTIA Reuerendiss. ipsius Episcopi ratio est, locum, ad solium Episcopale Diuione instaurandum, & insignem & percommodum in manu sua esse; sacrosanctam enim Capellam Regiam eiusdem ciuitatis, & structura elegantem & Capitulo spectabili instructam, & dotibus eximiis ornatam, Cathedræ Episcopali erigendæ admodum esse obuiam & opportunam consentiente præsertim Decanô & Canonicorum Collegiô, qui votis quibus possunt, huic postulato suffragantur. At eorum non interest principaliter, sed sanctæ potissimùm Sedis Apostolicæ, quæ ipsam Capellam, in allodium S. Petri sibi peculiariter oblatam à fundatoribus (solo Præbendarum patronatu reseruato) proprium in ius pridem suscepit: vt constat ex literis Hugonis Burgundiæ Ducis, quas recitat Robertus in sua Diuione: hîc enim legimus quod Dux ipse Hierosolymam proficiscens, exterritus imminentis naufragij periculo, votum emiserit si hoc ex discrimine elaberetur, construendi Diuione in suo palatio Ecclesiam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ & B. Ioannis Euangelistæ. Ere-

ptus igitur diuina ope hac periclitatione, piáque peregrinatione absolutâ, deuotionis causa Romam in reditu perrexit, illicque votum solemni ritu repetés, Capellã seu Ecclesiam quam construere cupiebat, per manum Alexandri III. Papæ, Deo offerés, Romanæ Ecclesiæ in patrimonium munifica liberalitate concessit, Apostolicóq; diplomate acceptari & cõfirmari curauit: quod quia breue est, hîc etiam paucis exscribam: *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio nobili viro Hugoni Duci Burgundiæ salutem & Apostolicam benedictionem. Petitionibus Nobilium & potentium virorum quæ rationi & honestati noscuntur inniti, animo nos conuenit placido condescendere, & eas libenter & efficaciter exaudire, vt ad Ecclesiarum commodum & profectum feruentiùs accendantur, cùm in eorum iustis petitionibus ab Apostolica Sede facilè se nouerint exaudiri. Inde est quod deuotionis feruore & instantia tuæ petitionis inducti,* FVNDVM QVEM APVD DIVIONEM PRO ECCLESIA ET OFFICIIS EIVS ÆDIFICANDIS, BEATO PETRO AC NOBIS LIBERALITER OBTVLISTI, *in ius & proprietatem nostram & Ecclesiæ Romanæ recepimus, & ibidem Ecclesiam construendi quæ soli Romano Pontifici debeat respondere, tibi facultatem & licentiam indulgemus, auctoritate Apostolica prohibentes, ne cui Episcopo vel aliÿ Ecclesiasticæ personæ liceat quicquam iuris sibi in eadem Ecclesia, vel Clericis eidem Ecclesiæ seruientibus, vendicare. Datum Tusculi 6. Id. Nouemb.* Ex quo Apostolico rescripto palam est, Summum Pontificem proprium eiusdem Ecclesiæ Episcopum & immediatum esse Pastorem: Ecclesiamque Romanam loci sic consecrati specialem Dominam, proindéque non potuisse Decanum &

Capitulum suo arbitrio ipsam Basilicam seipsósque Episcopo Diœcesano subiicere, Cathedrámq; vt illic erigat consentire. Nam præterquàm quod sacræ sanctiones id districtè prohibēt, *cap. Cùm tēpore de arbitris l.1. Decret.tit.43.* vbi decernitur *exemptum inferiorem non posse renũtiare priuilegio libertatis seu exēptionis sine licentia illius cui subest.* * Item c.si Abbatem 36. de Elect.in 6. quo sancitum cōperimus. *Exēptum & immediatè Papæ subiectum non posse renunciare beneficio in manibus Ordinarij* Vnde cum Iuo Carnotensis Episcopus à Gofrido Abbate Vindocinensi, quem initiauerat, professionem obedientiæ surripuisset: Vrbanus Papa II in Concilio Aruernensi, ipsam professionem retractans irritauit quod scilicet ad ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ Cœnobium illud à prima institutione pertineret, ac illi immediatè subiaceret, nullumque superiorem Abbas præter Summum Pontificem deberet agnoscere. Quia verò Canones puniendum decernunt Abbatem vel Præsulem exemptum, si quid contra priuilegij auctoritatem fecerit aut passus fuerit, *glos priuileg.in cap.tuarum 10.de priuilegiis.* Gofridus autem vel incautè sponsionem eiusmodi præstiterat, necesse ei fuit veniales literas * à Pontifice impetrare, quibus hæc sibi noxa contra auctoritatem Romanæ Ecclesiæ (cuius Vindocinense cœnobium allodium erat) admissa condonaretur. Vnde grauissimum patet eorum esse reatum, qui sanctæ Sedi Apostolicæ sine medio subiacentes, proprio priuilegio renuntiāt, quia hoc non solùm in priuatum eorum dãnum, sed in S.R.Ecclesiæ, cuius præcipuè interest, præiudicium & iniuriam eiusmodi derogatio redũdat. Imò & tale factum prorsus inane est viribúsque caret, quoniam

* Sic enim ibi decreuit Innocētius III. rescribens Abbati Pigrauiensi, qui in præiudiciũ exemptionis cum Magdeburgensi Archiepiscopo ferebatur compromisisse. *Cùm & si sponte volueris, de iure tamen nequiueris sine licentia Romani Pontificis, renuntiare priuilegiis, vel indulgētiis libertatis, quæ Monasterium illud indicant ad ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere.*

* Extant apud Gofrid. Vindoc. lib 2. ep. 27. ad Gofrid. Carnoten. Episc. Iuonis successorem.

ab inferiore contra superiorem, est præsumptum; & sine potestate & iure attentatum: Sed & qui id suggerit vel surripit, grauiter peccat: Quoniam offensa Romanæ Ecclesiæ illata, omnibus fidelibus censetur esse communis *cap fin. §. per hoc de pœnis lib. 6*. Quamobrem & Vrbanus in præcitato rescripto, tale aliquid molientes Ecclesiasticis arcet liminibus, maneréque iubet excommunicatos donec resipiscant, & Romanæ Ecclesiæ satisfaciant. Præter hanc inquam Apostolicam sanctionem & canonicam dispositionem, quæ Decani & Capituli basilicæ Diuionensis consensum prorsus euacuat & infringit: Ipsa certè fundatorum intentio eidem penitùs aduersatur, ac ipsa quæ ex eiusmodi consensu elicitur ratio votis supplicantis omninò contradicit. Pollicetur siquidem si optatorum compos fiat, intentioni fundatorum & priuilegiis Canonicorum nihil penitùs derogatum iri. At vt de priuilegiis sileamus, quæ certè erecto in hac Ecclesia Episcopatu salua permanere non possunt, quia Clerus qui Episcopo non obstringitur, iam ei necessariò reddetur obnoxius: aliàs Ecclesia ista vnum non erit corpus, quod certè coalescere nequit, nisi fuerit membrorum connexione suo capiti coaptatum. Sanè hoc dato quod poscitur, fundatorum intentio non poterit sarta tecta consistere. Nam fundatores, nempè Hugo Dux Burgundiæ & Odo eius primogenitus, sua erectionis charta à Sede Apostolica semel atque iterum approbata, & successorum astipulatione firmata, expresè statuerunt, vt hoc Templum collegiatum in ius & proprietatem S.R. Ecclesiæ perpetuis temporibus cederet, Papáque Pastor proprius Ducum (qui hanc Ecclesiam specialiter

ſibi in arcem ſalutis & ſacrarium pietatis deligebant) perenniter cenſeretur, cuius Vicarius haberetur hoc inmunere exequendo ipſius baſilicæ Decanus. Siquidem (ita inſtitutionis charta habet:) *nec Dux nec Duciſſa Capellanum habebit niſi Decanum Capellæ, vel aliquem de Canonicis ipſius, qui videlicet Decanus vice* Domini *Papæ curam animæ* Ducis *&* *animæ* Duciſſæ *debet habere, ſicut in præſenti habet curam animæ meæ* (Hugonis fundatoris) *Nicolaus Capellanus meus &* Decanus *Capellæ, quam curam ipſe à*Domino *Papa Alexandro ſumpſit.* * Noluit igitur primarius ille fundator, nec eius ſucceſſores vt ex rerum ſerie & perenni Capellæ ipſius ſtatu liquet, hanc ſacram ædem vnquam eſſe Diœceſano Epiſcopo, ſeu cuiuis alij Præſuli addictam; ſed ſoli Summo vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici ſubditam, eiúſque hac in parte natiuo Vicario ſacri eiuſdem ſacelli Decano pro tempore exiſtenti. Vnde ſi religiosè obſeruetur, vt digna eſt, quæ illibata perſeueret, intentio fundatoris*, fieri vtique nequit. vt hæc Eccleſia Epiſcopalis aliquando euadat: Sic enim Romana Eccleſia ſuo iure ſpoliaretur, Papa honore delato à fundatore priuaretur, Decanus munere ſuo primario deſtitueretur, & Eccleſia ipſa abſciſsô naturali capitê, adſcititióqueináitô, ſuo decore exueretur, déq; libera, qualis eſt à cunabulis, ancilla fieret. Quæ omnia vt è diametro intentioni fundatoris aduerſantur: ſic ipſam inſtitutionem ſacræ Capellæ deſtruunt, & ſtatum eius ſus déq; conuertunt. Vnde liquet pugnantia Dominum Lingonenſem ſua in ſupplicatione polliceri. Nam ſi fundatio inconcuſſa manet, non poteſt ea quæ ipſe expoſcit adipiſci. Si verò quod petit aſſequitur, fundatio ipſa ſalua nequit ſubſiſtere. Dicet verò ſanctiſſi-

* Hinc Decanus quamquam ritè & ſolēniter delectus, munus obire ſuum nequit, quin priùs à Ciſterſienſi Abbate totius Ordinis Generali à Romana Eccleſia immediatè depēdente, ſummique Pontificis ea in re Vicario confirmatus fuerit.

* Eſt enim inſtar teſtamenti ſacroſancta. Nam teſtamentum, vt dicitur l. 1 ff. de teſtament. nihil aliud eſt quàm voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo quod volum⁹ poſt mortem fieri: ſeu vt habet gloſ. in c. 2. de teſt. Teſtamētum eſt teſtatio mentis, qua quis diſponit quid de rebus ſuis velit fieri poſt obitū ſuū. Porro immobile perſeuerare debet glo. 2. in cap. Tua eod. tit. ex Apoſtoli doctrina ad Galatas ſcribentis c. 3. v. 13. *Teſtamētum firmum eſſe debere, quod nemo ſpernat aut ſuperordinet*, vel vt ex autographo elicitur, nemo id improbet, aut illi ſuperaddat.

mum Papam posse suo & Sedis Apostolicæ iure cedere, ipsique derogare fundatoris intentioni ac institutioni. Et nemo equidem inficias ierit, quin Pontifex Maximus, pro plenitudine potestatis quam habet, hæc & longè maiora facere queat. Sed ex maiorum praxi non est præsumendum quod sic faciat; imò ne faciat, æquitas qua pollet, maximè debet intercedere. Papa enim facta prædecessorũ suorum solet sequi, can *quia sanctitas*, dist. 50. & can. omnes 2. q. 4.* Item *Papa nullius iuri derogare intendit*, cap. super eo 15. de officio delegati. Quanto magis igitur qui seruare studet aliena, tenetur sua tueri? Iura certè Romanæ Ecclesiæ sunt Romano Pontifici propria. Quamobrem sanctus Bernardus in Apologia ad Guilelmum Abbatem, & Epist. ad Henricum Senonensem*, etsi contra emendicatas Monachorum exemptiones satis acriter inuehatur; censet tamen Summum Pontificem ex æquitatis iure teneri ad priuilegia Monasteriorum quæ ex primæua institutione & liberali fundatorum intentione Romanæ iuri Ecclesiæ addicta sunt, illibatè conseruanda. Cùm igitur sacrosancta Capella Diuionensis munifica fundatoris pietate, Summo Pontifici, ac Sedi Apostolicæ immediatè supposita, imò in proprietatem & hæreditatem concessa fuerit: obsecrandus est Pontifex ne fundatoris religiosam intentionem labefactari, aut quauis arte vel ambitu ad alium finem detorqueri permittat, ne patrimonium sponsæ suæ S.R.E. surripi sinat, ne priuilegia à prædecessoribus suis tanta auctoritate concessa (quæ ordinariis inuisa esse solent, inquit, innuítque Gofridus* Vindocinẽsis, ob innatum tuendæ & amplificandæ dignitatis affectum, quin & ob æmu-

* Lege li. 3. Pothonis Presbyteri Prumiens. *de statu Domus Dei* post med. vbi dicta Summorum Pontificũ de studio seruãdi Canones & paternas institutiones congerit, deque inferiorum Ecclesiarũ priuilegiis ab Sedis Apostolicæ Pontificibus seruandis piè & doctè disserit tom. 9. Bibliot. Pat. edit. 4.

* Est numero 42. Idem lib. 3. de consid. Et Petrus Blesensis iisdem penè verbis epist. 68. & 90.

* Lib. 1. ep. 3. 4. 8. & 11. 15. 18. Lib. 2. ep. 8. &c.

lationem ipsius Apostolicæ potestatis) tot sæculorum vsu firmata obliterari & temerari patiatur. Regula est ab ipsa Sede Apostolica promulgata, officij esse Apostolici Pontificis Ecclesiarum priuilegia illæsa seruare *can. de Ecclesiasticis* 25. *q.* 2. Ita vt etiam prædecessorum suorum prærogatiua (vt aiunt) diplomata inuiolabiliter obseruata (ex ordinariæ vsu potestatis) retractare ei non liceat. *can postquàm* §. 1. 25. *q.* 2. *. Nam Ecclesiarũ priuilegia perpetua esse debent, *gloss fin. in can. renouantes* d. 28. *Nec vlla debent nouitate mutari*: nec improbitate conuelli *can. priuileg* 25. *q* 2. Vnde quamuis beneficio priuilegij gaudere non debeat, qui contemnendum illud censuit *glos. ad volentem in extrauag. suscepti Ioan.* 22. sicut Diuionensis Capellæ Proceres qui eo quem præstitere consensu, suo principali priuilegio, quo soli Summo Pontifici sunt immediatè subiecti renuntiasse visi sunt: Tamen quia priuilegium illud est reale, potiúsque est Ecclesiæ quàm Capituli, & potiùs dignitatis quàm personæ: priuilegia autem realia magis quàm personalia fauorabilia sunt *cap. fi. & ibi glos de dignitatibus. tit. de rescriptis.* & iura dignitati concessa debent inconcussa manere, *Clement. statutum de electione.* Quapropter priuilegium non perdit Ecclesia, etiamsi delinquant Canonici vel Monachi, *glos.* 1. *in can. priuilegium* 11. *q.* 3. Hinc est quod sanctæ Capellæ Diuionensis Canonici Ecclesiæ suæ iuri & prærogatiuæ actu perperam elicito derogantes, nihil hoc suo facto possunt præiudicij, ipsi Ecclesiæ ingenerare: sed priuilegium exemptionis quo illa ab ipsis cunabilis gaudet, hoc nonobstante illibatum perseuerat. Summíque maximè Pontificis interest, ob prædecessorum suorum * venerandam memoriam;

* Pelagius Papa Armẽtario magistro militũ *Posteaquàm Ecclesia iura, documẽtorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex, vel si vult, permittitur habere licentiam.*

* Leo Magnus Martiano Augusto Epist 54. *Priuilegia Ecclesiarũ,* &c. *sanctorum Patrũ auctoritate instituta, nulla possũt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari: In quo opere auxiliante Christo, fideliter exequẽdo, necesse est huius sancta Sedis Pontificis perseuerantem exhibere famulatũ: Dispensatio enim nobis credita est: & ad nostrum tendit reatum, si paternarum regula sanctionum nobis consentientibus vel negligentibus violentur.*

fundatorum piam intentionem; Romanæ ipſius Ecclesiæ (in cuiuspatrimonium ab ipſo initio ſacra ipſa Capella adſcripta fuit) dignitatem; Regum Chriſtianiſſimorum, qui fundatorum hæredes ſunt, & Eccleſiæ huius Patroni ac tutores, amorem; ipſiúſque Apoſtolatus, quo meritiſſimè fungitur, munus & auctoritatem: Ipſimet Eccleſiæ, à ſuis alumnis, alieno iugo (quantum ex voto & facto potuerunt) mancipatæ, maturè opitulari, eidémque Apoſtolici patrocinij quantociùs præſidium impendere. Domino vero Lingonenſi Epiſcopo, qui prætextu communicandæ prærogatiuæ Epiſcopalis, hanc ſibi Eccleſiam ſubigere tentat (quam ab ipſo ortu, deceſſor eius Galterus, magna animi contentione, & acri cum Stephanienſibus ſodalibus, qui illam enaſcentem comprimere nitebantur, conflictu, ab omni iugo vendicare, & ſuo ſucceſſorúmque eximere imperio ſtuduit ac reipſa præſtitit:) ſilentium imponere, eidémque ſuprema ſua auctoritate mādare *, vt à nouo molimine quieſcat, terminóſque antiquos quos patres eius poſuere, non ampliùs exturbare & conuellere nouo conſilio adnitatur: qui enim eradicat terminos grauiter peccat, *gloſ. etiam in can. tantæ diſt.* 86. ſed nec *in terminos prædij proximi ſui licet vlli tranſire. can. in legib.* 12. *q* 2. *& can. Inter memoratos* 16. *q.* 3. Cùm propriis quiſque terminis debeat eſſe contentus, *can.* 1. 9. *q.* 2. *& gloſ. Conſt. in cap.* 3. *de ſtat. Monach.* Sed de tertia ratione ipſius Reuerendiſſ. ſatis ſupérque.

* Sic pridem Alexander II. Geruaſio Metropolitæ Remēſi. reſcripſit. *Romana Eccleſia priuilegium noſtro tēpore euacuari, diſſimulando ferre non poſſumus.* Epiſt. 8. & Epiſt 14. *Priuilegia à noſtris anteceſſoribus inſtituta antiquitus, nouerit nos tua dilectio cōfirmaſſe: & vt in perpetuū rata ſint, auctoritate SS. Petri & Pauli roboraſſe. Quod noſtra ſanctionis edictum te quoque obſeruare volumus.* Extāt ad calcem Epiſt. Gerberti, poſtea Silueſtri II. Ioan. Sarisber. & Stephani Torn. editæ, è Bibliotheca Papirij Maſſoni.

QVARTA quæ non tam ratio quàm plauſibilis intentionis ſuæ inſinuatio eſt: ex hoc petitur motiuo, quòd citra præiudicium Chriſtianiſſimi Regis qui ex auito iure Capellæ ipſius fundator & Patronus

eſt,

eſt, hanc Eccleſiam in Cathedraticam erigi aueat & efflagitet. Quandoquidem collationes Præbendarum quæ ad ius Regium pertinent, ipſimet Regiæ Majeſtati, liberas, integráſque vt in anteà fuerunt, cupit conſentítque permanere: Iura verò & priuilegia Canonicorum ſeruari. At de priuilegiis eiuſmodi iam diſſeruimus ſuperiori reſponſione apertiſſimè conuincentes, non poſſe, recepto illic Epiſcopo, cóque in ſolio, vt in propriæ Eccleſiæ ſolo ſedente, imò cum apparatu & comitatu Pontificali præſidente, vniuerſo huius ædis ſacerdotio ſolida perſiſtere. Idq; inſuper perſpicuè prodit ipſius Antiſtitis oblata Regi ſupplicatio, qua inter huius erectionis commoda exponit: *Sic Epiſcopum Diœceſanum maiori cultu potiturum, cùm in throno adeò ſpectabili reſidens, à ſelectis Canonicis ſibi aſsiſtentibus & ſeruientibus* * *fuerit ea qua par eſt reuerentia obſeruatus, & dignioribus obſequiis recognitus*: Quibus enim magis genuinè quàm iſtis vocibus poteſt, ſeruitutem & ſubiectionem exprimere, qua hunc Chorum Sacerdotalē, nihil ſibi obnoxium, ſubigere pertentat. Cùm nemo vlli ſeruiat niſi Domino; neq; aliquem, præter eum cui beneficiaria clientela obſtrictus eſt, ſoleat recognoſcere. Recognoſcere enim in iure Eccleſiaſtico, eſt rem tenere ab aliquo, idémque importat quod confiteri rem illius eſſe, *cap 2. de rebus Eccleſiæ non alienan. lib. 6.* Et annuere illum eſſe rei dominum. *cap. 2. §. ſanè de decim. eod. li.* Quamobrem ſi Canonici ſanctæ Capellæ Diuionen. Epiſcopo Diœceſano, vt ipſe intendit, ſeruiunt, illúmque recognoſcunt, non tantùm ſe eius vt Domini imperio ſubiiciunt: ſed & Eccleſiam ſuam iugo illius mancipant, necnon eiuſdem feudum hanc eſſe innuunt, ſeſéque

* H[?]ſigitur iam licebit vicem dolendo ſuam exclamare. O *extrema conditio ſeruitutis! natura liberos genuit, ſed fortuna ſeruos conſtituit.* Innocent. 3. de Vilit. cond. hum.

primore notâ clientes ipsius esse vel vltrò profitentur. Sic verò illæsa vigere illorum priuilegia, & ipsius Ecclesiæ iura non possunt: Regi autem, cuius in prædio sacra sita est ædes, & à cuius patrocinio & clientela pendet, ius illud præcipuum nequit saluum superesse. Idcircò nihil hoc de primario iure Regio, Episcopus suo in libello supplici commeminit, sed spondet duntaxat, collationem præbendarum se Regi Christianissimo integram & liberam relicturum. Verùm admodum mirum est quomodo id Episcopus polliceatur: cùm si semel Pontificiam Sedem hac in æde obtinuerit, continuò continuò necesse sit ipsum dignitates quæ nec à Rege erigi nec conferri possunt, instituere. Nempè Archidiaconos aliquot vnum scholiarcham seu Theologum, Pœnitentiariũ vnum, qui certè necessariò ab Episcopo pendere, & auctoritatem ac iurisdictionem ab eo accipere debent,* cùm eorum munus circa animarum curam & salutem, clauiúmque Ecclesiæ & verbi Dei dispensationem præcipuè occupetur. Igitur habebit Episcopus primores Canonicos sibi principali clientela obstrictos: hos enim solus vt instituere potest, sic solus collationem istorum beneficiorum sibi vendicare. Gregales igitur Canonici, Regi, Ecclesiæ huius fundatori & Patrono, acceptæ tantùm Præbendæ munere deuincientur: Cæterùm & ipsi Episcopo subiacebũt: Quid enim subesse recusent, cùm totius Chori Choriphæi, ipsimet Antistiti vt membra capiti & clientes Principi ac Domino obsecundabunt & suffragabuntur? Sic igitur solus Episcopus hac ex erectione commodum recipiet, & nouo comparato principatu vt potentior fiet, sic & illustrior apparebit. Nam vniuersum Ecclesiæ decus & imperium sensim ad se trahet,

* Institutio authorizabilis super cura in beneficiis Diœcesis, pertinet ex dispositione canonica ad solum Episcopum c. vnico de Capell. Monach. tit. 18. in 6.

iuráque Regia quæ ſe minimè appetere nunc inſinuat, paulatim vniuerſa ſibi arrogabit.

QVINTA autem quam ſubnectit ratio, poſtulata ſua laude vt digna eſſe ſuadeat; eius quam affectat nouitatis periculoſam conſequentiam non compenſat. Dicit tantùm abeſſe vt Regia Majeſtas hac ex erectione vllum detrimentum perpeſſura ſit, quin potiùs ipſam multiplex hinc decus & commodum adepturam eſſe. Primum autem quod aſſignat illud eſt, quòd cultus diuinus maiori ſplendore hac in Eccleſia, eminenti loco conſtituta peragetur: Epiſcopi ſiquidem præſentiâ & majeſtate, multum ornamenti & gloriæ cùm ipſi Baſilicæ, tum ſacerdotio, tum etiam ipſi ſacrificio par eſt credere acceſſurum. At vrbi quidem potiorem inde non abnuendum eſt poſſe obtingere honorem. Regi autem quid vtilitatis aut gloriæ hinc promaneat difficile eſt abſque conſpicillis propiùs admotis deprehendere. Rex enim nô Diuione degit, vt myſtico officio quod Pôtificali hoc apparatu ſtatis diebus obiturus ſit Lingonenſis Antiſtes, poſſit intereſſe, adeóque grato Religionis ſpectaculo oblectari. Quinimò ſi fortè fortuna die quodá vniuerſę Eccleſiæ ſoléni, putâ Natali Dominico, Epiphania, aut Paſchæ celebritate aut Pentecoſtes *, Rex pientiſſimus Diuione ageret, diuiníſque in ſacroſancta ſua Capella ex Chriſtiano more adeſſet officiis: conſpicerétque Epiſcopum Lingonenſem vel ſacris operantem, vel in ſolio ſedentem, ínque capite Presbyterij Pontificio nitentem apparatu: Non dubium eſt quin mox, pro eo quo puræ viget mentis acumine, ſciſcitaretur quis Antiſtes, Lingonenſem Eccleſiam totius Diœceſis principem, tunc temporis regeret &

NOTA.

* His maxime diebus diuina officia Epiſcopum debere ſua in Eccleſia peragere Concilium Agathenſe iubet can. 64. ſub pœna ſuſpenſionis triennalis à ſacrorum communione. Refertur autem in publicas Eccleſiæ ſanctiones 7. q. 1. c. Si quis.

illuſtraret: cùm Lingonenſis ipſe Epiſcopus propriâ deſertâ ſtatione, hac in æde (quæ tantùm ſecundariâ curâ, illi eſſet recens concredita) potiores officij ſui partes exolueret ac exequeretur. Nonne pientiſſimus & ſapientiſſimus Princeps, tunc intimo cordis dolore concuteretur: animaduertens permiſſione ſpiritualis poligamiæ, hoc vulnus Lingonenſi Eccleſiæ, quam maiores ſui tam teneris affectibus coluerunt, fuiſſe inflictum: quòd abſceſſu Pontificis, nouam ſponſam complectentis, ſuo ſplendore vt luminibus orbata, quaſique truncata capite, iacere, & deſolata gemere, tota vbique triumphante Eccleſia, cogeretur: Vacuâ nimirum cum ingenti dedecore, verâ ſedê Epiſcopali relictâ, & noua Cathedra, Pontificali adornata decore. Certè quiſpiam circumſtantium ſapientum tum Regi poſſet religiosè ſuggerere, vt ſecundùm deceſſorum ſuorum pia programmata ex ſacris legibus elicita, Epiſcopum ad ſedem propriam, vti ad centrum Pontificij Epiſcopali officio functurum regredi compelleret, * ſanctique Caroli Magni ſanctionem obſeruare illi diſtrictè iuberet, ſic habentem: *Vt non liceat Epiſcopo principalem Cathedram ſuæ parochiæ negligere, & aliquam Eccleſiam in ſua Diæceſi magis frequentare.* lib. 1. capit. 41. Hoc enim perinde eſt ac ſi Sol è cælo ſuo in Lunæ ſphæram deſcendens, diei ampliùs præſidere detrectaret: ſed noctem illuminare, contra legem diuinitus ſibi præſcriptam, & munus proprium eniteretur.

* Regis eſt Eccleſiæ leges & ſacram Politiam tueri. Hincq; Pariſienſis Concilij ſub Ludouico pio & Lothario habiti, Patres, de Regis tractantes officio: Sæpe, inquiunt, *per regnum terrenum cæleſte proficit, vt diſciplina quam Eccleſiæ vtilitas exercere non praualet, virtutem poteſtas impertiat. Cognoſcant principes ſæculi Deo debere ſe rationem, propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiũt. Nam ſiue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exiget qui eorũ poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.* lib. 2. cap. 2.

SEXTA ratio æquè eſt exploſibilis. Nempe *nouę Cathedrę Epiſcopalis in ſepedicta Capella erectione, benè proſpectum fore ſtatui Diuionenſis Eccleſię, quę Epiſcopi pręſentiâ multùm indigeat, ad compeſcenda quę paſsim emergunt*

ſcandala & abuſus. Hoc enim noui honoris accremento Epiſcopum ipſum vigilantiorem, atque ſtudioſiorem euaſurum gregis huius ſui commodi & ſalutis. Enimuero hoc mera eſt chimera. Tum quia neceſſe non eſt, quò Epiſcopus delicta Cleri aut plebis corrigat, ac gliſcentes abuſus emendet exſcindatque: vt vbicumque enaſcuntur aut patrantur ſedem figat: poteſt enim viſitationis munus de more obeundò, atque cum opus fuerit iterando, infauſtos vitiorum aut errorum palmites, in agro dominico pullulantes paſtorali falce præcidere. Sicque omnes Epiſcopi Lingonenſes qui tot ſæculis ſumma laude huic gregi ſuo præfuerunt, abſque ſedis duplicatione, emergentia ſcandala & vitia vbique in Diœceſi fœliciter compreſsêre, imò & radicitus euulſêre. Tum quòd Diuio Lingonibus adeo eſt vicina, vt hinc vix dietæ modicæ ſpatio remota ſit: quamobrem breui poteſt momento Epiſcopus, ſuæ etiam Cathedræ inſidens, quæ illic fiant aut accidant addiſcere: imò quaſi è ſpecula admodum propinqua ipſe proſpicere & deprehendere quomodo Diuionenſis Cleri & populi ſtatus ſe habeat. Tum denique quia vrbis maxima pars curæ non eſt Epiſcopi ſuppoſita: Nam ex ſeptem parœcijs quibus incolæ colliguntur: vna duntaxat titulo S. Ioannis inſignita & à S. Benigno inchoata, * ipſius Antiſtitis hierarchicum principatum agnoſcit eiuſque imperio obſequitur; cæteræ ſex Abbatibus S. Benigni & ſancti Stephani clientelæ ſunt iure, & ſacri regiminis ratione, omnino obnoxiæ: qui Apoſtolicis priuilegijs cumulati ius Epiſcopale in has Eccleſias & illarum rectores obtinent & pacificè exequuntur. Non eſt igitur veriſimile tam graues & multiplices caſus in dies vna in

Vide Canon. Epiſcopum 10. q 1. & ibi gloſ. 1. Necnon extrauag. vas electionis & ibi gloſ. per alios. De cenſib. int. commun.

* Chronicon Diuionenſe ſacratam Eccleſiam fuiſſe prodit ab ipſo S. Benigno *in honore S. Ioannis Baptiſta, & S Ioannis Euangeliſta*. fol. 2. b.

parœcia, quam illic habet Episcopus, suboriri, vt ad iis occurrendum sedem nouam ibidem instaurare opus sit: Hac etenim peculiari specula Pastorali, gregem adeo exilem non indigere, tot annorum transacta à suscepta Religione curricula, rerum explorato vsu probauerunt. Quid, quod si tota ciuitas Episcopo subiaceret, tamen minimè opus esset ad secundariæ huius Cathedræ collocationem deuenire? Nam Episcopus Lingonensis Diuione ad tuẽdam auctoritatem suam, Vicarium habet Iuridicum & Promotorem, qui disciplinam Ecclesiasticam prædicta in parœcia quæ sola Episcopo suffragatur ex officio vindicant, ac repentinis casibus succurrunt, præsentémque operam afferunt Pontificia cura & potestate. Imò vt id operæ exhibeant, vt plurimum, vix opus est. Quandoquidem Reuerendissimus ipsemet Antistes qui eam vrbem ob Parlamenti splendorem in deliciis habet, ibi maiori parte temporis immoratur, sacra munia quæcumque ab eo desiderari possunt exequens & impertiens: vt nihil Diuionenses desiderare possint sacri solatij & spiritualis subsidij, quod ab Episcopo, eorum certè amantissimo, non continuò percipiant & assequantur. Vnde nihil huiusmodi impræsentiarum exposcunt, sed tantùm id efflagitant quod magis sibi conferat ornamenti quàm commodi, plusque tribuat gloriæ & honoris quàm gratiæ & salutis.

SEPTIMA autem consideratio, quam eorum vt vota promoueat, inducit Dominus Lingonensis: in eo itidem sita est, quod Regis ipsius honorem & sacræ Capellæ decorem magis videtur ampliare. Exponit videlicet; *nouæ huius Cathedrę accessione multum dignitatis ipsi basilicæ comparatum iri. Enimuerò cùm sacrosan-*

ctum hoc ſacellum parœcialis ſit Regię Maieſtatis Eccleſia, hinc ea equidem recipiet non exile honoris incrementum, quòd deinceps Decanum (vtique ſacrificulum ex infima claſſe) Corypheum *non habebit, ſed Pontificem pro capite & apice obtinebit, ipſo preſulatu illuſtrem, quin etiam munere Regij Curati ſpectabilem.* Hoc igitur Rex Chriſtianiſſimus vnico fructu gaudebit, quod Epiſcopum, ſuæ Capellæ parochum videbit conſtitutum. Sed eiuſmodi ratiuncularum congeries nihil prorſus ad intentum confert petitoris. Nam 1°. ſuperiùs probatum eſt, nũquam fuiſſe mentem fundatoris, vt Capella illa in Epiſcopalem Eccleſiam aliquando eueheretur; hacque prærogatiua excreſceret. Quinimò ne id fieret eidem & Capellæ nomen indidiſſe & Clerum emancipari curaſſe ab omni Epiſcopali imperio. * Locum denique in alodium S. Petro obtuliſſe & Romanæ Eccleſiæ contuliſſe, votoque ſuo per manus Alexandri PP. III. ſanctificato & ſuſcepto, ſtatuiſſe; vt Romanus Pontifex ſolus principatum huius ſacræ ædis obtineret, Ducúmque eſſet Burgundiæ hoc titulo & ratione immediatus paſtor & Epiſcopus: cuius quoad curam animarum Decanus pro tempore exiſtens, ordinarius Vicarius eſſet. Adeo vt ipſam Paſtoralis præfecturæ auctoritatem, primum ſtuduerit, Decanum, ex ipſo ſedis Apoſtolicæ fonte delibare, atque ipſam animarum curam propriis è manibus Alexandri PP. prælaudati vt primitiui Paſtoris recipere & conſequi. 2°. (quod cum bona venia dictum ſit Reuerendiſſ. D. Lingonenſis:) non eſt iſta inſinuatio ſyncera, quòd ſacra Capella Diuionenſis ſit Regis Parœcialis Eccleſia. Tametſi enim ad hoc condita ſit vt Ducum Burgundiæ eſſet propria Eccleſia; ſeu, vt ait ſuo in diplo-

* Quamquam in exempta monaſteria & myſtica ſodalitia, Epiſcopis Diœceſanis ius aliquod animaduerſionis canonicę, (grauiſſima vbi emergunt ſcandala) ſacræ ſanctiones concedant 18. qu. 2. c. 5. Perpetuò tamen obſeruandã eſſe regulam à fundatoribus conſtitutam, ſequẽdamque inuiolabiliter ipſorum fundatorum intentionem decreuit Concil. 3. Arelat. & Valent. 2. Vnde & canonica diſpoſitio docet, intentionem facientis ſeu mandantis præ omnibus, ſiue in contractibus, ſiue in vltimis voluntatibus attendendam eſſe *gloſ. 1 in c cum cauſam 36 de Prabend. & gloſ. intentionis in extrauag. ad Apoſtolatus. Ioan. 22. & gloſ nec intentio in Extrauag. eiuſdem Pontif. ad conditorem.*

mate, Hugo eiusdem instaurator, *vt iisdem Dynastis esset tanquam cubile & reclinatorium animę*: Tamen non eadem nunc est rerum, quæ tunc elucebat facies: sed prorsus alia, Burgundiæ dudum immutatô statû. Siquidem Ducum Burgundiæ cessauit pridem series; ad sceptrique Regij iura, tota hæc Prouincia iamiam diuinis auspiciis est reducta. Regni autem Diuio nec est Metropolis, nec Regia sedes: sed Lutetia: *imò in Gallia sunt plurimæ vrbes & Prouinciarum fastigio & supremarum Curiarum consessu, non modò Diuioni pares, sed dotibus eximiis longè insigniores, quæ templis, etiam Regia fundatione & patronatu, suffultis, potiuntur: nec tamen Regem suum parœcianum esse dicunt, nec de Episcopo illi in Curionem præficiendo, sibi cogitandum esse, arbitrantur. Merum igitur figmentum est, quod prætexit illa petitio, de Episcopo adsciscendo Diuionem ad parœciale ineundum munus, vt Rex digniorem Decano, pastorem consequatur. 3°. denique, si Episcopus sede sua in ea Capella collocata, Decani munus sibi vendicet, curámque animarum assumat parœcialem, non ideò Ecclesiæ, vel Clero maius obtinget dignitatis ornamentum. Quinimo Cleri primicerius qui Decanus est, secundicerius fiet: Ecclesia verò quæ Romanæ Ecclesiæ est filia, hoc ipso decore spectabili minuetur. Denique nec Regi, (qui si Diuione solium suum figeret, vnicus esset huius ædis parœcianus,) inde vberior fructus obueniret: quandoquidem nihil iam subsidij posset ab Episcopo, suo tunc Curato percipere, quod non à Decano natiuo parocho suo iam recipere queat. Omnia enim sacramenta quæ dispensanda incumbunt parœciali Pastori, sacerdotalia sunt, non propriè

* Gregor. Turon. lib. 2. histor. Franc. ca 38 *Egressus autē Clodoueus à Turonis Parisios venit: ibique Cathedram, regni constituit* Id ipsum testatur Aymoinus lib. 1. de gest. Franc cap. 16. sed & Sūmi Pontifices, Parisiensi Ecclesiæ priuilegia dudum impertientes: hoc passim exordio munifica sua diplomata adornabant *Quantò nobilis & gloriosa Parisiensis Ecclesia, pro sede Regis Francorum extitit famosior, & in amore & reuerentia B Petri & S. R. Ecclesia, Venerabilis frater N. Episcope manifestis argumentis extat deuotior: tantò propensius in his quæ ad vtriusque decus & emolumentum spectare noscuntur, optata suffragia impertimur. Ideóque* &c. Sic legere est in prerogatiuis rescriptis Innocentij 2. ad Stephanū. Lucij 2. ad Theobaldum. Eugenij 3. ad eundem: Alexandri 3. Clementis 3 & Cœlestini 3 ad Mauritium, aliorumque Pontificum ad alios Episcopos Parisienses: Quæ apud nos extant ex vetustissimo codice Mēbraneo, Parisiensis Ecclesiæ iura & priuilegia continenti verbotenus elicita & transcri-

propriè Episcopalia: Vnde à Presbytero simplici æquè ac ab Episcopo conficiuntur aut conferuntur. Quamobrem siue ab hoc, siue ab illo impertiantur, eiusdem sunt efficaciæ & virtutis.* Etenim ipsorum sacramentorum energia, non pendet à dignitate ministri, imò neque à sanctitate. Sacramenta siquidem sanctificat virtus diuina, non merita sacerdotum. *can. multi sæcularium* 84 *qu.* 1. Et effectum non habent secundùm meritum dantis, sed accipientis. Can. si. 15 q. 8.* Vnde Diuionenses qui non ab Episcopo, sed à Presbytero, S. scilicet Benigno protopastore suo & Martyre salutis primitias receperunt, nihil minus habuisse credendi sunt, (quod ad cælestis verbi semina, & supernæ gratiæ, quæ Episcopo & Presbytero communia sunt mystica adminicula) ab his populis, qui pietatis Christianæ elementa, à delectis sibi per Apostolos vel Apostolicos viros Episcopis susceperunt.

pta per seriem ad calcem Chronici nostri Ecclesiastici Parisiensis nondum excusi.

* S. Hieronym in Epist ad Euagriū, & S. August tract. 5. in Ioan. ad illa verba: *Hic est qui baptizat.*

* Consule Luitprand Ticinensem lib. 1 cap 8 vbi de ordinatis à Formoso PP. egregiè tractat.

SED iam excutienda venit 8. Reuerendissimi Præsulis Lingonensis suggestio: quâ signanter commemoratâ, Diuionensis vrbis amplitudine, concludit, decus illi Episcopale deberi, non ob has modò quas præmemorauimus rationes, sed propter plures alias, easdémque vrgentissimas, Capellæ non tantùm sed vrbis quoque Diuionensis commodo pariter & ornamento maximè conferentes. Verùm quod de vrbis dignitate petitio illa Episcopalis insinuat, iam accuratâ discussione in huius dissertationis limine expendimus. Rationes autem alias ab ipsius supplicis libelli concinnatore assignatas, ad ea elicienda quæ postulat ipsemet perillustris Dominus, prorsus inefficaces esse conuicimus. Cæterùm eas quas non exprimit, sed vel multiplicitatis inuolucro prætexit, vel ob

pondus vmbratile prætermittit; esse quidem raræ texturæ facile est aduertere. Nec enim præsumendum esse reor tam sapientem Antistitem leuiora argumenta, ad consequendam à Rege petitionem depromi studuisse: grauiora verò & efficaciora, quæ Regium animum magis conciliare & inflectere poterant rationum capita, voluisse silentio inuoluta præteriri.





PARS SECVNDA.

CAVSAS ET RATIONES COMplectens, ob quas Capitulum Lingonense Episcopi nouo conatui sese opponit, contenditque geminam, quam ille exposcit, Cathedram, minimè concedendam esse.



EPVDII libellum dare vxori, olim sub Moyse, cuilibet viro licitum erat: Hodie verò iustitiæ fulgente sole, Christo auctore gratiæ, penitùs prohibitum est, neq; matrimonium deinceps per hanc viam potest dissolui. *Can. ab exordio dist.* 35. Etsi verò tunc Iudæis ob duritiam cordis id sub lege indultum fuerit: nunquam tamen fuit sine causa permissum: sic enim dispensatoria Moysis sanctio ferebat. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inueneris gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem,* * *scribet libellum repudij & dabit in manu illius & dimittet eam de domo sua.* Nempe libellus ideò tradi iubebatur, vt causa intimaretur cur vir vxorem ablegaret.* Quapropter Deus ipse qui dudum filiam Israël, Synagogam Iudaicam, speciali sibi fœdere copulauerat, cùm tandem repudiare statuisset, ne iniustè hoc diuortium inijsse videretur, Iudæis, infelici huius matris soboli, sic huius seiunctionis reddere dignatus est rationem,

Deut. 24 1.

Matth. 5.31. & 19.8

Marc. 10 2.3.

* Legit ex veteri autographo Tertullianus l.4. cont. Marc. c.34 *Si in ea inuentum fuerit negotium impuditũ.*

* S August. lib. 19. cont. Faustum ca. 16 *Deus*, inquit, *initio posuit hanc moram, ut in dißidiũ animus praceps libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset vxorem dimittere, cogitaret: præsertim quia scribæ, quorum*

Esa. 50. 1. 2. *Hæc dicit Dominus. Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam?* Respondetque se ob filiorum scelera, matrem deseruisse. Imò apud Ieremiam ipsius matris incusat improbitatem, hancque causam eius abiectionis indigitat: *Pro eo quod mœchata esset auersatrix Israel, dimisi eam & dedi ei libellum repudij.* Et verò quia vt superiùs ostensum est, Episcopus est Dei in credita plebe Vicarius, illiusque Ecclesiæ sponsus, * cuius ex suæ ordinationis sacramento & mystico inito fœdere, regimen ac tutelam suscepit: non dubium esse potest quin si Euangelicâ legê posthabitâ, quæ districtè omne repudium proscribit, Mosaïcæ vsus indulto, sponsæ suæ Ecclesiæ, cui tam stricto pietatis vinculo copulatus est, libellum repudij dare voluerit, saltem causam teneatur indicare, & scripto exaratam prodere, ob quam se ab eius consortio diuellat, reddatque eius à sinu & complexu alienum. Sed vt ex dictis constat, Dominus Episcopus Lingonensis, qui diuortium ab Ecclesia sua meditatur & molitur, nullam rationem, etiam in libello suo supplici, quo repudium eiusmodi quibus potest persuasionum adornat pigmentis depromit efficacem, nullam causam assignat legitimam, ob quam desponsatæ sibi inuiolabili nexu Ecclesiæ, thalamum deserere & nouæ sponsæ thorum appetere valeat. Referunt sacræ historiæ olim Episcopum sanctissimum sponte propriâ Ecclesiam suam dimisisse, at priùs iusti diuortij, memorabili hac exarata & tradita Epigraphe. *Clero rebelli & populo non subdito, Ecclesiæque dissidenti abrenuntio,*

erat literas scribere, quasi viri prudentes, dissidij dissuasores erant Sanctus quoque Hieronym' in 2. Malachiæ explicans illud. *Custodi spiritũ tuũ, & vxorem adolescentia tua noli despicere. Spiritus,* inquit, *mariti vxor dicitur quòd propter affectum quodammodo vna anima in duobus esse videatur, coniunctis spiritu, mente societatis, &c. Præcepit itaque per Prophetã Deus & dicit, custodite spiritũ vestrũ, ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore vincamini: Et vxorem adolescentia tua noli despicere, vt quæ tibi virginali primũ iuncta est matrimonio, perseueret vsq; ad senectutem. Quicumque autem exceptâ causâ fornicationis (quod plenius Dominus prosequitur in Euangelio) iniquè vxorem dimiserit, operiet vestimentum eius iniquitas, id est corpus quo anima vestitur, dicit Dominus exercituum.* Cæterùm de diuortiis extat titulus 19 li. 4. Decretal. Agunt verò de iisdem ex professo Theologi in lib. 4. sent. dist. 35.

* Can. 6. Apost. *Vt Episcopus aut Presbyter vxorem suam* (nempe Ecclesiam) *quam castè debet regere, non relinquat.* Hinc Innocent. 3. Decano & Capitulo rescribens Andegauensi ita docet: *Inter corporalia & spiritualia eam cognouimus esse differentiam, quòd corporalia faciliùs destruũtur quàm construantur: spiritualia verò faciliùs construuntur quàm destruantur. &c. Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantũ*

seruans mihi nihilominus honorem sacerdotij, & Cathedræ Episcopalis dignitatem. * Et Patres quidem Episcopo (modò culpa non obsit) etiam desertâ sedê & Ecclesiâ, Pontificatus gradum & honorem seruandum esse integrum decreuerunt. Idque triplici in casu præsertim locum habere voluerunt, quibus equidem licitè potest Episcopus vel sedem non adire, vel cogitur pridem adeptam deserere. 1°. quando vrbs cui præsidet ab hostibus diripitur; hoc enim casu contingente in Quimsexta Synodo sancitum fuit cap. 37. vt Episcopo qui propter barbaricam incursionem ad suam Ecclesiam nequit accedere, à suis honor deferatur. Licet enim amiserit sedem, non tamen auctoritatem. 2°. quando Episcopus legitimè ordinatus non admittitur à populo. Illi enim sic Patres prospectum esse voluerunt. In Concilio 1. Antiocheno can. 18. *Si Episcopus ordinatus ad parochiam cui est electus minimè accesserit, non suo vitio, sed quòd eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, non tamen eius vitio perpetratam; hic & honoris & ministerij sit particeps,* &c. Quam sanctionem ab his Patribus ex Apostolorum Canone 37. vberiùs expresso liquet fuisse depromptam, qui sic habet. *Si quis ordinatus Episcopus ad populum sibi commissum profectus, præ populi malitiâ, non pro sua voluntate aut sententia, receptus non fuerit; maneto quidem ipse Episcopus: Clerus autem ciuitatis communione priuator, quod populum tam inobedientem non erudierit, aut corripuerit.* 3°. denique cùm Episcopus canonicè ordinatus, sedem pacificè ingressus, ac officio subinde strenuè perfunctus, propter zelum disciplinæ inuisus fit populo; atque dirè impetitus non potest suâ in speculâ persistere, sine vitæ periculo imminenti. Tunc etenim loco potest

indicio reseruauerit dissoluendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugij, quod est inter virum & fœminã, suo tantùm indicio reseruauit, præcipiens, vt quos Deus coniunxit, homo nõ separet, &c. quæ habentur l. 1 decret. Tit. 6. de Transl. Episc. cap. 2.

* Consonat cap. 1. de ordinat ab Episc. qui Episcopat renuunt. Decr. l. 1. Tit. 13.

Ex his sanctionibus conflatus legitur can. si quis dist. 91.

ſine reatu excedere. Qua ratione Innocẽtius PP. III. *in cap. ad ſupplicationem*, Raguſenſem Archiepiſcopum à cura qua tenebatur ſuæ Eccleſiæ abſoluit: quod ibi ſecurè morari non poſſet, & ſi acceſſum haberet, mortis ei periculum impenderet. Verùm, etiam in his caſibus, Patres modum & regulam præfixerunt. Nam circa incurſionem hoſtilem; ſic Nicolaus PP. conſtituit reſcribens ad Humifridum Morinenſium Epiſcopum, Apoſtolicum oraculum ſub Normanica illuuione conſulentem. *Sciſcitaris an à Normanis Epiſcopio depulſus debeas in Monaſterio de cætero conuerſari: In quo ſcias, ſi pernicioſum eſt proretam in tranquillitate nauim deſerere, quantò magis in fluctibus? vbi non dicimus quod perſecutorum, non fugiamus (maxime Paganorum) inſidias, cùm ad tempus ſæuiunt, & ob multitudinem delictorum noſtrorum nocendi facultatem diuinitùs aſſequuntur: præſertim cùm eis prodire vltrò non debeamus; & multos Prophetas & Apoſtolos, ipſumque Dominum*, eiuſmodi fugiſſe inſecutores luce clarius conſtet: * Sed quia præcipuè nos (qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, imò qui & horum Paſtores ſumus) Deo auctore cum eis in periculis pro viribus perſiſtere pro certo conueniat, & cùm tranquillitas reddita diuinâ fuerit pietate, ſopitaque furentium infeſtatio, mox gregem requirere & in vnum colligere, & eius animos cæleſtis patriæ pace, ac ſecuritate prædicatâ, ſurſum erigere debemus: Et tamdiù ſuper eorum cautela nos oportet eſſe ſollicitos, vt ſi Dei iudicio præſentis temporis commoda fortaßis amittant, futuræ vitæ ſe ſperent gaudia abſque ambiguitate percipere ſempiterna.* Hæc Pontifex ſede Apoſtolica digniſſimus: qui certè quod docuit è ſacris ſcripturis & Patrum monimentis piè ac ſolerter expreſſit. Diuinæ ſiquidem literæ & Patres quique ſanctiſſimi, hanc circa fugam aut

Tit. de renunciatione 19 lib. 1. decret. cap. 9.

* Moſem ſcilicet Exod. 2. 13 Dauid 1. Reg. 16 10. 21. Eliam 3 Reg. 19. 3. Chriſtum Dominum Ioan. 6 13. & 7. 1. & 8. 59. Paulum Act 9 25. Diſcipulos Act 8. 1 iuxta Domini præceptum Matth. 10. 23.

* Et licitæ receſſionis & impauidi opportunique occurſus, exempla aliorum legimus ſanctorum eximia apud Euſeb. lib. 4. hiſt Eccleſ. cap 15. lib. 6 cap. 3. Rufin. lib 1. ca. 14 Socrat. lib. 4. ca. 13. Theod. lib. 3 ca. 7. Niceph. lib. 10. cap. 8. & 9.

ſeceſſum Epiſcopi docent diſquiſitionem adhibendam: An ſcilicet cauſa ob quam à grege ſuo recedit Epiſcopus, perſecutio ſit publica, vel priuata. Si enim publica eſt perſecutio, qua Eccleſia à Tyranno infideli impetitur, & de fide ſit quæſtio, ſtationem non poteſt ſuam Epiſcopus deſerere, imò debet gregem tueri, ac religioſo certamini ineundo ſe ducem exhibere. Cùm enim non eius tantùm, ſed totius Eccleſiæ ſalus quæritur, fides impugnatur; neceſſe eſt ex aduerſo Paſtor accedat, in die belli ſe ipſe pro domo Dei murum opponat, animam pro ouibus exponat, paſſionis exemplo accendat quos ſermone diutiùs confirmare non poteſt. Nec enim eo caſu licet fugam arripere niſi Epiſcopus mercenario qui venienti lupo terga vertit (vt exprobrat eiuſmodi formidoloſis in Euangelio Dominus) ſimilis eſſe velit. Siquidem vt appoſitè ait S. Auguſtinus Epiſt. 180. *Quis credat Dominum voluiſſe neceſſario miniſterio* (& præſidio) *greges deſeri, quos ſanguine ſuo comparauit?* Vnde probatus ore & opere, fidelis paſtor Cyprianus, ad Cornelium ſcribens Pontificem iam Martyrij candidatum, hos ſtimulos Epiſcopis ingerebat lib. 1. Epiſt. 2. *Iuſtum eſt vt à Paſtoribus oues non deſerantur, ſed grex omnis in vnum congregetur, & exercitus Domini ad certamen militiæ cæleſtis animetur.* Et poſt pauca. *Nonne nobis vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis in die iudicij aſcribetur, quod Paſtores creditas & commiſſas oues, nec curare in pace, nec in acie voluerimus ſeruare.* Tunc igitur cùm communis hoſtis gregi imminet, Paſtori fugam non licet oppetere. At ſecus eſt cùm perſecutio non eſt publica, ſed priuata ſeu perſonalis: Tunc enim fas eſt Epiſcopo illam ſecedendo declinare, ſi per alios firma eſſe po-

Ioan. 10.

test Ecclesiæ salus, & ex ipso secessu, maior vtilitas, quàm ipsâ ex præsentiâ fructus sperari queat. Sic Dominus Apostolos suos edocuit, vt vna in ciuitate impetiti, in aliam commigrarent: *Non propter eludendum* (notat Tertullianus) *propriæ persecutionis periculum, sed propter profectum annuntiationis, ne statim oppreßis eis, Euangelij quoque dißeminatio perimeretur.* Sic fidelium deprecatione fugiebat Petrus à Nerone quæsitus ad necem *: vt ad instituendum confirmandúmque populum se alioqui passionis cupidum reseruaret. Sic & Paulus priuatæ persecutionis pulsatus discrimine, Damasco se per murum furtim delabi passus est, vt munus à Domino iniunctum perficeret, & cursum consummaret destinatum. Illustria autem sunt & ferè innumera sanctorum Antistitum, prudenter ac fructuosè, se commoti populi aut Principis furentis aspectibus subtrahentium, & aliò secedentium exempla, quæ ideò non hîc breuitas permittit minutim recensere. At sancti vnius Athanasij Alexandrini Episcopi, qui tot persecutionum turbines initâ sæpius fugâ declinauit superauítque, exemplum vt cæteris supereminet, sic sententia illa grauissima, omnibus hac in re Patrum dictis præponderat, quâ docet & innuit quo pacto & fine captanda sit fuga Episcopis, seu secessio ineunda; *Obtemperaui* (inquit in Apologia ad Constantium Imp.) *scripturæ ita loquenti: Abscondere aliquantisper donec transeat furor Domini.* Esa. 26. *Abdidi me denuò: nec piguit in solitudinem abire; nec si necesse sit (exemplo Pauli) in sporta è mœnibus demitti, omnia sustinui, cum feris habitaui, vt interim & vos transiretis, & idoneum eorum quæ scribo tempus adueniret.* Non enim sic Episcopus ille sanctissimus sedem suam ob pressuras & insidias

Li. de fuga in persec. num, 44. & 45.

* Egesip. lib. 3. de excid. vrb. Hierosl. cap. 2. *Victus precibus Petrus, cessit: promisit se vrbe egressurum. Proximâ nocte salutatis fratribus & celebratâ oratione proficisci solus cœpit. Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum dixit:* DOMINE QVO VADIS? *dicit ei Christus: Iterùm venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictũ Passione.* Idipsum recitant S. Athan. in Apologia, & S. Hilar. in Auxent.

dias deſeruit, vt voluerit ſibi ſolùm proſpicere, ſed vt opportuno diuerticulo, diſcrimina hæc euadens, daret locum iræ, procellâque ſedatâ Eccleſiam ſuam repeteret & ita diutius & vberiùs gregi ſibi diuinitus credito opitularetur. Vnde & ſedi reſtitutus, Alexandriæ glorioſè tandem defunctus eſt: cùm in annos 46. Epiſcopatum propagaſſet, eóſque ſanctè & ſtrenuè tranſegiſſet in perpetua perſecutione, exilio prope irremiſſo, fuga frequenti & latitatione diuturna. Hinc igitur habent Epiſcopi quo fine & modo, priuata perſecutione pulſati, ſolio ſuo poſſint excedere, nempe ad tempus & quoúſque is qui ventis & mari imperat *procellam in auram conuertat*. Porrò circa *populi malitiam*, alia eſt Patrum praxis & admonitio obſeruanda. Nempe attendendum eſt an plebis ſit particularis, vel generalis proteruia. Nam ſi particularis tantùm eſt: gloſa in can. *aduerſitas* à Gratiano ex ſcripturis ſacris, & ſanctorum Patrum documentis concinnata 7. qu. 1. can. 48. omnino ſeruari debet, cuius ſumma eſt: Cùm ſubditorum vitiis Prælatus affligitur, ſiquidem boni cum malis habitant, mali propter bonos tolerandi ſunt, non boni propter malos deſerendi: maius enim malum in bonorum ſeparatione committitur, quàm in malorum coniunctione fugiatur. Si verò populi erga Epiſcopum ſuum communis eſt duritia, ſi rebellio obſtinata, ſi odium perenne eſt & inſatiabile; tunc profectò quia oues in lupos conuertuntur, quique humiliter obedire deberent, irreuocabiliter contradicunt, ſícque deplorata furunt inſania, vt huic morbo nec verbis nec herbis Epiſcopus poſſit mederi: ne ijs deterius contingat (eo quod Paſtoris præſentia haud eis proſit, ſed magis eorum

Pſalm 106. 29.

rabiem exacuat:) fas est sanè Episcopo corpore ab eis recedere: Imò etiam huic Ecclesiæ (quia, vt ait Propheta, *domus exasperãs est, dura fronte & indomabili corde:*) nuntium repudij inscribere. Túmque iure vsurpare poterit quod supra à prisco illo & sancto Præsule dictum fuisse commemoratum est. *Clero rebelli & populo non subdito & Ecclesiæ dissidenti abrenuntio, seruans mihi nihilominus honorem Sacerdotij & Episcopalis Cathedræ dignitatem.* Et verò si apud Lingones se res ita haberent, citra iniuriam posset Episcopus similem libellum repudij Ecclesiæ suæ inscribere, atque sedem aliò traducere: sicut & nonnulli his ferè temporibus Episcopi fecerunt. Nam cùm *puteô abyssi apertô*, hæreseon portenta hinc permulta erumperent, tetróque *fumo* obsita, virus suum vndique spargerent: populi, qui Episcopis suis iam immorigeri erant, rerum nouarum cupidi, admissis vt impostoribus, *mendacio* vltro *crederent*, veritatem prorsus exploderent, Pastores & Doctores suos quos audire & reuereri debebant, lædoriis & pressuris exagitantes, coegerunt loco excedere, atque inuitos, vniuerso cum Clero, fugere compulerunt. Tunc igitur boni illi Pastores à lupis his frementibus, minimè superati quidem, sed exclusi, vt non fugere sed fugari se innuerent, sedem alium in locum, quem viciniorem adire & securiorem inuenire potuerunt, pro tempore transtulere, illicque *quousque Dominus misereretur Syon*, & visitationis tempus adueniret, degentes cum sacerdotio suo, officio perfungi & non modo his Diœcesanis qui *filij facti subtractionis* haud fuerãt, sanctissimè præesse instirerunt: sed etiam proteruis & rebellibus omni qua potuerunt industria & zelo prodesse curauerunt, hodieq; etiam

Ezech. 2.4 5.
Apocalyp. 9. 2.
2. Thess. 2. 10.
Matth. 10. 15.
Psalm. 101. 14.
Hebr. 10. 38.

ſedulo proſpicere enituntur. Sic Geneuenſis apud Allobrogos Antiſtes, à perduellibus oppidanis ſuis, ſede & æde ſacra deiectus atque cum omni Clero exactus, Cathedram apud Anicium Sabaudiæ ad alterum lacum Geneuenſem conſtituit, * vbi in hunc vſque diem permanet maximo gregis commodo & religionis orthodoxæ peroportuno præſidio. Ita & Loſanenſis, qui ciuitate ſuâ ab hæreticis Bernenſibus occupatâ Epiſcopalem ſuam ſedem fixit Friburgi Nuictlandiæ Heluetiorum: Et Baſileenſis, qui, orthodoxa fide à Baſileenſibus abnegata, ſedem ſuam collocauit Friburgi Briſgoiæ, quæ vrbs eſt apud Heluetios Academica, eadémque in Diœceſi ſita. Demum ita & alij plerique in Germania vt facerent Epiſcopi compulſi ſunt, hæreſi ſedes Epiſcopales deijciente & ciuitates primarias Diœceſeωn occupante. Verùm tantùm abeſt vt ſic actum ſit apud Lingonenſes, illic enim viget religio auita, fides floret Apoſtolica, Catholica regnat Eccleſia, ſacra perſiſtit eximio decore Hierarchia; atque ſyncera cum doctrina & fide, diſciplina Eccleſiaſtica vires retinet; Clerus ſacra munia dignè & religiosè exercet; nec magis amplitudine ſua, quàm virtute & pietate, enitet & coruſcat. Porrò Epiſcopus ſummo honore ab omnibus habetur, maxima auctoritate pollet, copioſis opibus fruitur, vtque laudabiliter præſidet, ſic etiam pacificè munus ſuum Paſtorale exequitur. Populus cum omni ſubiectione eidem adhæret & obſequitur, atque intimè orthodoxus rectam fidem profitetur & ſtrenuè tuetur, *ac incorruptam* (vt cum S. Hieronymo loquamur) *Patrum ſeruat & colit hæreditatem*. Quàm verò ab hæreſi abhorreat hac in vrbe Clerus & populus, vel vnius affa-

* Ita & poſtquam Hieroſolyma fuiſſet à Saracenis occupata Patriarchalis ſedes ab Alberto ſanctæ ciuitatis Hierarcha, Heraclij ſucceſſore, Acconem translata fuit: anno ſcilicet peractæ ſalutis 1104 Tuncque ſigillum Patriarchale mutatum etiam fuiſſe comperimus, vt diſcrimẽ rerum ſtatui diuerſo palam interponeretur. Sic enim dum Patriarcha adhuc Hieroſolymis ſederet, Bulla plumbea, annulo eius ſignatorio impreſſa erat in antica parte: ΙΙ ΑΝΑ✠ΣΤΑΣΙΣ *in poſtica vero;* ✠ *Eraclius ſancta Reſurrectionis Eccleſia Patriarcha.* At poſtquam Hieroſolymam impij expugnauerunt, ſedemque ſuam, Ptolemaidem inde Patriarcha tranſuexit: ſic cuſum numiſma ſignatorium, myſticis epigraphis cœpit appendi. ✠ *Albertus Patriarcha Hieroſolymorum.* Idque à fronte. Sic vero à tergo. ✠ *Hieroſolyma a Saracenis capta, ſedes Acconem tranſlata.* Referuntur porro duo ſic obſignata diplomata in Horto Crucis R. P. Iacobi Gretſeri parte 2. pag. 109 & 133.

tim prodet, (at nunquam satis prædicandi) religiosi facinoris, non ita diù peracti, commemoratio. Ægre ferebant hæretici Geneuenses (nam non ita procul ab hac impiorum arce, sita est Lingona) hanc vrbem tot dotibus claram, tot titulis conspicuam, atque ad Regni claustra, & regionis, vt ita dicam, fauces positam, * suo lethali veneno non infici potuisse: sed in religione Catholica, Apostolica & Romana (à qua alia non est, nec esse potest, cùm vnus sit Deus & vna fides) constanter persistere: atque eam, quam imbibit ab elucescente Euangelio, S. Benigni Presbyteri & Martyris, sui in Christo protoparentis prædicatione salutari, intimis insitam præcordijs, seruare & excolere pietatem: hac igitur exciti inuidia, perditi illi errones, enitendum quibuscúnque modis decreuerunt, virus suum eam in vrbem diffundere: vt illam inficiendo ciues Orthodoxos auerterent *à simplicitate*, (vt ait Apostolus, 2. Cor. 11. 2. 1.) *quę est in Christo*, hoc est prorsus deducerent à veritate & salute. Sed quia palam id aggredi non poterant subdolè & per cuniculos hoc efficere studuerunt. Non patebat in Lingonensi vrbe angulus, in quem tortuosi & venenosi isti angues & colubri, coeuntes, possent toxica mortifera sparsuri irrepere. Igitur quod in vrbe receptaculum assequi nequirent, propè vrbem obtinere adnisi sunt. In agro Lingonensi, vix secundo ab vrbe lapide pagus est, Percey vulgo dictus, claustris septus, arce munitus, amplis latifundijs constans, iure ditionis & clientelæ insignis: opportunum hunc locum, segreges, quia suis consiliis censuêre, mox comparandum, priuatô, sibi addicti cuiusdam medici & emendicatô nomine, quouis pretio statuêre. Nec

In Epist. ad Damasum Papam, *Quoniam vetusto.* serie. 58. tom. 2.

* Sita est enim in Burgundiæ, Lotharingiæ & Campaniæ confinio. Quamobrem Ludouicus VII. Rex Christianiss. in diplomate editô Senonis anno salut. 1179 Rationem assignans cur diademati Gallico vrbem Lingonēsem vellet indiuisibiliter inhęrere; hancque Regia clientela & opitulatione, æquū censeret ac necessarium communire: seriem priuilegij hac consideratione exorsus est. *Prouidentes quieti & tranquillitati subiectorum nostrorum fidelium, attendentes etiam feruorem fidei & deuotionis quam nobis & prædecessoribus nostris Regibus Franciæ, Lingonēses circa limitem Regni nostri constituti, tam Clerus quàm populus irreprehensibiliter à multis retro temporibus exhibuerunt, præsentis pagina priuilegium duximus confirmādum, quod ad statum & incolumitatem Coronæ nostræ credimus profuturum.* &c.

frustra id conati sunt. Artibus suis, & numeratæ pecuniæ vi, omnia vt volebant concessêre: loco igitur potiti, *Cathedram pestilentię* illic erigere & scolam impietatis instruere ac aperire iam gestiebant: cùm Principis Ædis Lingonicæ Collegium, rem insidiosè agi perpendens, maturè imminenti inde vrbi periculo imò excidio occurrendum esse existimauit. Initô igitur, Deo auspice, consiliô, constituit, pagum sic infaustè distractum, ab impiis possessoribus, ad pios Dominos reuocare, & sic malo serpenti medelam confestim adhibere, *fraudem impiam, pia arte eludendo.* Opportunè autem contigit, vt huic, qui vicum & prædium infami pretio abalienauerat, frater esset Lingonensis Basilicæ Canonicus. Huic cum reuendicandi auitam hæreditatem ius suppeteret, coniunctis animis Collegæ persuaserunt, vt rei dominium & proprietatem, pietatis potissimum intuitu, ac orthodoxæ religionis amore & studio, quamprimum proprio iure ac nomine recuperaret. At non nisi magna contentione & conflictu, inito potuit consilio euentus optatus succedere. Enitendum fuit Capitulo, collectis viribus, vt locum Ecclesiæ hostibus eriperet. Actione intentata, negotium ad supremum Galliarum Senatum deuolutum est, vbi hæretici quibus potuerunt subterfugiis iudicium declinantes, sed morem gerere compulsi, cum strophis * & perfidia incredibili agerent, omnique conatu renuerent, rem malè partam, iuste deponere: Tandem lite omni contentione ventilata, Senatusconsulto iudicatum est (13. Februarij anno 1621.) Canonicum Lingonensem iure gentilitij fundi vindicandi, retinendique, frui debere & potiri: Emptoremque sectarium renumeratô ab

* Hæretici vulpes sunt, dolis & machinamentis nitentes Ecclesiam subruere. S Ignat. Epist. 9. ad Philadelph. qui id Apostolo auctore didicit siquidem S. Paulus ad Corint. scribens ep 2. cap. 11. Hæreticos appellat *operarios subdolos* Et hæc propria est eorum nota: ob quam lupis, agnorum vellere intimam rabiem fallaciter obtegentibus, Christus ipse Dominus illos assimilat. Math. 7. 15.

actore pretiô, possessione illa submouendum esse. Hácque sanctione parlamentaria, Ministelli Caluinistæ qui illic nidificare iam cœperant, eorumque asseclæ omnes, inde mox depulsi sunt, & longè ab vrbe quam machinabantur perdere ablegati. Cui negotio adeo feliciter incœpto & absoluto, præter incredibilem curam & operam quam Capitulum præstitit *redimendo, soli fundo diuendito, asserendoque pio ac orthodoxo vindici, supra decem millia aureorum Gallicorum exsoluta sunt.* Verùm quia, hoc etsi exclusa molimine, factio hæretica,* non his sese terminis continuit: sed noua instructa arte, vrbi propiùs accedere, quò longiùs profligata fuerat paulo post molita est: Capitulum Lingonense huic impio conatui rursus pro virili obstitit, maiorique quàm antea zelo & industria sese opposuit. Cùm enim nefandarum hæreseωn satores & professores aliquot, machinas vrbi propius admouentes, in vico qui ferè suburbiis adiacet (nam vix semi Gallico milliari ab vrbicis pomeriis distat) prophanos* cœtus suos & conuentus aggressi fuissent agere: Capitulum mox magno animo insurgens, impudentem illorum audaciam vt retunderet & impios ausus comprimeret, supplicem libellum sacro Regis Consistorio obtulit, quo, euocatis ad comitatum subdolis his grassatoribus, maxima cum pietatis instantia, non modò impetrauit, vt properè hoc ex vico Ecclesiæ Catholicæ perduelles abscederent, sed ne propius triginta quinque ab vrbe Lingonensi leucis Gallicis præsumerent cœtus suos infaustos ac pestiferos cogere: Sapienter equidem Regio Consistorio iudicante, hanc luem ab vrbe adeo orthodoxa & nobili, quæque, quod in Regni finibus sita est, magni

* *Hæresis est quæ diuersa opinatur, ab his quæ Catholica credit Ecclesia,* ait S August. contra Faust.

* Is Scopus proprius est omnibus hæreticis, vt soliditatem fidei in Christ, labefactent, Apostolicamque traditionem solo æquatã aboleant. S Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 10.

adeò ſit momenti, extrudendam & procul pellendam eſſe. Cùm enim vrbs Lingonenſis & fide ſit prorſus incorrupta, & ſitu natiuo manuque firmiſſima, quæque in Regni confinio, Geneuæ & Heluetiis vicina, religionis ſimul ac Regni propugnaculum munitiſſimum exiſtit: periculoſum valde Conſiſtorianis Iudicibus viſum eſt, illius ſeu ingreſſum ſeu acceſſum hæreticis quauis ratione permittere: qui pridem eidem intercipiendæ inſidias multiplices ſtruxerant, quibus cùm nihil proficerent, etiam non ſemel auſi ſunt ab Henrico Magno Rege Chriſtianiſſ. depoſcere, vt ſibi vrbs ipſa pigneratitio nomine traderetur, ſeu pactorum (quæ à Rege optimo, ipſorum improbitate fatigato, & tunc extrema neceſſitate conſtricto, extorſerant) obſes fieret & daretur. At Rex pientiſſimus & ſagaciſſimus perpendens quanti ſua intereſſet vrbis iſtius ſalus, eorum inuerecundas malignaſq; petitiones audire noluit, ſed vrbem quam tanti momẽti eſſe ſciebat, vt pupillã oculi conſeruans, ab eorum feruidis appetitionibus, imò falcatis vnguibus, regali clientelâ cuſtodiuit. Et tamen Catholicæ adeò & conſpicuæ vrbi, perpetuò molimine hæretici ipſi inhiarunt, iamque ſui conatus effectum non minimum fuiſſent conſecuti, niſi Capitulum Lingonenſe, vt inſinuatum eſt, vel praua eorum conſilia ſagaci ac peropportuno occurſu anteuertiſſet, vel perenni ſolicitudine, diligentia & præſtanti virtute, pernicioſa cœpta eorumdem, enaſcentia ſtuduiſſet retundere atque comprimere: necnon impendentia inde eidem vrbi animarum excidia & religionis Catholicæ detrimenta auſpicatò proſpexiſſet amoliri.* Triumphante igitur Eccleſia Lingonenſi de

* Cicero pro C. Fabricio. *Bonorum*

ciuium est intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reipublicæ. Idem Philipp 3. *Sic habeto, omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cælo definitum locum, vbi beati sempiterno æuo fruantur.*

hæretica perfidia, sícque Capituli pio studio, & sedula cura ac potenti reluctatione, explosis excisísque hostium Catholicæ Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ conatibus & subdolis quibusque machinamentis; profligatis denique, adeò glorioso facinore, ab vrbis sinu & ambitu, ipsis auitæ pietatis aduersarijs: Cleróque in suo gradu & munere consistente; populo in Orthodoxa fide perseuerante, imò magis ac magis obfirmato: nullam ex parte religionis, habet causam Episcopus, ob quam ab vrbe sua recedere, & in aliam suam transferre Cathedram iustè possit aut debeat. Quinimo, tanto religionis quo feruent mysticæ oues amore, magis obstringitur ouili suo, potiori dilectionis affectu incumbere, sponsæque adeo fideli, Ecclesiæ ipsi Lingonensi studiosius adhærere, atque eam strictioribus eximij amoris complexibus & dilectionis mutuæ obsequiis prosequi. Nec enim Cleri proteruiam & populi malitiam causari potest: Cùm verè, & absque inuidia dici queat, nullam esse in Gallicana Hierarchia Ecclesiam, suo Episcopo impensius deuotam, religiosius subditam, maiori pietatis affectu & effectu obsequentem; clariora denique & ampliora debitæ venerationis, profusæ propensionis & beneuolentiæ in suum Præsulem testimonia expromentem. Id verò vel vnica insinuatione placet ostendere. Certè primitiuæ Ecclesiæ adhuc enascentis amor intensissimus in Petrum Archiapostolum caput suú, Ducem & Pastorem supremum, enituit; cùm is in vincula coniectus ab Herode, vniuersa concussa est, adeóque de eius liberatione fuit sollicita, vt preces, vota & sacrificia Deo indesinenter offerret pro illius ereptione. *Oratio fiebat* (scribit testis Euangelicus)

Act. 12.

licus)

licus) *sine intermißione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Magno siquidem terræ motu Ecclesia Christi tunc concuti visa est,* dum ipsa petra in fundamento locata, tanta agitatione quassari conspiceretur; ideóque etsi alios complures Apostolorum carcere inclusos sæpe legamus, de nullo tamen ipsorum vniuersam Dei Ecclesiam, adeo sollicitam fuisse comperimus, sicut de Petro, vt pote ipsius Ecclesiæ vertice & omnium parente ac Pastore. Sane B. Paulus connexionem mystici Ecclesiæ corporis edisserens, ad naturalis corporis sub vno capite oeconomiam ex mutuæ coniunctionis & sympathiæ nexu, singulorum reuocat membrorum actus & affectus. *Sic*, inquit, *pro inuicem sollicita sunt membra, vt si quid patitur vnum membrum, compatiantur alia membra.* At si caput periclitatur, non vnum membrum condolet, sed corpus totum concutitur & eius dolore afficitur atque periculo anxiatur. Sic igitur Petro compatiebatur, & ob eius pressuram angebatur Apostolica illa & florentissima Ecclesia. At quo amore & sollicitudine tunc illa Apostolorum principem, suumque Episcopum vniuersalem * constrictum vinculis prosecuta est; eôdem sanè ardentis charitatis indicio & sollicitæ dilectionis testimonio se Lingonẽsis Ecclesia Antistitem suum colere & complecti sæpe testata est. Cùm enim is non semel graui morbo afficeretur, in tantum vt de eius sospitate Medici desperarent; Clerus & populus Lingonensis de Pastoris & Episcopi sui benemeriti, beneamati periculo intimè affectus, totus in lachrymas solutus est: nec magis Ecclesia Hierosolymis dudum quatefacta est, cùm periclitaretur in capite, quam Lingonensis Ecclesia concuti visa est, cùm suo in vertice eiusmodi

* De hoc vniuersę Ecclesiæ, ex Petri incarceratione incusso terrore, eleganter cecinit Arator lib 1. Carm. in Act. Apost.
Clauditur obscuro, sed non sine lumine Petrus
Carcere, nec possunt tenebra caligine furua,
Ecclesia celare diem: commune per omnes,
Supplicium ille timor fecit: custodia Petri,
Publica pœna fuit: proprium sed Pastor ouile
Seruato custode regit, quem ditat honore
Ter Dominum confessus amor, de nomine Petra
Nomen Petrus habens, æterna vocabula porta,
Fundamẽta gerens, numquam passura ruinam;
Expectate tuis, cunctoque in tempore charus,
E nobis iam Petre veni, simul omnibus exi.

1. Cor. 12 25.

* Proprius Hierosolymorum Episcopus Iacobus tunc erat: sed is à Petro Ecclesiæ occumenico Pastore co stitutus: vnde S Chrysost. hom 87. in Ioan. *Si quis à me percontaretur, quomodo Iacobus sedem Ierosolymitanam accepit? Respondere ego, Hunc, totius orbis*

magistrum, constituisse, Petrum.


casu impetiretur. Communi igitur dolori leuando, & discrimini amoliendo, publica vota fuêre adhibita, iuges orationes ab omnibus profusæ, solemnes supplicationes à Capitulo indictæ, & religiosissimè à Clero & populo vniuerso peractæ, omniaque pietatis officia persoluta, quibus diuinæ Maiestatis posset gratia conciliari, & Antistitis omnibus charissimi sanitas & incolumitas impetrari. Res superna bonitate, pro voto successit: redditâ non semel, pij gregis religiosâ instantiâ, optimo Pastori integrá valetudine, & incolumitate exoptatâ. Vnde iam vereor ab eo flagitare, vtrum conqueri possit de Cleri sui in se duritia & populi odio & malitia: quando tam insigni experimento didicerit, quanto ab vtroque gregis statu complectatur amore: cúmque liquido pateat quàm personæ eius dilectio ac desiderium intimis Cleri ac populi Lingonensis præcordijs alte insideat; quibus, vel sola Præsulis inualetudo, tot potuit suspiria & lachrymas ingerere; à quibus, tot votis & Christianæ pietatis obsequiis ipsiusmet salus expetita est, quibusque, reddita ipsi diuino munere incolumitas, profusum adeo potuit gaudium parere, vt solemnes gratiarum actiones, pro hoc beneficio, Deo præpotenti exoluerint, pari prorsus affectu deuotionis, huic, quo omnes (cùm Pater ipse communis & Pastor periclitaretur,) concussi fuerant, extremo animi dolori. Vulgò equidem, sed verè dicitur, illum reuera amare, qui, quod non ametur, queri soleat. Ecclesia igitur Lingonensis, hinc iure expostulare potest; quod vt ait Apostolus, *plus amans, minus diligatur*. Tantùm enim abest vt parem in se sponsi beneuolentiam experiatur, huic charitati & amori quò illum hactenus

2. Cor. 12. 15.

coluit & complexa est: quin potius quò maioribus obsequiis & affectibus dilectionem eius studuit demereri: eò minus est eius in se propensionis experta, gratiæq; & amoris consecuta. Parum verò esset, si eo tepore, quo se erga sponsam sui amantissimam, non diù post præsulatus sui primordia, habuit, se etiamnum gereret ipsemet Reuerendiss. Episcopus: Verùm longè alio iam affectu agitur: cùm sensim extinctò tantillò, quo in eam pridem ferebatur amore; prorsus alienatus ab eius complexu & consortio, diuortium apertè meditetur. Non enim alia de causa sedem suam mutare cupit, aut nouam Diuione, cui hęreat, Cathedram excitare tentat, quàm vt à Lingonensis Ecclesiæ sinu & thalamo abscedat, sicque nouæ quam ambit Ecclesiæ, nouo fœdere copuletur, huic iugiter adhæreat, atque eius decore efflorenti perpetim potiatur. Licet verò hæc Episcopi intentio seuerissimâ Euaristi sanctissimi PP. & Martyris sententia, coërceatur, qua declarat, *Episcopum qui Ecclesiam in qua sacratus est neglexerit, aut etiam dimiserit, & alteram ambierit, adulteri loco habendum esse.* Epist. 2. & refertur can. *sicut vir* & § *si verò*: Cui consonat can. *sicut alterius* 7. quæst. 1. Tamen Lingonense Capitulum cui Ecclesiæ pastoralis patrocinio destitutæ, causam agere & tueri ex officio incumbit: non ita acriter vult ob hunc conatum perillustrem Episcopum perstringere: sed intra terminos pręfixæ moderationis se continens, postquá rationibus ab ipso Domino Antistite, præfixum in scopum, inductis, plenè ac cógruè satisfecit: ea qua decet reuerentia & obseruantia, causas & rationes, propter quas eidem geminam Cathedram petere non licet, nec consequi expedit, operam dabit

proponere, vt vel ipſe his æqua lance ponderatis Iubens à cœpto tam periculoſo recedat, intráque terminos à Patribus conſtitutos perſiſtens conquieſcat: vel certè ſi quæ aggreſſus eſt apud Chriſtianiſſimum Regem, velit, apud Pontificem Maximum, Eccleſiæ ſupremum apicem ac iudicem, molimina perſequi, nihil ſuâ hâc contentione in Lingonenſis Eccleſiæ detrimentum & ipſius Capituli præiudicium, ac vrbis dedecus efficiat; aut ab ipſo paſtorum Principe, Chriſti Vicario, Eccleſiæ Legiſlatore & orbis Arbitro votis ac niſibus ſuis eliciat.





CAVSA PRIMA.

EXPETITÆ REI AB EPISCOPO, Nouitas.



DE NOVO quæ petuntur nonnisi magna deliberatione concedi debent, maximè à Romana Ecclesia. glos. fin. in can. *communis*. dist. 23. quæ equidem cùm omnium sit mater & magistra, cæterarum nonnisi æquo rerum libramine & maturo iudicio,* solet ac debet de grauis momenti negotijs, pro summa qua pollet auctoritate, decernere. Et nouitas quidem quæ vulgo consueuit esse gratissima, sapientibus inuisa ac exosa prorsus solet esse; quoniam vt ait Poëta

Euentus varios, res noua semper habet.

Parum verò esset si varios duntaxat suo ex sinu depromeret euentus, nisi casus quoque tragicos & funestos suo ex penu produceret. Quamobrem sapientissimi itidemque sanctissimi Ecclesiæ Patres ad solum nouitatis nomen, quoties in fidei dogmatibus personuit, exhorruêre. Hac enim sola vocula, olim perciti Theodor⁹ & Georgius S.R.E. Presbyteri Cardinales, Legati Agathonis PP. palam conquesti sunt in 6. Synodo, aduersus Monothelitarum hæreseos auctores,

* Id confirmat ca.36.qu.9.c.4. qui sic habet ex Nicolai magni oraculis *Apostolica sedis sententia, tanta semper consilij moderatione concipitur, tanta patientia maturitate decoquitur, tantaque deliberationis grauitate profertur, vt retractatione non egeat, nec immutari necessarium ducat, &c.*

atque ab hac querela Concilij acta exorsi sunt. *Quoniã ante hos 46. plus minus annos, quasdam nouitates vocum, contrarias orthodoxæ fidei introduxerunt, qui illo tempore fuerunt Præsules huius Regiæ ciuitatis* (CPnæ.) *& alij quidam, qui eos secuti sunt, non modicè quæ per totum orbem terrarum est, Ecclesiam turbauerunt. Quæsumus à Deo coronatam vestram fortitudinem* (Constantinum Pogonatum Imp. alloquebantur) *vt dicant qui ex parte sunt sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, vnde huiusmodi vocum adinuenta est nouitas.* Nec qui aderat, Monothelitarum antesignanus, Macarius Patriarcha Antiochenus, nouitatis horrendam esse perniciem inficiatus est; sed à se & suis sequacibus conatus est eiusmodi piaculi notam amoliri. Diù floruerat ante in Gallia Narbonensi Vincentius Lerinensis, qui pietatis zelo succensus, nouas vt profligaret sectas, librum conscripsit & inscripsit aureum *contra prophanas vocum nouitates* *: quo cum omnem nouitatem malam esse innuit; maximè autem circa fidem perniciosam esse conuincit. Vnde Ecclesiæ Gallicanæ illustriores Antistites, qui in Concilio Valentino 3. sub Leone 4. Pontifice, & Carolo Caluo Rege conuenerunt, primo quod ediderunt decreto omnem circa sacras voces nouitatem proscripsêre: sic enim sacri huius consessus can. 1. inscriptus est. *Quod nouitates vocum omni studio vitandæ sint*: adductísque in hunc scopum congruis sacrarum literarum auctoritatibus, sic subnectunt illi Patres. *Paci quantum Deus dederit & caritati studere cupientes, attendentes pium eiusdem Apostoli consilium, sollicìti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, nouitates vocum & præsumptiuas garrulitates, vnde potius inter fratres contentionum & scandalorum fomes excitari potest, quàm ædificatio vlla timoris*

Concil. Constant. General. 6. act. 1.

* Titulum hunc Vincentius expressit ex dicto Apostoli ad Timot. Ep. 1 ca. 6. nu. 20. *O Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* Ex quo inter cætera infert, *Si vetanda est nouitas, sacrata est vetustas.*

Dei succrescere, omnino deuitamus. Nec verò Maiores sapientissimi, nouitatem in doctrina tantùm damnosam esse senserunt, sed in ipsa quoque disciplina & Ecclesiæ statu plurimum etiam periculosam censuêre. * Siquidem cùm olim Rebaptizantes in Africa, Hæreticorum odio feruentes, baptismum ab his, etsi legitima forma & intentione impertitum improbarent, contráque Scripturæ legem & vsum Ecclesiæ repetendum assererent; hanc eorum in sacro dogmate nouitatem Apostolica sedes damnauit, & zelum eorumdem imprudentem, digno Petri successore oraculo, Stephanus sanctiss. PP. & Martyr coercuit, sic iubens, sic rescribens: *Nihil innouetur, quod traditum est seruetur.* * Sic certè Leo Magnus eodem solio euectus, Græcorum leuitatem, qui ordinem Ecclesiarum à Niceno Concilio proto-œcumenico constitutum, nouo ambitu & conatu immutare satagebāt; Pontificalibus * decretis explosit: Anatolium verò auctorem eiusmodi nouitatis & grauiter perstrinxit, & nisi cessaret à nouarum rerum molimine, minas gradus abdicationis & sacrorum priuationis eidem serio intentauit. Ita etiam Hilarium Arelatensem repressit, Gallicanæ Ecclesiæ pacem nouis præsumptionibus perturbantem: De quo ita scribit ad Episcopos Viennensis Prouinciæ * *Tramitem semper inter maiores nostros, & bene tentum & salubriter constitutum Hilarius perturbauit, Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus excessit, & ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vendicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suum ius transferens dignitatem.* Quia enim Archiepiscopus Arelatensis tunc Primas erat Galliarum *: primatus iura Hilarius ille extra præfi-

* S. August. Epist. 158. ad Optatum de origine animæ: libro autem 2. de moribus Manichæorum cap. 10. monet, *Nouitatis appetitionem errore comite, in magnas deducere angustias.*

* Apud S. Cyprianum Epist. 74.

* Tanti fecit decreta Apostolicæ sedis S. August. vt ex his dogmata concluserit, hæreses deuicerit, hæreticos damnauerit, epist ad Optatū præcitata post medium. Idem verò lib. 2 cont. duas Epistolas Pelagianor. ca. 4 dubitare de sedis Apostolicæ doctrina, dicit nefas esse Christiano.

* Serie 89

* Pelag Pap. epist. 11. ad Childeb. Re-

gem Franc. *Arelatensis Ecclesia in regionibus Gallicanis Primatus priuilegio & sedis Apostolicæ viribus decoratur.*

xos limites ita tentabat prouehere, vt Pontificium sibi fere summum ascriberet. quia verò sic terminos antiquos transiliebat, periculosæque in Ecclesia nouitatis exemplum ingerebat, vindex canonum & antiquæ assertor disciplinæ Leo Pontifex contra eiusmodi innouationes insurrexit, hominémque, maxima potestatis parte multatum, vix abfuit, quin solio Episcopali deijceret, & Ecclesiastica communione submoueret. Quàm verò à nouitate ipse abhorreret, & antiquum Ecclesiæ ordinem religiosè curaret sanctiss. Pontifex ab omnibus obseruari, eodem suo rescripto præclarè indicat, dum astruit *se non noua instituere, sed vetera renouare. Vt in status consuetudine quæ nobis, inquit, à nostris Patribus est tradita perduremus, & Deo nostro per boni operis ministerium remotis perturbationum scandalis placeamus, vobisque per nostram solicitudinem vindicemus, ne quid vlterius liceat nouitati,* * *&c. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si Apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata seruetur, & per Sacerdotalis disciplinæ concordiam honori vestro perire quod suum est non sinamus.* His igitur Apostolicis institutis Gallicani Episcopi informati, * non modo antiquorum Canonum obseruationem summo semper studio coluerunt, sed circa Ecclesiarum ordinem & disciplinã nihil à quoquam passi sunt vspiam innouari. Duo verò exempla insignia, quæ aptè in propositum nostrum collimant, id apertè produnt & testantur. Primùm eiusmodi est. Tempore Benedicti PP. I. Clodouæi Francorum Regis proto-Christiani filijs Gallica sceptra gerentibus, Metropoli Remensi Ægidius, tertius à S. Remigio, præsidebat. Is auctoritate suffultus natiuæ legationis Apostolicæ, ab Hormisda Pontifice

* Cõsonat vulgatum illud S. Augustini. *Nouitas sanctis viris semper fuit suspecta.*

* Occidentales Episcopos, colendæ studium antiquitatis, ab auctoritate Apostolicæ sedis, scripsit iamdudum Sozomenus retinere. lib. 3 c. 12. Hist. Eccles.

Pontifice in gratiam S. Remigij Remensi Ecclesiæ impertitæ,* primus extra propriæ Prouinciæ fines, nisus est iura sua exerere. Nam vt experimentum faceret patientiæ Antistitum Prouinciæ Senonensis, quos cupiebat suum sub iugum sensim pertrahere, facinus nouum & hactenus inauditum aggressus est. Inter Carnutum & Aureliam Dunense Castrum situm est, antiquitate spectabile, mœnium amplitudine præstans, populi affluentia copiosum: illic (quoniam oppidum Episcopi Carnotensis curæ Pastorali, ab initio subiacebat) nunquam à Maioribus collocata fuerat sedes Episcopalis. Huc igitur fingendo aliud Remensis ille Metropolita aduolat: atque minimè euocatô Papolo diœcesano Antistitê, cuius potissimum intererat: Promotum quemdam Presbyterum ordinat ipsius oppidi Episcopum: statuens hoc loco deinceps Cathedram Pontificalem fixam consistere. Qua præsumptione perpetratâ, properè regressus est. At Papolus Carnotensis Episcopus hôc auditô ratus sibi & Ecclesiæ suæ dispendium graue fuisse illatum, protinus encyclicas literas per Gallias transmittit, quibus exposito audacissimo facinore, iniuriam receptam deplorat, violata esse Ecclesiæ suæ iura conqueritur, nouáque & inaudita præsumptione elisam disciplinam, canones temeratos contestatur: iustitiam deprecatur. His igitur clamoribus exciti primarij Galliarum Antistites, iustóque concussi dolore vndique Lutetiam vrbem Regiam (cui tum beatus Germanus incomparabilis Episcopus sacro honore ac munere præeminebat) conuolant, atque sacrum in cœtum coeuntes sex Metropolitæ, 26. Episcopi in Basilica S. Petri consident, tumque temeri-

* De hoc egimus priuilegio in lib. de Cruce præferenda &c. Apologetico pro Illust. Archiepiscopo Parisieñ. quo singularum Primatiarum iura disquirimus. c. 2. & cap. 9 §. 3 p. 158. & seq. Ad id verò respexisse non dubium est Alexandrum II. Pontific. sic scribentem ad Geruasium Remensis Metropoleos Archipræsulem. *Dilectionis tuæ literas diligenter accepimus & gratanter amplectentes intento mentis intuitu charitatiuè perspeximus. Sed querelis & doloribus plenas cernentes compatimur, & condolemus: tum quia Ecclesia tua antiquitus inter cæteras Occidentales, Deo propitio, nitore prudentiæ, atque religionis resplenduit: ac per Apostolicam, cui Deo auctore licet indigni deseruimus, sedem, magnificata emicuit*, &c. legitur ad calcem Epistolarum Stephani Tornac. in lucem è musæo Pap. Massoni editarum.

tatâ Ægidij Remensis commemoratê, zelo feruentes, vlciscendum scelus digna castigatione decernunt. Promotum malè promotum pronuntiant, gradu deijciunt, atque in Presbyterorum ordinem detrudunt: anathematis mucrone feriendum, si post Synodalem sententiam nomen aut munus Episcopi ausus sibi fuerit arrogare. Nec id satis. Voluerunt etiam acriter contra tantæ nouitatis præsumptorem animaduertere, sed quia sine summi Pontificis auctoritate non poterant Episcopum, * multominus tantæ sedis Antistitem iudicare, iram in misericordiam inflectentes; censuerunt, Synodica conscripta ad illum epistola, temeritatem eius acriter quidem insectari, violatæ verò ab eo, nouitatê insolitâ, disciplinæ religionem à se egregiè vindicatam intimare, facti adeo insolentis irritationê, & eius quem perperam extulerat Canonica depressionê. Hac verò Synodali epistola, tanta indignatione Episcopos pertulisse patet eiusmodi nouitatem: vt Ægidium Remensem Archiepiscopum, contra omnem rationem egisse affirment, eô quod ausus fuerat cótra morum & canonicã disciplinã adoriri conamine. Ex quo patet quantus sit reatus in statu & disciplina Ecclesiastica noua moliri, & antiqua iura, nuper cóflatis rationibus, vel impetere vel conuellere. II. Alterum autem nec minus prædicabile auitæ constantiæ exemplum, in Ecclesiastica antiquitate tuenda & nouitate omni propellenda & cóprimenda, à S. Leone præstitum est Archiepiscopo Senonensi, cuius temporibus cùm Childebertus Rex alioqui pientissimus, Melodunensium assiduis deprecationibus facessitus, eorum vt se improbitate eximeret, Episcopalem Cathedram in eorum oppido

* Ex antiquo canone de nou dam naudis Episcopis, absque Pontificis Romani auctoritate, quem citatũ à Marcello Papa & Martyre in epist. ad Episcopos Antiochiæ Prouinciæ; atque à Iulio I. Pontifice inculcatum in epist. ad Orientales quæ extat in Apologia 2. S. Athanasij: renouauit Concilium Nicenum 1. vt testatur Synodus Alexandrina in Epist ad Felicem Papam Cuius etiam canonis discrté meminére Socrates lib. 2 hist Ecclef. ca. 13 Sozom. lib. 3. c. 9. Nicephor lib. 9. c. 5. necnon Cassiodor. in historia, quã latinè vertit, Tripartita lib. 4. c. 9 & 19.

concessisset instaurari: hácque de causa scriptis literis præcepisset ipsimet beato Præsuli (cuius diœcesis, Melodunum, vt hactenus fuit, parœcia erat) vt ad ordinandum huic oppido Episcopum veniret, vel suum saltem eam in rem præstaret consensum: Sanctus Pontifex regio hoc attonitus mandato, magísque rei nouitate, quàm proprio detrimento perculsus, scriptis protinus ad Regem literis, non modò quæ iubebatur modestè exequi recusauit; sed Maiestate Regia officiosis verbis delinitâ, * rationibus subinde efficacissimis propalauit ac contestatus est, nouam eiusmodi cathedræ suo in Episcopio cõstitutionem, non modo sibi iniuriosam esse, sed, quod longè grauius sit, sacris Canonibus prorsus repugnare & Ecclesiasticæ Hierarchiæ statui esse prorsus aduersam: quin vti antiquis iuribus contrariã, sic ipso operis successu admodũ perniciosã fore. Vnde nonnihil demiratur rem adeo insolitam & illicitam, sub tam glorioso & pio Rege à Melodunensibus fuisse pertentatam. *Quam rem valde admiratos nos gloria* (inquit) *vestra cognoscat, &c. Nunquam enim suspicari nec credere potuimus, quod hanc aut ordini nostro, aut etiam temporibus vestris velletis iniuriam generari, vt Diœcesim nostram à Deo nobis commissam, & vsque nunc Pontificali ordine Deo propitio custoditam, tanquam negligentes ac desides, ad alterius permittamus potestatem transire, aut solicitudinem, irrationabili deliberatione transferri. Vnde salutantes digno ac debito in Deo caritatis affectu, rogamus & contestamur, ne vllus Pontificum contra statuta Patrum audeat facere, vnde possit Synodali examinatione conuictus, de inlicita præsumptione culpari. Illa tamen vestris debent fieri Deo inspirante temporibus, * vnde & pax inter Sacerdotes esse possit, &*

* Cum Regibus reuerenter Prelati debent agere, vt pium eorum in Ecclesiam & Ecclesiasticas res & personas affectum concilient, pacemque excolendæ religioni pernecessariam, ipsorum præsidio consequantur. Id plurimis rationibus & exemplis ostendit Reuerendiss. M. Antonius Montismarani Episcop. in Manuali Pastorum. ca. 66. inscripto. *De pace conseruanda inter Episcopum & Dominum temporalem.* Romæ prodijt apud Guil Facciottum anno 1606.

* Ideo Pelagius Papa Apostolicis

plebs non permittatur à Pastoris sui custodia per nouam & illicitam ordinationem diuelli. Custodite quæso statuta Patrum, & canonum seueritate constricti, * *non patiamini, sicut scribitis, ad petitionem eius plebis, superstitê proprio Sacerdotê alterum Episcopum ordinari. Quia si petunt, quod nefas est credi, desertores potius iudicandi sunt quàm fideles. Et non eorum preces facilè audiri debent à Principe, quorum petitionibus generentur magis scandala, quàm pax Deo amata seruetur. Quia sicut beati sunt pedes pacem portantes, ita væ his dictum est, per quos venit scandalum.* En vt Christiana libertate, & vere pontificia grauitate Regi Christianissimo nimia indulgentia in leges Ecclesiasticas impingenti, pius ille Antistes obstitit: vtque dudum magnus Ambrosius Valentiniano Augusto iniqua iubenti obnixus est: * sic Childeberto Regi sacram politiam inconsulta iussione temerãti, prudenter obuiando, pijs illũ suggestionibus à cœptis auertit. Nec id modò, sed hîc etiam aduertere est, quàm strenuè contra nouatorum eiusmodi ambitum, antiquitatis iura priscus ille Episcopus defendat, nouitatis illicitæ præsumptionem retundat, infaustos, quos timere sit inde prodituros euentus, non modo prænuntiet, sed & præcidere falce sagacis prouidentiæ maturè percupiat. At his se non continet cancellis, sed vt scissuram Episcopatus rem horrore plenam insinuet, ac cuiuslibet innouationis in rebus & iuribus Ecclesiasticis inculcet grauitatem: ibidem etiam animaduersionis Apostolicæ interminationem subnectit: quoniam si contra statuta Canonum quod petitur à quoque Episcoporum præsumatur; rem deducturum se comminitatur *vsque ad Papæ notitiam*, * vel Synodalem audientiam. Interim verò si qui Ecclesiæ suæ dissectio-

his monitis ipsum Childebertum Regem instruebat. *Huiusmodi causis sollicitam nos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra Ecclesiasticas regulas petentibus cõcedatis. Quia quod bene cognitũ est religiosæ menti vestræ, non aliter Deo nostro potest regalis deuotio famulari, nisi prouidentia eius Ecclesiasticorum ordinum seruetur integritas.* Refertur integra Pontificis huius epist. quæ. 11 est, à Baronio tom. 7 ad an 558. Citatur autem ab Hincmaro Remensi Archiepisc. epist 6. ca 16. inter eas quæ excusæ Moguntiæ prodierunt editæ à Busæo an. 1601.

* Leo 4. in Epist. Decretali ad Episcopos Britanniæ. *Magna voce pronuntiare non timeo, quia qui sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canones prætitulãtur, siue sit Episcopus, siue Clericus, siue Laicus, non indifferẽter receperit, ipse se conuincit, nec Catholicam & Apostolicam fidem, nec sancta vera Christi Euangelia quatuor, vtiliter & efficaciter, & ad effectum suum retinere vel credere.*

* S. Ambros. Epist. 11. ad Valentinian.

nem attentarint, sacrorum communione à se disiunctos fore seriò protestatur. Nouitas siquidem contra sacros canones & Ecclesiarum iura & statum intentata adeô fuit Patribus nostris exosa, * imò verò ipsis in tantum exitiosa visa est, vt excommunicatione illius auctores censerent feriendos, Synodali iudicio coercendos, atque etiam Papæ denuntiandos, vt sacra supremáque eius comprimerentur auctoritate. * Porro hæc duo quæ commemorata sunt Gallicanæ historiæ syntagmata, apertè ostendunt, & quo zelo ac vigore, omnis, in Ecclesiæ statu & ordine, nouitas fuerit ab antiquis Pontificibus reiecta, & quàm Episcopatuum diuisio, aut certè nouæ cathedræ in antiquo sedis fundo & terminis instauratio, Præsulibus fuerit, non solùm quorum intererat, inuisa, sed etiam cæteris, qui de re ex æquo iudicabant, noxia & scandalosa visa sit: vt pote sacris prorsus Canonibus aduersa. Hinc verò colligere promptum est, quid sit de geminatione sedis ab Antistite Lingonensi nouiter expetita & pertentata existimandum. Quoniam si diuisio Episcopatus, & nouæ sedis ac Præsulis in matricis cuiusdam Ecclesiæ finibus constitutio, ab alijs quàm proprijs Episcopis præsumpta, à Patribus iudicata est illicita, & nulla ratione ferenda; quanto magis reputanda est illa dissectio, vel geminatio Pontificalis cathedræ, quam sua in diœcesi, ipse aggreditur Episcopus Lingonensis, intolerabilis, quæ cùm omni canonicæ dispositioni & Ecclesiasticæ praxi repugnet, etiam sua nouitate sibi inuidiam parit, & omnes admiratione percellit, vel solâ auctoris qui hanc adoritur consideratione. Paulus equidem Apostolus, cuius sacratissimo calamo vt

Aug & Epist. 13. ad eumdem lib. 2.

Vide Hildebert. Cenom. Episcop. epist. 75.

* Idem Hildeb. epist 19.

* Inspice Aurel. Conc 5 ca. 24. Cabilon ca 1. Meld. ca. 79. & 154.

* S Bernard. epist. 131. *Plenitudo potestatis super vniuersas orbis Ecclesias, singulari prærogatiuâ, Apostolicæ sedi credita est. Potest si vtile iudicauerit, &c à finibus terræ sublimes quascumque Ecclesiasticas personas euocare & cogere ad suam præsentiam Porro in promptu est ei, omnem vlcisci inobedientiam, si quis forte reluctari conatus fuerit. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et qui resistit (ait Apost. Rom. 13) sibi damnationem acquirit.

1. Cor. 12. 11. & seq.

cælesti peniculo non semel Spiritus sanctus Ecclesiæ sponsæ suæ formam & speciem graphicè expressit: corpus eiusdem Ecclesiæ mysticum proximè ad naturalis similitudinem referens, sic membra capiti suo coaptat, vt per connexionem hanc inuiolabilem, totum corpus mirabili iunctura & structura compactum, vno ac eodem spiritu vegetatum, mutuo amore & perfecta sympathia, doceat consistere. Vnde infert, si membra inter se confligentur, seséque mutuò dilacerent, totum corpus consumtum iri: *Si inuicem mordetis & comeditis, videte*, inquit, *ne ab inuicem consumamini.* Galat. 5. 15. Porrò hæc de membrorum inuicem pugna & contentione admonebat: de capitis autem in corpus suum odio & conatu, nihil monendum censuit, quoniam suspicandum non fuerat caput corporis sui ruinam vnquam velle moliri, aut membra sua niti discerpere atque à se diuellere. Res igitur noua, insolita, & fere portentosa est, Episcopum qui Ecclesiæ sibi deuinctæ caput est, eiusque iura & decora ex officio tueri debet, quique membra sibi subiecta copulare, colligare, suoque influxu & affectu fulcire & fouere, sacro ipso munere tenetur: diuulsionem & sui ipsius à corpore, & membrorum suorum dissectionem, atque vnitatis, qua subsistit ipsius mystici corporis moles, diuisionem, duplicatione sedis, & medij honoris distractione, meditari, conaríque. Cùm enim doceat idem Apostolus, caput non posse dicere pedibus, *non estis mihi necessarij*, mirum profectò & durum est, Episcopum qui vertex est Ecclesiæ, dicere non pedibus quidem, id est, infimæ parti illius cui præeminet corporis, (amplissimæ nimirum Diœcesis cui præsidet) hos sibi su-

1. Cor. 12. 21.

perfluos esse. At ipsi mysticæ molis apici, matrici nimirum totius sui præsulatus Ecclesiæ, è qua totum in corpus vitalis dimanat virtus, ocello inquam totius Episcopatus, vnde lux Euangelica vniuersam in Diœcesim pridem sese diffudit, illius opera se minimè indigere: hancque ideo nobiliorem corporis ipsius mystici portionem, abs se qui caput est secernere, quin & quasi manum vel oculum *qui corpus scandalizet* (quod certè potius illustrat) abiicere prorsus eniti: aut certè natiuâ functione prohibitâ, vel inferioribus membris demandatâ, distractóque potiori vigorê, atque propriæ prærogatiuæ honorê: verticis ipsius geminatione, (hoc est duplicatione Ecclesiæ vna in terminatione cathedralis,) monstrum in corpore facere; vel sanè natiuum verúmque caput, virium substractione enecare, additítium verò efferre, vegetare, prouehere ex naturalis dispendio, vel potius excidio, ad sacri muneris & honoris fastigium, decúsque, (infimo ex statu & ordine) stupendo prorsus molimine sublimatum. Profectò canonicæ Theologiæ Magistrorum vulgare placitum est, ex Ecclesiasticis legibus elicitum: *Qui me debet defendere, non me debet impugnare.* gl. 2. in cap. fi. de Const. Iure igitur merito, Lingonensis Ecclesia conqueri ac expostulare potest. Qui me debet Episcopus curare ac seruare, non debet abiicere & insectari. Qui me debet adunare ac complecti, non debet proscindere ac detruncare. Qui me debet tueri, meam non debet ruinam quærere; meam nec hæreditatem distrahere, meam nec illum gloriam imminuere decet. Et quidem Reuerendissimus Episcopus Lingonensis cùm primum fœdere nuptiali sacratissimo, Lingonensi

Matth. 18. 8.
Marc. 9. 43.

Ecclesiæ coniunctus fuit, solemni iuramento sese obstrinxit, fidem ipsi seruare inuiolabilem. *Nos, inquit, SEBASTIANVS ZAMET miseratione diuina Episcopus ac Dux Lingonensis & par Franciæ, iuramus fidelitatem Ecclesiæ sancti Mammetis Lingonensis.* Res igitur & insolita & incredibilis est, illum, iurisiurandi, ritû adeo solemni præstiti, quasi immemorem, Ecclesiam Lingonensem sponsam suam, cuius nobili copula tot titulis honoris enitet, nuper excogitato sine causa diuortio, niti respuere, atque fidelitatê hâc, quam sanctè adeo iurauit posthabitâ, sibi nouam coniugem adsciscere, quam ex illius patrimonio ditet, decore abstracto illustret, immutata dignitate nobilitet atq; detrimento promoueat. Porrò eiusdem quod commemorauimus & vindicamus sacramenti tenore, idem Antistes sese nihil in Ecclesiæ Lingonensis coniugis suæ præiudicium & dispendium vnquam adoriri spopondit; nihil prorsus *se innouaturum* pollicitus est,* sed Ecclesiæ statum & priuilegia iurauit sese illibata seruaturum. Hac igitur vel sola religiosa obligatione cõstringitur, ab sedis Episcopalis scissura quam molitur, nouæ Cathedralis erectione quantocius abstinere, atque maturè ab infausto hoc consilio discedere: aliàs non modo violatæ fidei, (quod pietas eius eximia non admittit) & nouitatis contra iuramentum pertentatæ reus fiet: sed & Pontificiis canonibus obnoxius * Patrum supra memoratis monimentis, institutis & exemplis, se ex aduerso opponere ac refragari propalabit. Quam labem si aliquando contraxerit, præclarísque quibus fulget dotibus has maculas infuderit, profectò posteris inuidiosam sui nominis memoriam relinquet: factáque tandem aperta

* Patebit infra, expressa insinuatione causa 8. & 9.

* Digesti habentur 22. q. 5.

aperta nouæ ab antiqua ſedis diuulſione, cuius auctorem eum fuiſſe nemo vnquam dubitauerit; de eo dicetur à poſteris, quod de Rege alioqui ſapientiſſimo dicit ſcriptura. *Imperauit quidem in diebus pacis; ſed dedit maculam in gloria ſua: induxit enim ad iracundiam liberos ſuos, faciens imperium bipartitum.* Verùm à ſacro illius vertice Deus Opt. Max. malum hoc omen & nomen auertat, imò verò famam egregiam quà hactenus enituit, ab omni labe immunem tueatur, gloriamque tribuat in dies ampliorem. Eccleſ.47.15.21.



CAVSA SECVNDA.

LINGONENSIS VRBIS SPECTAbilis antiquitas, amplitudo, celebritas.



SCITE & ſapienter Romanus dudùm ſcripſit Hiſtoricus. *Super omnibus negotijs melius atque rectius fuiſſe olim prouiſum, & quæ conuertuntur nouo conſilio, ſemper in deterius mutari.* Subindicans, nouitatem etſi plauſibilem, tamen quia ferè ſemper noxiam, ſedulò fugiendam eſſe: Antiquitatem verò (quæ etſi incultior videatur, rerum ipſo vſu ſapientior vtiliorque ſemper comperta eſt) ſummoperè colendam & obſeruandam. Sed Leo Romanus Pontifex, Chriſtique Domini digniſſimus Vicarius, ſcribens ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ, vt longè maiori auctoritate, ſic præconio inſigniori, antiquitatis commendauit dignitatem. Exploſâ enim ab Eccleſia om- Tac. Annal. lib 15.

ni nouitatê, cui nihil vltra veterem vſum licere decernit: antiquitatis è contra ius & decus vult vigere perpetuum. *Quoniam*, inquit, *ſemper eſt antiquitas honoranda.* Antiquitas equidem non tantum canonum & rituum, ſed rerum quoque & perſonarum. Nam ibidem *ob vetuſtatem* (inquit) *& probitatem exploratam Leontij Foroiulienſis Epiſcopi*, hac dignitate eum decorat, * vt præter eius conſenſum in Prouincia Vienneſi nullum indicatur Concilium, & vt inter omnes, quamuis non Metropolitanus, ipſe præcipuo honore potiatur. Porrò quoad res pertinet, in antiquitatis eximiæ intuitum, Viennenſem vrbem, quam Romani *Senatoriam* appellabant, decore Metropolitico, quo Arelatenſis Primatialis Eccleſia, eam nitebatur exuere, noluit manere deſtitutam; ſed etſi Arelatenſis contentioſè reclamaret, illam hac prærogatiua gaudere edixit; *quia quo ad Eccleſiaſticam iuſtitiam* (ſeu vt nunc dicunt, iuriſdictionem) *pertinet, eam pati non poterat, inhonoratam manere*: eo quod pridem cum Arelato Viennam, *communi apud gentes iure vſam fuiſſe* comperiſſet, parique gloria enituiſſe.

Si igitur ea quæ his ferme diebus ſuborta eſt inter Lingonenſes & Diuionenſes contentio, tempore ſanctiſſimi huius Pontificis occurriſſet, non inficiandum eſt, quin rerum initiis ſedulò inueſtigatis, ex antiquo ſtatu preſentem eſſe iudicaſſet metiendum & componendum; multúmque (vt ex eius dictis & geſtis conſtat) ipſi antiquitati, cenſuiſſet deferendum dignitatis & honoris. Nec dubium, quin ſacras omnes prærogatiuas quas veneranda vetuſtas vrbi Lingonenſi contulit, fixè eamdem & inconcuſsè ſtatuiſſet retinere: Diuionem verò contentum eſſe ijs doti-

* Dudum in Galliarum Eccleſijs qui ætate inter Epiſcopos prouectior erat: peculiari honoris prærogatiua fruebatur. Siquidem dicebatur Epiſcopus Epiſcoporum, qualem Sidonius Lupum Treceuſem inſcribit lib 4 ep. 17. Quem & principem Pontificum Gallicanorum appellat lib. 7. ep. 13 non tamen ordinis aut poteſtatis intuitû, ſed ætatis & eruditionis priuilegiô Sic & epiſt. 25. lib. 4. ait de Euphronio Æduenſi, feciſſe in delectu & ordinatione Ioannis Cabilonenſis, quod conueniret non ſenectutis modò ſuæ, verùm etiam dignitatis longæuitati. Non enim qui antiquiſſim' eſſet in Gallia Epiſcopus, prærogatiua nominis duntaxat enitebat: ſed etiã honoris. Siquidẽ in Concilijs conſeſſu dignior habebatur. In negotijs autem primus omnium conſulebatur, magnique ſemper ponderis erat eius ſententia. Id patet ex ſerie inductæ conſtitutionis S. Leonis Papæ: ſic in fauorem Leontij decernẽtis *Et quoniam honoranda eſt ſemper antiquitas, fratrem & coe-*

bus, quas temporum ſucceſſu, hactenus præter ſpem omnem reperitur conſecuta. Nam ſi ab origine, oppidi ſeu ciuitatis huius modernæ eſt dignitas attendenda, palam eſt, illam ampliora iura & decora nunc vſque obtinuiſſe, quàm eius exordia (quæ ſanè plurimum obſcura ſunt) ſibi vendicare potuiſſent. Priſcis enim Romanæ hiſtoriæ monimentis nihil prorſùs de huius oppidi legitur ante tempora Euangelica inſtauratione. Sunt qui Aureliano Imperatori eius primordia aſcribant: hácque aſtruant contigiſſe occaſione: quòd cum Æduenſes, aduerſus Romanos rebellaſſent, Chriſtiana pietate imbuti: Aurelianus profectus in Gallias, plurimos Chriſti cultores ibi contrucidârit: vt verò Æduos Chriſto deditos, ſub iugo contineret, religioniſque ſalutiferæ impediret

piſcopum noſtrum Leontium probabilem ſacerdotem, hac, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari, vt præter eius conſenſum alterius Prouinciæ nõ indicatur à veſtra ſanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetuſtas eius & probitas exigit honoretur, Metropolitanis priuilegij ſui dignitate ſeruatâ. Æquum eſt enim, nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria, ſi his qui Sacerdotij vetuſtate præcedunt, pro ætatis ſuæ merito in ſuis Prouinciis à Sacerdotibus cæteris deferatur. Viguit etiam eiuſmodi Primatus inter Presbyteros, vt patet ex epiſt ipſius Leonis magni ad Beneuentanæ ciuitatis Epiſcopum, numero 5. quâ animaduertit in Presbyteros, qui propriæ dignitati derogantes, prærogatiuam ſuam, quam antiquitate ordinationis demeruerant, in alium tranſtulerant. *Deformis*, inquit, *& ignaua ſubiectio, benè ſibi conſcijs & non irritam facientibus gratiam Dei præiudicare non potuit, vt primatus ſuos quocumque commercio in alterum transferentes, ſubſequentium ſuorum minuerent dignitatem, & quia vltimum ſibi antepoſuerant, cæteris præmineret. Prædicti igitur Presbyteri qui indignos ſe honoris ſui ordine ſunt profeſſi, licet priuari etiam Sacerdotio mererentur, tamen vt eis pro Apoſtolicæ ſedis pietate parcatur, vltimi inter omnes eius Eccleſiæ Presbyteros habeantur. Et vt iudicij ſui ſententiam ferant, inferiores etiam erunt Presbytero illo quem propria ſententia ſibimet prætulêre, cæteris omnibus Presbyteris in eo ordine permanentibus, quem vnicuique ordinationis ſuæ tempus adſcripſit*, &c. *Paulus vero Presbyter ordinem ſuum, de quo laudabili firmitate non ceßit, obtineat, nec vlteriùs aliquid in cuiuſquam præſumatur iniuriam.* Hæc Leo magnus. Quam præclaram eius ſanctionem nuper in Synodo Pariſienſi, quâ vrbici Curiones annuatim conueniunt, Domino Officiale, vice Illuſtriſſimi Archiepiſcopi præſide, extemplò protuli aduerſus ſanctæ Mariæ Magdalenes Parochum, qui inauguratione omniũ poſtremus, eo quod Archipresbyterali titulo in ciuitate polleat (quo eius Eccleſia non ita diu inciaruit;) primus omnium ſedere in Parochorum ſolemni cœtu annixus eſt. Cùm enim, omnibûs ſuo ordine conſidentibûs, Synodum repente eſſet ingreſſus: primò Archipresbyterum S. Seuerini ſe multò antiquiorem & titulo & ordine, Parochorumque ipſum Syndicum, loco mouere & infra ſe detrudere tentauit. Cùm verò repulſam ab his qui à dextra conuentus parte ſedebant paſſus fuiſſet: ad læuam tranſiens, ſeniores aliquot primæ notæ Parochos antegreſſus, inſigniorem locum inuaſit. Moxque rumor exortus: nouitateque rej omnes attoniti. At factum ille ſuum, ipſo Archipresbyteri nomine defendit, ſibi ſeſſionis prærogatiuam & poteſtatem etiam inde vendicans. Ego vero collegarum monitu inſurgens, proq; communi iure loqui exorſus, illius conatum illegitimum eſſe & non ferendum aſſeueraui. Tum quòd Archipresbyteri duo Pariſiis nulla niſi nominis emi entia eniteant. Tum quòd eo in conſeſſu, nihil quod ad eorum munus propriè pertineret ageretur. Vnde Archidiaconus vrbicus, qui multiplici ratione ipſis præcellit, nullas hac in Synodo partes ſuſtinet, nec in conſeſſu locum habet. Tum denique quòd Apoſtolica Leonis magni conſtitutione vetitum eſſet, ſub graui interminatione, ne Presbyteri, primatum ætatis & ordinis, quem vigere Patres ab Eccleſiæ crepundiis inter ipſos voluerunt, vllo molimine à quoquam temerari paterentur: ſed prærogatiuam quique ſuam, reli-

gioſè ſeruarent ac intrepide tuerentur. Sic cùm conſtitiſſet de iure: de praxi & more inquiſitio facta eſt: compertumque, Archipresbyterũ ſibi inſolita ac ideo indebita arrogare. Quamobrẽ maioribus ſuis loco cedere iuſſus eſt: qui mox eminentiori gradu conſedêre, ipsô inferiorẽ in claſſem deductô, die 29. April anni currentis 1631.

progreſſus, Diuionenſe Caſtrum extruxerit, præſidióque dimidiæ legionis munierit. Denique vt fidem Chriſtianam obrueret, quæ vnum in eſſentia, trinum in perſonis Deum colit, prope arcem fanum conſtruxerit, Dijs omnibus quos colebat ethnica ſuperſtitio conſecratum, indeque emerſiſſe putant Diuionis vocabulum, quaſi diuorum omnium templum, hoc delubrum, Aurelianus ipſe, nuncupari voluerit. Quod ſi ita ſe habet anno certè Chriſti 275. neceſſe eſt obtigiſſe. Hoc enim anno Aurelianum in Galliam Celticam progreſſum, fidelium ſtrages feciſſe plurimas S. Patrocli qui Trecis paſſus eſt, & B. Symphoriani qui Auguſtoduni extrema perpeſſus eſt, aliorumque, quorum ſacra Eccleſię diptycha nomina produnt, agoneſque glorioſos prædicant, manifeſtè teſtantur. Sed ab altiori principio, quamuis hactenus incognito, repetenda ideo videtur Caſtri Diuionenſis origo, quod S. Benigni Presbyteri & Martyris, qui in Galliam à S. Polycarpo circiter an. Chriſti 150. * (integro ſcilicet vt minimùm ante Aureliani principatum ſæculo) miſſus eſt, illuſtratum primum fuiſſe conſtet Apoſtolica prædicatione & triumpho nobiliſſimo. Hac verò licet Diuio inclaruerit gloria, (nam alio decore multa poſt ſæcula non refulſit:) ſæcularis potentiæ, aut Eccleſiaſticæ prærogatiuæ non ideo vllum incrementum accepit: quandoquidem erectâ illic à S. Benigno flamine, flumine & ſanguine Eccleſiâ, Lingonenſi matrici ſubiecta, parœciæ duntaxat titulum & ſtatum ſortita eſt: caſtri verò nomen, ipſum exinde oppidum retinuit. Vnde à ſcriptoribus Eccleſiaſticis qui ferè ſoli, ob S. Benigni trophæum illìc erectum, Diuionis meminerunt, nullo

* Cum enim trophæum Chriſto, inſigni ſuo agone erexerit, anno 169. elabente: anniſque 20. diuinum verbum in Gallia diſſeminauerit, vt notat Chronic. Diuionen. Rectè conſequitur, anno 149. effluente, vel 150. ineunte, ab ipſomet S. Polycarpo, fuiſſe in Galliam ablegatum.

alio commemoratur titulo, quam castri nuncupatione. * Sic enim recolitur à Gregorio Turonensi lib. de gloria Martyrum cap. 51. vbi ait: *Benignus Dominici nominis testis apud Diuionense castrum Martyrio consummatus est.* Ita etiam legitur in Martyrologio Romano Kal. Nouemb. *In castro Diuione S. Benigni presbyteri qui à S. Polycarpo missus in Galliam*, &c. & in Martyrologio venerabilis Bedæ eàdem die. *In castro Diuione natale S. Benigni presbyteri qui cum Antiocho* * *compresbytero & Tyrso Diacono missus est à S. Polycarpo ab Oriente in Galliam.* Idem habetur in Martyrologio Adonis Viennensis Episcopi, quod circa an. 880. conscripsit. Itidémque in eo quod iussu Caroli Magni, paulo ante, Vsuardus concinnauit, Item in Martyrologiis Rabani, Notkeri aliorúmque Hagiologorum medij æui: nec non recentiorum Galesinij, Maurolyci, & cæterorum qui de S. Benigno, aliquid post veteres conscripserunt. Nec modò in actis aut Natalitio S. Benigni, Diuio castri simplici nomine designatur, sed vbicúmque ferè memoratur in Sanctorum historiis. Sic enim in vita S Gregorij Lingonensis Episcopi, quam recitat, ex lib. de vita Patrum passim ascripto Gregorio Turonensi, Surius tom. 1. de Sanctis die 4. Ianuarij, *Corpus deferentes ad castrum Diuionense vbi se iusserat tumulari, in planitie illa quæ à parte Aquilonis habetur, haud procul à castro aggrauati gestatores, non sustinentes feretrum solo deposuerunt.* Et paulò post, *vinctus quidam per viam illam qua beatum corpus à Lingonis est exhibitum, ad antedictum castrum adducebatur.* Ita & in vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis ab eodem Surio relata die 4. Decemb lib. 1 cap. 38. vbi describitur facta anno 1073. ab eodem B. Præsule, vel asser-

* Id iam euicimus supra ex ipsis Diuionensis Asceterij Benigniani monimentis parte 1 ratione 1. annot. 3. ad 5. accedit.

* Andochio.

ta corporis S. Benigni & Martyrum tergeminorum translatio: *Desiderius tuis* (infit Renigerus Abbas Archiepiscopo Annoni) *vt vis satisfaciam, mittens tibi non alium, sed eum reuera Benignum qui in Diuionensi castro sub Aureliano* (rectius M. Aurelio) *Martyrium duxit.* Igitur adhuc post an. 1073. (nam post obitum S. Annonis hæc historia iussu Reginardi Abbatis Sigebergensis, ab eiusdem asceterij quodam cœnobita, vt fert titulus præfixus, conscripta est) Diuio castri duntaxat nomine censebatur. Et procul dubio, (quicquid sibi blandientes secus Diuionis persuadeant incolæ,) etsi à Roberto Rege, castrum seu oppidum istud ad fiscum Regium fuisset reuocatum, ciuitatis adhuc anno centesimo supra millesimum, nec iure nec nomine gaudebat. Hugo siquidem III. Dux Burgundiæ primus fuit qui Diuionensibus concessit *ius ciuitatis*, vt notat Robertus ex diplomate edito anno 1187. eodemque fluente, confirmato à Philippo Augusto Rege Tornodori existente. Igitur Diuionis nomen, non ante primos Apostolicorum Martyrum in Gallia triumphos, innotuit; soláque S. Benigni palmâ inclaruit. Mille autem ferè post eius gloriosum Martyrium annos pagi & castri, aut certè permodici oppidi, statu & nomine constitit, cùm ciuitatis decus & titulus non nisi post vndecimum à parta salute sæculum illi obtigerit, * prælibati Hugonis Ducis Burgundiæ III. munificētiâ, & Regia Philippi Augusti auctoritate. Ab eo igitur tempore Diuio suæ nobilitatis potest iura & initia repetere: cùm hinc duntaxat contraxerit, huius qua hodie emicat suæ amplitudinis crepundia.

* Hæc erectio Diuionis Castri in ciuitatem tempore Philippi Augusti eiusque auctoritate facta, repugnat penitus vulgari persuasioni quæ Diuionem diu antea à Roberto Rege in caput prouinciæ erectam fuisse prodit. A quo tamen Roberto, cessione Lamberti Episcopi Lingonensis in ius regium traductam fuisse subindicant diplomata ab ipsomet pientissimo Rege in fauorem Cœnobij Benigniani edita, quæ in illius asceterij Chronico commemorantur fol. 161. b. 162. a. b.

AT LINGONA vrbs semper clara & illustris, vt

maiori ſemper celebritate excelluit, ſic longè annoſiori pollet origine, & inſignioribus admodum ſupereminet ac præſtat primordijs. Pulchrè equidem & verè Ioſeph Ripamontius hiſtoriæ Mediolanenſis Eccleſiæ decade 1.* mirificam deſiderij Lingonenſis Antiſtitis, origine Liguri, tandémque glorioſi ſub Vuandalorum incurſione Martyris, electionem ſeu poſtulationem ad Lingonenſem Præſulatum, ex antiquis monumentis deſcribens, Lingonenſis ipſius vrbis decora breui hoc, ſed inſigni elogio complexus eſt. *Lingones in Gallia*, inquit, *non opibus & fama, non origine ac vetuſtate, cæteriſque rebus vnde gentium ſpectatur nobilitas & ſplendor, cuiquam vrbium Gallicarum cedunt.* Vnde veteres Geographi de ea ſemper inter primores meminêre. Non loci autem huius eſt, ſitum, munitionem, amplitudinem, virtutem incolarum & multitudinem, vrbiſque ipſius cætera ornamenta, puta ædificia, templa, fora, & priſca quæ adhuc ſuperſunt monimenta minutim commemorare. Cernuntur adhuc Lingonis eximiæ notæ inſcriptiones, lapidibus exaratæ, quas tuendæ cauſa memoriæ Onuphrius Panuinus Veronenſis, cùm in faſtis & triumphis Romanorum à Romulo ad Carolum V. tum in libro de mundi vniuerſo ſtatu diligenter deſcripſit. Sed quoniam ipſis naturæ legibus ita conſtitutum eſſe videtur, vt quod antiquiſſimum eſt, idem quoque cenſeatur honore digniſſimum*: inſinuandæ Lingonenſis vrbis dignitati & gloriæ, origo ſanè qua præſtat vetuſtiſſima, eſt operæpretium prætexenda.

* Lib. 6. pag. 394.

* 16. q. 1. can Eccleſiæ, & Quicunque. Ibique Gloſ. Ad antiquiores. Ex qua elicitur: *vbi pro iure contenditur duarum Eccleſiarum, ſemper antiquiori ſtandum eſſe.*

NONNVLLI ſunt equidem qui omen ac nomen ciuitatis Lingonicæ Longhoni referant, quem aiunt

in Gallia & Britannia, anno ante ortum Solis iustitiæ 2144. regnare occœpisse. Ab eo enim è Sequanorum populis qui ipsimet chariores fuere, nomine suscepto Lingones putant primùm fuisse dictos: à quibus constructa, qua de sermo est, ciuitate, Lingona fuerit appellata. Sic produnt Constantinus Phrigiensis, Annius Vviterbiensis, Ioannes Picardus, Michael Eytzinges, Ioannes le Maire, Bartholomæus Cassanæus, alijque cum auctore magnorum Chronicorum Sandionysiani Regalis Cœnobij. Verùm quia huius opinionis primarius auctor est Berosus (quem suppositítium docti plærique nuperi arbitrantur) ideo ijs plurimùm non refragamur, qui eiusmodi opinationi non satis tutè Lingonum originem censent adscribi posse. Verumtamen siue vera sit siue fictitia: nemo est qui iure inficiari queat, non diù post prænotata orbis tempora, Lingonum decus iam inclaruisse: cùm eorum Galliæ populorum qui cum Senonibus, Bellouesô & Sigouesô ducibus Romæ Tarquino prisco regnante, in Italia consedêre, Lingones fuerint magis conspicui, prout tradit Liuius lib. 3. Porrò Tarquinus priscus Rex à Romanis renunciatus fuit anno ab vrbe condita 137. ab orbe autem creato 3470. nimirum ante Christi natiuitatem 514.* Regnante igitur Tarquino illo seniore cùm Lingones è Gallia in Italiam erupêrint: non dubium est quin iam Lingona constiterit, à qua vel hi populi sic dicti sint; vel quæ ab ipsis conditoribus suis, nomen fuerit mutuata. Exinde enim apud priscos scriptores Lingonum municipii in Gallia Celtica clarissimi, & quod adiacentibus oppidis præemineret, ac cuius nomine, nonnulli Sequanorum populi censerentur, mentio

*Roma condita fuit an. orbis 3233. qui fuit 12. Achas Regis Iuda. Christus autem natus est an. mundi 3984.

mentio frequens occurrit: apud priſcos probatóſque auctores, vt videre eſt apud Cæſarem Com. lib. 4. & 7. Eutropium lib. 9. Tacit. lib. 4. Polybium lib. 2. Liuium lib. 5. Lucanum lib. 1. qui ſic Lingonum diſertè meminit.

Caſtráque Vogeſi curuam ſuper ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.


De huius enim Lingonæ incolis, Lucanum id intelligere ex eo conſtat, quod montem Vogeſium commemoret, ad cuius extremam Occidentis partem Lingonenſis ciuitas, quæ & Andimadunum Lingonum à veteribus inſcribitur, ſita eſt. Huius verò cognominis anxiè cùm nonnulli cauſam diſquirant, ex duarum quæ ſequuntur altera, neceſſe eſt illam denominationem promanaſſe. Prima eſt quod in Baſſinienſi regione Lingonicæ hactenus Præfecturę obnoxia, in ſylua ingenti cui Paſſauantiæ nomen, viſuntur Lingonicæ quæ dicuntur veteres, vbi quamplurima etiamnum cernere eſt rudera & veſtigia tuborum, marmoreoſque tumulos, vrbíſque non minimæ reliquias, quam non longa intercapedine diſtaſſe à Lingonenſi, quæ in hunc vſque diem florentiſſima perſeuerat, ex eo conſtat, quod inde ad mœnia Lingonum, vno die peruenitur. Igitur ſicut olim Senones populi duas vrbes conſtruxere, quibus vnum idemque indidêre nomen. Nam & Agendicum, Senonum, quam dicimus Metropolim, vocitauerunt; necnon Pruuinum, ſeu aliud quoduis eâdem regionê oppidum, cuius pridem veſtigia exciderunt: (vnde apud nuperos, difficilis illa quæſtio, de Agendici Senonum vero ſitu, ſuborta) ita prorſus Lingones, duas olim, intra ſuos fines, vrbes ſui no-

minis condiderunt, quarum alteri, cum peculiare vocabulum indidiſſent: alteram, vt diſcrimen intercederet, ſpeciali cognomento Andimandunum appellauêre. Secunda eſt, quod veteres Galli, primarias cuiuſque populi vrbes, totius popularis municipij nomine illuſtrari voluerint. Sic enim ex veteri vſu etiamnum dicitur Tullum Leucorum, Tornacum Neruiorum, Auguſta Æduorum, Auguſta Auſciorum, Auaricum Biturigum, Colonia Vbiorum, Lugdunum Seguſianorum, Lutetia Pariſiorum: eademque ratione Andimandunum Lingonum. Vnde colligere eſt hanc vrbem fuiſſe municipalem primariámque omnium quæ in Lingonum finibus cenſebantur. Ideóque flamine gentilitio & Magiſtratu ac Præfectura ſub ethnica ſuperſtitione fuiſſe inſignitam; poſtmodúmque nobiliſſimo Epiſcopatu ab eluceſcente Euangelio honoratam: ex Apoſtolico S. Petri inſtituto, * quod inſecutus Anacletus S. Clementis ſucceſſor ipſiuſque Petri diſcipulus, promulgatâ legê ſanciuit, vt in his vrbibus duntaxat quæ in vnoquoque regionis tractu, municipales eſſent, ſæculaiíque potentia pollerent; non autem in modicis oppidis quæ prærogatiuis eiuſmodi carerent, Epiſcopalis ſedes conſtitueretur: ex qua regula tot Patrum decreta deprompta ſunt, quibus vetitum eſt ne in caſtris, aut modicis oppidis, & paruis ciuitatibus, ordinetur Epiſcopus: nimirum ne ipſum nomen & decus Epiſcopale profuſiori vſu vileſcat: *can. Epiſcopi diſt.* 80. & *can. Non debere. Ex quo idem edicit Zacharias Papa Epiſt.* 1. *ad Bonifacium reſponſione prima.*

* Can. In illis verò diſt. 80. Ep 1. ca. 4. & can. 1. diſt. 99. Vide & Alexād ab Alexand. genial. dier. lib. 6. c. 12. & Polyd Virgil. de Inuent. rer. lib. 4. cap. 14.


VT verò hinc apertè liquet, qua ratione Lingonenſis ciuitas, ab ipſo rerum initio, Diuioni & cæte-

ris prisci sui municipatus Castris & oppidis fuerit dominata, nempe ipsô iure originis, natiuique gradus titulô, & gloriæ ac potentiæ sæcularis splendorê: sic inde perspicuè elucet, vnde sacra qua ab Apostolicis ferè temporibus ad hos vsque dies potitur Ecclesiastici honoris prærogatiua, illi obtigerit: & cur in vtróque statu temporali ac spirituali, ciuili ac Hierarchico semper primas tenuerit: vix enim in Gallia ciuitas est, quæ maiori antiquitate & æquitate, dotes quas vtroque iure obtinet eximias sibi vendicare queat.



CAVSA TERTIA.

ECCLESIÆ LINGONENSIS FVNdatio perantiqua, præcelsa origo, eximia dignitas, ac multiplex decus & gloria.



ERTE Patres antiquissimi qui de Ecclesiarum statu & prærogatiuis quauis occasione tractauerunt, duplex dignitatis fundamentum passim constituêre; nimirum *vetustatem originis, & nobilitatem fundatoris.* Sic S. Irenæus Romanæ Ecclesiæ omnium principis vt auctoritatem inculcet, eam & origine antiquissimam, & fundatione Apostolicam esse commemorat: hócque splendorê tetram hæreseon caliginem depellit, ac falsorum dogmatum auctores ac satores côncutit & retundit. Ita & Tertullianus ipsius Ecclesiæ Romanæ auctoritatem ex funda-

Lib. 3. cap. 3.

Lib. de præscript. aduersus hæret.

tionis dignitate ac originis antiquitate deprædicat, atque ex hac forma aliarum insignium nobilitatem commendat. Porrò Ecclesias omnes quotquot in orbe sunt quadruplici distinguit ordine, quo singularum gradus & auctoritas clariùs elucescat. Primò in ordine eas constituit quas ipsi Apostoli instaurârunt. Secundò, illas habet quas Apostolici viri, Christi aut Apostolorum discipuli & asseclæ fundauerunt. Tertiò, illas recenset quæ ab Apostolicorum virorum proximè sequacibus mystis fuerunt institutæ. Quartò denique illas collocat, quæ ab primitiuarum Ecclesiarum Antistitibus fidê adhuc haud plenè propagatâ, sed persecutionum adhuc obsita turbinibus per traducem doctrinæ (vt ab * Alcione pulli, furentê licet hyeme flantibúsque boreis, quietis ac pacis ominê) progenitæ sunt. Has verò omnes (etsi analogicè) Apostolicas esse paulò post asseuerat. *Apostoli*, inquit, *consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes & eloquium, primùm per Iudæam contestatâ fidê; in nationibus promulgauerunt, & deinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem* (quam adiêrè) *condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt vt Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur: vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad suam originem censeatur necesse est. Itaque tot & tantæ Ecclesiæ, vna est illa prima Apostolica ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.* Subindéque exempla proferens singularum originum, primam illam esse non obscurè insinuat, quam Petrus Romæ fundauit sacratissimo suo ore & cruore, Pauli suffultus fœlicissimo consortio. *Si Italiæ adiaces habet Romam vnde nobis quoque auctoritas præ-*

* S. Basil. hom. 8. in Hexam. circa med.

Tert. de præscrip. cap. 20.

Idem. ibid. cap. 36.

sto est. Statu fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt! Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Tumque eius Ecclesiæ principalis * fide & auctoritate, præscribit aduersus omnes hæreses: subinde verò alias Apostolicas Ecclesias, ab ipsis Apostolis fundatas recenset, etsi non pari honore. *Age*, inquit, (vt per vnicam, sicut subnectit, eiusdem sacramenti traditionem, fidei vnitatem ab Apostolis repetendam insinuet) *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ; percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Apostolorum Cathedræ suis locis præsidentur. Proximè tibi est Achaia? habes Corinthum; si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses* (nempe quas Paulus Apostolus, vt constat ex ipsius sacris epigraphis, erexit.) *Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum*; cuius equidem vrbis notum est Ioannem Christi prædilectum Apostolum, Cathedram suo * Pontificio consecrasse.

* Romana Ecclesia ipsis Apostolicis temporibus teste S. Irenæo, Tertulliano antiquiore lib. 3. aduersus hæreses cap. 3. habita est maxima: non tantum amplitudine, sed & potestate: ad hanc enim, vt ait ibidē, vir ipse Apostolicus, *Propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est omnes qui sunt vndiq; fideles.* Nimirum vt ad communem matrem & magistram. Quamobrem & S. Cyprianus Tertulliani symmista, vocat eam ob Petri Cathedram, *Ecclesiā principalem*, imo Ecclesiæ *radicem & matricem, vnde vnitas Sacerdotalis* (vt è centro lineæ prodeunt) *exorta est*. lib. 1. epist. 4. & lib. 2. epist. 10. Hanc etiam Gregor. Naz. carmine de vita sua, *toti orbi astruit præsidere*. In qua *Apostolica Cathedra semper viguisse principatum* S. August. epist. 162. ad Donatistarum Episcopos asseuerat. Hinc in Concilio Oecumenico Chalcedonensi Act. 16. ex Concilij Niceni can. 6 nemine refragante legitur, *Romana Ecclesia semper habuit primatum*. Quod adeo verum & exploratum est, vt Martinus Bucerus sectariorum post Lutherum antesignanus, Caluinique olim præceptor & Mæcenas, id plane eorum omnium nomine agnoscat atque fateatur, in præparatoriis ad Concilium, vbi ait: *Ingenuè confitemur apud veteres Ecclesiæ Patres, Romanam Ecclesiam præ cæteris primatum obtinuisse, vt quæ Cathedram D. Petri habeat*: subnectit & huius Ecclesiæ Præsules passim habitos *Petri successores*. Vnde habes quo Petri Molinei insaniam derideas, qui infami suo libro *de nouitate Papatus*, totus in eo versatur vt sicut titulus præfert, Primatum Romani Pontificis recentem esse persuadeat. Quem tamen dum à Christo impugnare adoritur, miser non aduertit, se hoc ipso satis prodere, vnà cum Euangelio exortum esse. Hincque quamquam ab hæreticis perpetua conspiratione oppugnatum, firmum tamen & immobilem ad hæc vsque tempora perdurasse: iuxta Domini pollicitationem. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matth. 16.

AT præter eiusmodi primitiuas, alias secundarias idem auctor innuit Apostolicas habendas esse: nempe illas quas Apostolorum discipuli condiderunt. Qualem esse commemorat Ecclesiam Smyrnæorum

* Euseb. Cæsar li. 3. hist. Eccles. c. 25. S. Chrysostom hom. in laudem 12 Apost. S. Hieronym. lib. de scriptorib. Ecclesiast.

in Ioanne: & in comment. in epist. ad Galat. lib. 3. c. 6. sed & Polycrates S. Ioan. ca in sede successor, testis est apud Eusebium lib 5 hist. cap. 24. ipsum B. Ioannem Pontificatu illic persunctum, Sacerdotale petalon gestasse.

ab Polycarpo, quem ipse S. Ioannes ordinauit non modò rectam sed & erectam. Tertij verò & quarti ordinis quia permultæ sunt, singulare exemplum Tertullianus ipse non induxit: sed eas duntaxat esse significat quæ ab Apostolicorum virorum asseclis, aut certè primariarum Ecclesiarum Præsulibus, per Apostolicæ doctrinæ perfusionem adhuc adolescentê Ecclesiâ fuerunt procreatæ: *Proindeque*, infit, *& cęteræ sic suos census exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant*. Sed & præter quadruplex illud Ecclesiarum genus à Tertulliano descriptum in toto orbe, atque adeo in Gallia, sunt inferioris prorsus ordinis Ecclesiæ, nempe quæ neque fundatorum dignitate ita promicant, nec sedis tanta pollent antiquitate. Hæ verò sunt in differentia triplici. Primò etenim nonnullæ sunt, non quidem ab aliquo viro Apostolico erectæ, sed Martyrum sanguine, quos vel Petri successores in præsidium fidei in Gallias diuersis temporum vicibus transmiserunt, vel quos Gallicana ipsa Ecclesia, ferax ager Martyrum suo sinu peperit maxima gloria institutæ. Secundò, aliæ sunt quæ post sedatos persecutionum turbines, pacêque Ecclesiæ multo labore & dolore partâ, congruis locis ab Ecclesiæ primoribus Episcopis, studio & spiritu Apostolico mox reperiuntur excitatæ. Tertiò, aliæ denique quæ succedentibus sæculis, fide vbique propagatâ & florentê, ob messis succrescentis copiam, fuerunt in operis subsidium à summis Ecclesiæ pastoribus Apostolica prouidentia, vel erectæ, vel ad Episcopale onus ac honorem prouectæ. Et primi quidem ordinis sunt Antissiodorensis, Turonensis, Cadurcensis, Tornacen-

ſis, Bellouacenſis, Ambianenſis, Morinenſis (quæ nunc Bolonienſis) Trecenſis, necnon Ebredunenſis. Secundi autem Dinnienſis, Nemauſenſis, Vaſatenſis, Gratiopolitana, Cauellionenſis, Carpentoractenſis, Antipolitana, Vencienſis, Matiſconenſis, Cabilonenſis, Laudunenſis, Briocenſis, Maclouienſis, Dolenſis, Leonenſis, & Trecorenſis. Tertij denique Tutelenſis, Vabrenſis, Floricenſis ac Caſtrenſis ſub Bituricenſi Aquitaniæ primæ Metropoli; Maleacenſis, Lucionenſis, & Sarlatenſis ſub Burdegalæ Archiepiſcopatu in Aquitania ſecunda; Lodeuenſis, Alectenſis & ſancti Pontij Tomeriarum in Narbonenſi. 1ª. Apamienſis, Monſalbana, Lumbarienſis, S. Papuli, Riuenſis & Vaurenſis in Narbonenſi 2ª. quas ſummi Pontifices poſterioribus his ſæculis Epiſcopali honore decorarunt, vel vt nimio honore ſubleuarent, antiquarum Diœceſeωn Antiſtites, vel vt Gallicanæ Hierarchiæ ex rerum ciuilium immutatione titubanti, & nouo ſedium ordine ac Paſtorum præſidio indigenti, proſpicerent, paternáque cura & Apoſtolica auctoritate ſuccurrerent ac opitularentur.

De his aliiſque Galliarum Eccleſiis, librum hactenus inexcuſum ſed propediem euulgandum concinnaui, ſub titulo *Originum Eccleſiarum Galliæ.*

Extra. Saluator lib. 3. de præbend. & dignit.

IAM verò hac ex inductione fit conſpicuum, quo ordine & gradu, Lingonenſis Eccleſia inter cæteras Gallicanas ſit habenda: quam certè vt origine antiquiſſimam, ſic & fundatione Apoſtolicam, non dubitamus ex Tertulliani doctrina & ipſo ſacræ hiſtoriæ teſtimonio aſſerere. Siquidem duæ duntaxat cum in Gallijs Eccleſiæ memorentur, ab Apoſtolo Paulo fundatæ, nempe Arelatenſis cui Trophimum, & Viennenſis cui Creſcentem*, in procinctu ſuæ in Hiſpaniam per Gallias profectionis, legitur apud Adonem in Chronico, Epiſcopos ordinaſſe. Vix au-

* Ado Viennenſ. in Chronic ætate 6 ſub an Chriſti 59 Cui aſtipulantur ſyncera Chri-

stianæ pietatis instauratæ in Galliis monimenta: vti in Martyrologio nostro Gallic. eui- cimus tom. 1. die 1. Ian in S Paracodæ natali. Cæterum de S. Pauli in Galliam Viennensem, & Narbonensem transitu, & S Trophimi Arelati, sanctique Crescentis Viennæ facta ab eo ordinatione, profuse scripsimus in nostra 72. Domini discipulorum Synopsi in Crescente n. 16. & Trophimo n. 68. Necnon in originibus Ecclesiarum Galliæ sub Viennensi prima & secunda.

tem 10. per Christi discipulos reperiantur institutæ: nam hoc nomine duntaxat celebrantur Senonensis, quæ à SS. Sauiniano & Potentiano; Bituricensis quæ ab Vrsino; Lemouicensis, ac Burdegalensis, quæ cum aliquot suffraganeis, à Martiale; Cenomanensis à Iuliano, Massiliensis à Lazaro; Aquensis à Maximo Christi, quos ferunt ex 72. albo discipulis, suæ prouectionis crepundia comprobantur accepisse. Post istas vero fundationis primæ notæ Ecclesias: aliquæ sint quæ ab Apostolorum discipulis, primordia sua mutuatæ asseruntur: sicut Remensis & Suessionensis à Principis Apostolorum Symmystis Sixto & Sinicio, necnon Catalaunensis à Memio, Tullensis à Mansueto, Vesontionensis à Lino, Nannetensis à Claro, Claromontana ab Austremonio, Petracoriensis à Frontone, Aurelianensis ab Altino, Carnotensis ab Aduentino, Petri itidem discipulis. Et quæ à Pauli Apostoli Gallicanæ Ecclesiæ consecratoris, astruuntur sectatoribus fundatæ, vt Narbonensis à Sergio Paulo, Parisiensis ab Areopagita illo Dionysio: quibus adnumeranda Siluanectensis à Regulo, quem ferunt vnum fuisse ex Ioannis Euangelistę auditoribus. Certè si his omnibus, fundatorú quibus gloriátur, vltro nomina ac numina concesserimus: vix vlla subinde reperiri poterit alia, quæ census suos digniori queat auctori ascribere, quàm Lingonensis, quæ certè inter tertij ordinis Apostolicas, locum maximè spectabilem obtinet, cùm ab eo fundata sit mystici operis prouectore, qui possit cum cæterarum insignium conditoribus, non modò de gradu honoris (si de beatis licet ita loqui) contendere: verumetiam singulari prærogatiua gloriæ, ijs omnibus,

nibus, meritò anteferri. Nec enim pares reputo Lingonensis Ecclesiæ parenti quarti ordinis Ecclesiarum progenitores. Cùm eorum fuerint duntaxat discipuli & admissionales qui post viros Apostolicos in Ecclesia præfuêre, sicut Albiensis Ecclesiæ Protopastor proditur Clarus, illic à S. Anacleto PP. & Martyre missus: Et Valentinæ Patres SS. Felix Presbyter & Fortunatus ac Achillæus Diaconi, illò à S. Irenæo Lugdunensi Pontifice destinati. Et Vesontionensis Ecclesiæ paranymphi, qui ab eodem sanctiss. Præsule itidem missi sunt, Ferreolus Presbyter & Ferrutio Leuita: hi enim omnes etsi Martyrij purpura conspicui, Apostolicorum tamen virorum, sunt duntaxat auditorum ac successorum, discipuli atque coadiutores. Sed illis hac in re, conferendam puto Lingonensem illustribus Ecclesiis, quæ immediatè ab Apostolorum præcipuis discipulis, viris vtique præclarè Apostolicis, suos satores receperunt. Paucæ sunt equidem in Gallia quæ hoc honore præfulgeant. Quarum tamen diuersa est eadem in re scaturigo. Nam aliæ sunt à S. Dionysij, aliæ à S. Polycarpi, aliæ à S. Clementis discipulis ac suffragatoribus instauratæ. Et à Dionysij asseclis fundatæ recensentur, Belluacensis quæ Patre Luciano, Meldensis & Virdunensis quæ Sanctino Protopræsule gloriantur. Porrò à S. Polycarpi discipulis & adiuuis tres tantùm enumerari possunt, cælesti munere institutæ. Nempe Lugdunensis, quam S. Photinus erexit, Lingonensis, quam S. Benignus ore & opere extruxit, & Æduensis, quam Andochius Presbyter & Tyrsus Diaconus mutuo studio & labore excitârunt. Cæterùm à S. Clementis Missionariis (Parisiensi hac ex serie submotâ, quòd

non à ſancti ipſius Clementis diſcipulo, ſed ſocio, * Pauli ſcilicet Apoſtoli itidem filio & adiuua fundata fuerit) duæ ſunt quæ conſtitutæ memorantur. Metēſis, quā ipſius patruus & adminiſter æquiuocus, Clemens vtique alter Romanus, primus legitur collegiſſe: Et Tholoſana, quam Saturninus ab eodem Pontifice Apoſtolico in Gallias directus, inſigni peperit trophæo. Igitur Eccleſia Lingonenſis ſingulari claret prærogatiua, quòd plurimis præcellat originis dignitate & fundatoris merito, Galliarum matricibus, iiſque nobiliſſimis vt antiquiſſimis Eccleſiis: ſed præterea *quod non ſuæ Metropolis filia ſit, ſed ſoror collactanea*, imò conſanguinea, & vt ita dicam, gemina. Nam ſi vtriúſque cunabula repetamus, eodem partu vtrámque in Chriſto reperiemus progenitam. Id verò vt fiat exploratum obſeruare iuuat, Ioannem Euangeliſtā cuius Polycarpus primarius Symmyſta fuit, in colloquio * Epheſi habito cum Dionyſio Areopagita eidem ſuggeſſiſſe, vt illuminandæ Galliæ Prouinciam quantocius aggrederetur, ſuoque hortatu effeciſſe vt conſtituto Athenis Publio ſui loco Antiſtite, * Romam proficiſceretur: hı́ncque communicatô conſiliô cum Clemente Apoſtolorum Principis ſucceſſore (à quo Apoſtolatum totius Galliæ ſuſcepit) cum valida adiuuarum manu, has in partes concederet; vbi tandem feliciter propagatâ fidê, regnum Chriſti plurimum à ſe dilatatum primus omnium ſtabiliuit. Verumtamen Ioannes Euangeliſta (cuius ſalutaribus conſiliis, tam præclarum & fructuoſum facinus meritò vt auctori primo adſcribi debet,) cum Gallicanam Eccleſiam tenellam & vix adhuc ex ephœbis eductam cordi altè inſitam habe-

* Fuit enim S. Pauli Clemens ipſe ſectator & cooperarius Philipp. 4.3. At duos, inter ipſos primarios Chriſti præcones, huius nominis extitiſſe, rerum geſtarum gloria maxime conſpicuos: quorum alter Græcus, alter Romanus fuerit, aſtruximus ex probatæ antiquitatis monumentis, in noſtra 72. Domini diſcipulorum Synopſi n 55. Præter hos etiam alius extitit Clemens presbyter Lugdun. ſub S. Irenæo, cuius præconium intexuimus Martyrologio noſtro Gallicano tom. 1. die 10. Ianuarij.

NOTA.

* De hoc congreſſu conſule ipſum Dionyſ epiſt. 10. Metaph. in Ioan. apud Oecumeniū Suidam verbo Dionyſ. Areop. & Niceph. lib. 2. c. 20

* Euſeb. Cæſ. hiſt Eccleſ. lib. 4 c. 22. & S. Hieronym. lib de ſcript. Eccl. in Quadrato.

ret, ac peculiari ſtudio & munere complecteretur: ne forte abreptô Dionyſiô, aliquo perſecutionis turbine, vt educatore, ſic ſubſidio paterno ac paſtorali clientela, deſtitueretur; proindéque ipſo in ortu occideret & periret: Polycarpo diſcipulorum ſuorum principi, cui vniuerſi Orientis Eccleſiarum reſignauerat patrocinium, ante obitum, Gallicanæ etiam Eccleſiæ curam iniunxit, * vtque ſubſidiaria ope cunabula eius foueret, viſcerali prorſus amore commendauit. Cuius commonitionis memor vir ille Apoſtolicus, imò Apoſtolicorum omnium coryphæus: Dionyſium Galliarum Apoſtolum fraterna amicitia coluit, inuiolabilique cum ipſo conteſſeratione initâ, tum literis, ** tum obſequiis eum ſolando & iuuando, ſuppetiarum opportuna frequentique tranſcriptione, Gallicanæ Eccleſiæ ſub eo pubeſcenti ſtudiose opitulatus eſt. Nec Dionyſio ad supernos triumphos euectô, deſtitit Polycarpus Galliæ patrocinari: quinimo eô laurea cæleſti redimitô nouellæ Eccleſiæ maiora impendit paternæ prouidentiæ teſtimonia. Et ejus quidem ſolicitudine ac opera Gallicanam Eccleſiam non modò protectam, ſed & admodum prouectam fuiſſe poſt S. Dionyſii obitum, non tantùm Viennenſium & Lugdunenſium perſuadent literæ ad Aſianos conſcriptæ, * eo anno quo ipſe heroicis pro Chriſto laboribus perfunctus, flammis vt *aurum in fornace* clarificatus eſt; ſed & Eccleſiaſticæ tabulæ quæ ſuſcepta ab ipſo pietatis ſubſidia, Chriſtique pugilum agmina apertè indicant ac plenè teſtificantur. Et verò Lugdunenſem Eccleſiam hoc auctore & Euangelium & primum & ſecundum Epiſcopum aſſecutam, ex Gregorio Turonenſi egregiè

* Chriſtus in cruce pro mundi ſalute occumbens caput verſus Occidentem deflexit, vt S. Damaſc. obſeruat lib. 4 de fide orthod c. 3 Ideo & Ioannes prædilectus eius diſcipulus qui eiuſdem in nos amorem crucis in ſpeculo emicantem inſpexerat atque in cor ſuum transfuderat, moriens præcordialē hunc in nos affectum maximè teſtatus eſt. Occidentis dum curam paternam geſſit, Galliamque potiſſimum vti occidui orbis ocellū, chariſſimo diſcipulorum commendauit, pietatis Apoſtolicæ ſubſidijs promouendam.

** Vide Epiſtolam Polycarpi ad Dionyſium apud Suidam, titulo prænotato.

* Extant apud Euſeb. lib. 5 hiſt Eccleſ. ca. 1. & ſeq.

conuincit, explosîs recentiorum opinationibûs; Theophilus Raynaudus Soc. Iesu Theologus in suo sanctorum Lugdunensium aureo planè indiculo. Quod autem ex eodem fonte, salutis fluenta in agrum Lingonensem S. Benigno delibante profluxerint, neminem eruditorum esse reor, qui ausit abnuere: cùm id tot demonstrationibus & auctoritatibus constet verum & liquidum esse. Enimuero omnia, quæ missum à S. Polycarpo in Galliam Celticam S. Benignum cum sociis veterum testimonia insinuant, necnon ipsa quæ id produnt rei gestæ monimenta; eumdem vt passum Diuione, cursum Euangelicum inclyto Martyrio absoluisse innuunt: sic Lingonis primitias salutis detulisse, & Ecclesiam illam quæ tanto etiamnum splendore coruscat, eximiis crepundiis exornasse, atque adeo consecrasse, æquè luculenter contestantur. Ne verò ea quæ hîc congeri posset eius veritatis probatio, in immensum succrescat; vno quidem, sed authentico testimonio satius fuerit ipsam astruere. Colit Ecclesia annuis sacris 16. Kal. Feb. SS. Martyrum Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi, sociorumq; totidem trophæum, quos S. Benignus prædicatione sua apud Lingones Christo peperit, ac sacro tinctos lauacro, egregiéque ad pugnam instructos, ad vitæ æternæ brauium verbo & exemplo prouexit. Horum verò in athletarum Christi triumphali passione, * à Neone Notario ac inspectore, quin eiusdem pugnæ ac coronæ è vestigio participe, descripta: sic verbotenus legitur, postquam Fausti Senatoris pia relata sunt vota. *His auditis sancti viri* (Benignus scilicet & Andochius presbyteri ac Tyrsus Diaconus) *rem cuius causâ eò venerant attentius*

* Extat apud Surium tom 1. de SS. die 17. Ianuarij & Mõbritium tom. 2. eadem die.

*pertractãtes inter se pariter constituũt, vt S. Benignus ad territorium Lingonicum illustrandum ex Dei sententia properaret: sancti verò Andochius & Tyrsus in Augustodunensi villa, plurimos suis prædicationibus ad religionem Christianam traducentes, sub Aureliano * Principe felici sunt Martyrio coronati. Sanctum autem Benignum, iam dictus Senator Faustus sorori suæ* (Leonillæ illustri Matronæ Lingonicæ prælibatorum Martyrum auiæ) *pro munere diuino sicut erat transmisit, quæ eum velut manna de cælo descendens, cum omni veneratione suscepit.* Et infrà: *Docuit autem eos* (Leonillæ nepotes) *omnem sanctam doctrinam & vt perfectos in fide, confessionem credulitatis veram & manifestam per infusionem sancti Spiritus eos cognouit ad integrum recepisse, baptismatis ipsos gratia consecrauit. Deinde S. Benignus ad castrum Diuione perexit: vbi plures laboris sui fructus congregans, non post multum tempus, pro multis meritis condignam Martyrij coronam promeruit.* Vt igitur hac gloria parem esse constat Lingonensem Ecclesiam Lugdunensi, quod eodem è fonte suæ salutis delibarit originem: sic liquet Diuionensem, quamuis S. Benigni Martyrio purpuratam, longè tamen quantum ad primordia salutis & sacri prærogatiuam honoris, ipsa Lingonensi inferiorem esse, & ideo illi optimo iure subiacere, è cuius sinu suæ in Christo prouectionis suscepit auctorem.

* Rectius Aurelio.

* paulò aliter quã in vulgata proditur historia legi in peruetusto codice, qui fragmenta aliquot passionum sanctorum Lingonensium continet: sic enim ibi sanctorum Benigni, Andochij & sociorum missio, prædicatio & Martyrium describitur, breui quidem & simplici, at nitida & quæ auitam pietatem & priscã synceritatem omnino spirat ac redolet epigraphe. *Cælico nuntio monitus Polycarpus Beatos Benignum & Andochium presbyteros ac Thyrsum Diaconum simul, quique eos (iterum cælitus monente Deo) quamprimùm ad Corsicam attigit insulam, Andeolum hypodiaconum veluti sonoras Euangelij nuntij tubas dirigit in Galliam. Hi quatuor Massiliensem portum tandem nacti, vlteriusq. profecti, &c. Andeolus Dei monitu Carpentoractem, alij Heduorum vrbem petunt: quos Faustus prætorianis ibi fascibus illustris, obuijs vlnis amplexatur, postquam eius hi familiam, adeoque filium S. Symphorianum Christianorum albo adscripsissent, ille Andochiũ & Thyrsum ad suos Sedelorum transmittit, vbi cum quodam negotiatore suo hospite, & nomine & merito Fælix qui Christiano censebatur nomine, & cuius substantia quotidie erogabatur in pauperes, tandem Martyrium patiuntur. Benignum vero Lingonas ad sororem Leonillam legat, cuius cum tergeminos nepotes sacro Nemesi Deæ faciendo intentos, nactus, vnda salutifera lustrasset, ipse quidem Diuionem progressus Spaniaci Christum prædicans deprahenditur, & ab AVRELIO (quamuis Aureliano dicant alij) Principe, Martyrio donatur. Illi vero propter comminutam Nemesis statuam, soloque adæquata duodecim idolorum sacella, accusati ab Hermogene, Palmato, Quadrato deorum sacerdotibus, ac primoribus viris, cùm inuicta morte cuncta superassent, flammis addicuntur, in quarum medio illæsi permanentes, genibus tandem complicatis animas Deo sponte reddunt. Hos denique humi traditos sequuntur auia Leonilla, Iunilla (relicto cum filio, coniuge:) cumque his scriba Neon & Turbon.* Hæc ibi.

NEC est quod quis in inuidiam Lingonensis Ecclesiæ excipiat, S. Benignum, Pontificiæ Cathedræ Lingonensis minimè vnquam solium constituisse; aut eidem insedisse; cùm nunquam fuerit Episcopus, sed solùm presbyter, vti vniuersa Martyrologia testantur. Licet enim gradu duntaxat fuerit presbyter S. Benignus, nec propriè Lingonensium Episcopus dici debeat; fuisse tamen Lingonensium Apostolum, *id est primum in Christo præceptorem, adeoque eius Ecclesiæ parentem & protopastorem, quamuis Episcopali charactere non insignitum, egregiè docet Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis in tractatu contra Petro-Brusianos* vbi disertè inter primarios Galliæ Apostolos, sanctum Benignum cum socio Andochio annumerat, hâc verborum seriê *Sed vt de primis Gallię nostræ Apostolis aliquid plenius dicam, omnes Christiani populi, vestram insaniam irridentes certissimè tenent, quod Trophimus Arelati, Irenęus Lugduni, Crescens Viennę, Vrsinus Biturigis, Paulus Narbonę, Saturninus Tolosę, Austremonius Aruernis, Martialis Lemouicis, Burdegalæ & Pictauis; Fronto Petrogoris, Eutropius Xantonis, Gatianus Turonis, Iulianus Cenomanis, Parisijs Dionysius, Senonis Potentianus & Sauinianus, Belluaci Lucianus, Æduæ Andochius, Lingonis Benignus & quis omnes gloriosissimos fidei nostræ Patres & Apostolos enumerare sufficiat?* Hæc ille. Ex cuius sententia, sagaciter comprobatur fecisse Seuertius, qui Lingonensium Antistitum catalogum nuper contexens, huius Episcopatus auctorem, adeoque Episcoporum Lingonensium coryphæum & ducem ac verticem S. Benignum astruxit* inque sacri huius chori liminę collocauit. Idque non sine exemplo, nam Bellua-

* Sic Epaphroditus dictus est à S. Paulo Phil. 2. 25. *Philippensium Apostolus* quamquam propriè huius vrbis Episcopus haud fuerit: vt colligitur ex Hippolyti catalogo de 72. discipulis. Fuit igitur Philippensium Apostolus, hoc est primus Doctor, vt Chrysostom interpretatur.

* Extat in Bibliotheca Cluniacen. Col. 1160.

* Et ipsum quidem Apostolatum obeundo, Episcopalia munia aliquot exegisse, testatur Chronici Diuionensis auctor: cuius hęc sunt verba; *Per istam Galliam prædicando multos ad fidem Christi conuertit, & baptismatis eos vnda sanctificans, Ecclesias in aliquibus sacrauit locis, sacerdotesque*

censes etiamnum colunt sui vt Episcopatus auctorem S. Lucianum, & Tornacenses B. Piatonem, qui licet Episcopali non fuerint ordine decorati, Apostolico tamen munere apud hos populos functi, gloriosoque Martyrio defuncti, Ecclesias ipsas matrices fundauerunt, purpuráque proprij cruoris illustrantes, copiosâ sobole fidelium progenitâ, vberrimè fœcundârunt. Non igitur absque iniuria potest erecti Episcopatus vt instauratæ Ecclesiæ, sancto Benigno, qui Lingonensis noualis proscindendi primus prouinciam suscepit & dignè expleuit, denegari decus. Nam qui municipij Lingonensis Apostolus fuit, & Matrem & sobolem felici enixu procreauit: suoque labore & sudore cum pepererit ac collegerit oues, fecit itidem vt ouili regendo & fouendo, subinde Pastores præfici vicissim oporteret. Verùm hoc ad gloriæ cumulum S. Benigno obtigit, quod non solùm Lingonensium fuerit Apostolus à S. Polycarpo designatus; sed quasi Gallicanæ Ecclesiæ nutritius ac præcipuus post Apostolorum Christi discipulos delectus educator. Non enim solùm dux & antesignanus noui huius agminis, quod S. Polycarpus in subsidium Gallicum transcribebat, ab ipso renuntiatus est: sed insuper hac prærogatiua diuinitus honoratus, quod Apostolico munere (quod obeundum suscipiebat) Galliam, vberes fructus & perennes percepturam, diuino afflatus lumine S. ipse Polycarpus prædixerit: quandoquidem dum illum destinaret copiosa benedictione præmunitum, sic ad extremum admonuerit. *In latißima Galliarum regione regenerandum esse ipsius prædicatione populum substantiuum*: id est stabilem in vera fidei substantia,* & Christia-

& ministros ad diuinum cultum instituit. At hæc vix conciliari possunt cum Theologorũ placitis qui Ecclesiarum consecrationem & sacerdotum initiationem proprium Episcoporum munus esse ex sacris regulis docent ac astruũt. Mihi videtur sic verba Chronici cõmode explicari posse vt *Ecclesias sacrasse*, pro *benedixisse*, vel sacris officiis loca aliqua *deputasse*, puta oratoria cœmeteria intelligamus *Sacerdotes vero & ministros instituisse*, accipiamus, pro, iam ordinatos ab Apostolicis symmystis, Galliarum primitiuis Episcopis, sed nulli loco addictos, *certis locis constituisse*, plebisque specialis curæ præfecisse. Hæc enim presbyter ex commissione Pontificia exequi potest: qua præditum fuisse S. Benignum Apostolatu fungentem ex diuina monitione & S. Polycarpi delegatione consentaneum est credere. Vide Ioã. Cognatum in appendice de sancto Piatone quæ extat ad calcem lib 2. historiæ Christianæ vrbis & diœcesis Tornacensis. Et Azorium lib 3. instit. mor ca 48. & lib. 9. cap 4.

Ita habetur in S. Benigni hist. MSS.

* Hebr. 11. 1. *Fides est sperandarum substantia rerum* ad quem locũ respiciens S. Aug. serm. 38. de verbis Apost. *Nulla sunt* (ait) *maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, Catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmẽtat, Martyres coronat.*

næ pietatis copia prædiuitem: quod vaticinium si de Lingonensi populo strictè quis velit intelligere: rem liquet euentu ipso comprobatam, cùm vt superius intimatum est, populus ille præ nonnullis Galliæ, auitæ pietatis, ideoque religionis Apostolicæ studiosius & tenax, fidei incorruptam hæreditatem seruauerit, & ab ea quam à S. Benigno salutari doctrina semel suscepit, nec tantillum deflexerit. Si verò de vniuersa Gallia accipienda sit eiusmodi prædictio, perspicuum est, etiam mirificè fuisse adimpletam, cùm nulla sit alia gens sub cælo quæ vel fidem Christianam maiori desiderio susceperit, vel susceptam tenaciùs custodierit, studiosiùs coluerit, fortiùs propugnârit, impensiùs propagârit. Vnde dudum S. Hieronymus aduersus Vigilantium scribens orthodoxæ Galliæ præclarum hoc elogium appendit: *solam esse quæ monstra non habuerit.* Porro Gregorius directa Epistola ad Theodoricum & Theodobertum Francorum Reges, hoc etiam singulari præconio Galliam honorauit, *quod regnum hoc prę cęteris Deus fidei rectitudine decorârit, & integritate Christianę Religionis inter alias gentes fecerit esse conspicuum.* Et sponsor quidem ac exceptor repromissæ diuinitus huius benedictionis S. Polycarpi oraculo, fuit S. Benignus, cuius prædicatione Gallia Euangelicæ sementis copiosum suscepit incrementum. Quæ vt ipsi beato viro laus permaxima est, sic Lingonensis Ecclesiæ decus est præcipuum, quod ab eo Christi præcone nobilissimo fundata sit, qui non modo primarium Apostolorum auditorem magistrum habuerit; qui non tantum miraculorum splendore, & mira diuini eloquij gratia adeo præcelluerit; quique profuso cruore quod ore

Lib. 5. Ep. 58.

prædi-

prædicauerat, tam glorioso obsignârit agone, sed magis quod Apostolatu suo, Gallicanam Ecclesiam tot Apostolicorum syderum occasu desolatam, opportuno præsidio recreârit, egregiáque sua virtute & sanctimonia illustrârit, confirmârit, prouexerit; atque vt ita dicam, ex ephœbis eduxerit. Primus enim in Gallia Benignus prçclaro hoc facinore eluxit quod ipsos pueros ad prælium pro fide tuenda armauerit: priusque ex suo grege valuerit efformare *Martyres*, quàm alij Ecclesiarum Apostoli ex ipsarum gremio *Confessores*. Et tanto quidem parente Lingonensis Ecclesia non solum potest meritò gloriari, sed ipsa, iure quasi suo decus eximium sibi vendicare potest: quod sola sit in Ecclesiis Galliæ quæ sobolis pio cruore ante fuerit tincta, quàm parentis suo in agro occũbentis sanguine *purpurata* Siquidem prius in vrbis meditulio Tergemini Martyres pugnantes pro Christo coronati sunt: quàm extra decertans, Benignus Diuione, vbi adductus fuit agonem gloriosum adoriretur.

NOTA.

Itidem.

HINC igitur promanauit ipsius Ecclesiæ Lingonensis decus & gloria: quæ miris succedente tempore adaucta est incrementis. Cùm enim, postquam ciuitas ipsa & circumuicina loca ab idolorum cultu ad fidem Christi piâ Episcoporum, qui illic mox inter persecutionis turbines præsidere visi sunt, curâ, reuocata fuissent, horum incolæ purissimi cultus officiis Domino deseruirent: inde factum est vt erectis vndique Ecclesiis; illa matrix omnium censeretur, amplissimæque Diœcesis, quæ 800. Parœcias continet, princeps, omnium consensu haberetur, eximiísque sensim cumularetur ornamentis. Ob

P

quæ decora Petrus Venerabilis, qui eam ſuo æuo inter Galliæ primores ſedes florentem cominus conſpexit, breui complexus elogio, eamdem prędicabat, *nobilem, magnam & famoſam Eccleſiam.* Et rectè quidem ac verè. Nam cùm nobilitas priuata, quædam laus ſit veniens ex parentum meritis, (ait Boëtius lib. 3. de conſol. Philoſ. proſ. 6.) ſitque ex ſe quædam maiorum claritas: (etenim attenditur ſecundùm generis virtutem & dignitatem:) nobilitas verò publica ſiue gentis ſiue ciuitatis, ſecundùm Philoſophum, id maximè ſibi vendicet, ciues ipſos indigenas ac vetuſtiſſimos eſſe, & primos duces ex eadem ciuitate illuſtres multos & præclaros, in rebus quæ expetuntur prodijſſe, *lib.* 1. *Rhetor. ad Theodect. ca.* 5. Certè & Eccleſiæ, & ciuitatis Lingonenſis nobilitas eximia eſt; cùm & antiquiſſima eiuſmodi origine (vt liquidò declaratum eſt) vtrimque polleat; & maiorum virtute ac rectè factorum celebritate meritò affatimque glorietur. Aſt Eccleſiæ quia cauſam potiſſimum exſequimur, dignitatem vt copioſius prædicemus, ad eius laudis coronidem adijcere iuuat, quod non tantùm Apoſtolicis auſpiciis fuerit inchoata, parente planè Apoſtolico edita; Martyrum indigenarum ſanguine conſecrata: ſed inſuper (quia nobilitas publica ex ducum præſtantiſſimorum numero ac fama elicitur) ſanctorum meritis plurimorum illuſtrata, Antiſtitum in omni laude celebrium virtutibus exornata, Cleri denique ampliſſimi religione ac ſanctimonia, plebiſque eximia pietate & deuotione, admodum ſit conſpicua & inſignis.

Lib 1. Epiſt. 36. *Rogati,* inquit, *rogamus* (Innocentius PP. II. alloquitur) *vt paterna pietas nobilis filiæ preces exaudiat: & eam eligendi libertatem quam minoris nominis, inferioris dignitatis Epiſcopatus, Abbatia, canonico & cõmuni iure obtinens, NOBILI, MAGNÆ, FAMOSÆ LINGONENSI ECCLESIÆ conſeruari iubeat.*

Laus Eccleſiæ Lingonenſis præclara & copioſa.

Et de Sanctorum quidem gloria, qua inter multas Galliæ Eccleſias altè ac latè promicat Eccleſia Lin-

gonensis, loci non est huius profusè differere, cùm cuiusque eorum præclara facinora & merita iustæ sibi seriem vendicet historiæ. Sat fuerit indicem eorum texere & subiicere, quibus quàm ferax solum fuerit, stirpium cælestium ipsa Ecclesia, facilè sit vel vnico percipere oculi coniectu. Igitur cùm in vrbe illa, tum in Diœcesi Sancti floruerunt perplures, quorum nomina retinet & coronas veneratur annuis sacris Catholica Ecclesia. Horum verò hæc est series.

I. BENIGNVS Presbyter & Martyr de quo supra, S. Polycarpi, B. Ioannis Euangelistæ auditoris & præcipui Symmystæ, discipulus, Lingonensium totiusque Burgundiæ Apostolus: qui

Flumine purpureo nostros Pater imbuit agros;
Hinc creuit cælo tam numerosa seges.

II. Pseusippus, Eleusippus & Meleusippus fratres, * à B. Benigno edocti, baptisati, & inflammati, cum Leonilla auia, & Iouilla matre: ac Neone certaminis eorum exceptore passi sub M. Aurelio die 17. Ianuarij, quo sacris dipthycis inscripti ab Ecclesia recoluntur. Turbo autem qui codicem eorumdem passionis ipso tradente Neone accepit, eiusdem trophæi particeps, propriò colitur natali die 19. Septemb. ex Maurolyco.

III. S. Desiderius ** natione Ligur, diuina designatione creatus Episcopus Lingonensis; qui post Ecclesiam feliciter administratam, senex, irruptione Vvandalorum cum multis fidelibus an. 407. obtruncatus: pastorale nomen auxit insignis Martyrij palma, miraculorum quoque fulgore in tumulo illustris: cuius natalem colit vniuersalis Ecclesia decimo Kalend. Iunij, hoc sub elogio ascriptum Marty-

* Horum Martyrum gesta olim congesta à Neone oculato teste, quidam Monachus Vvariharius recēsuit, politiorique lima exculta transmisit ad Ceranum Parisiensem Episcopum, quem studium colligendi Sanctorum Galliæ Martyrum acta feruens inuaserat, vti ipse Vvariharius in prœmio istorum passionis Martyrum cōmemorat: quo alloquens ipsummet Cerannū zelum eius sic cōmēdat piissimum. *Nunc sanctorum Martyrum gesta ad laudu tua cumulū. pro amore religionis congregare in vrbe Parisiaca deuotus intendis. Vnde sancto Eusebio Cæsariensi* (qui Martyrologium primus cōtexuit) *in æmulationis studio coæquandus es, & pari gloria dono perpetualiter memorandus.*

** Huius trophæi encomium perstat in passione S. Antidij Vesontione rythmice scripta in veteri codice MSS. Metropolitanæ Ecclesiæ. Sic enim ibi legitur cap. 7. *Burgundionum ergo inuadentes confinia, suâ nimis inualescente ferociâ, omniū fere Ecclesiar-*

rologio Rom. *Apud Lingones in Gallia paßio S. Desiderij Episcopi qui cùm plebem suam ab exercitu Vvandalorum vexari cerneret, ad Regem eorum pro ea supplicaturus accesit, à quo statim iugulari iussus pro ouibus sibi creditis ceruicem libenter extendit, & percussus gladio, migrauit ad Christum. Paßi sunt autem cum eo & alij plures de numero gregis sui, qui apud eamdem vrbem conditi sunt.* Hunc & Mediolanensis Ecclesia colit solemni natalitio, præsignata die, prout Ioseph Ripamontius testis est lib. 6. histor. Ecclesiæ ipsius Mediolanensis sub Simpliciano Archiepiscopo S. Ambrosij successore.

IIII. S. Valerius eiusdẽ S. Desiderij Archidiaconus, * qui eadem persecutione, memorabili pro Christo agone, apud portum Buxinum, coronatus est 22. Octob. In cuius vici condita, in aceruum testimonii, Ecclesia, requiescit, & colitur ipso passionis die *Chifflet. in Vesont. part. 2. num.* 13. §. 5. & *Robert. in serie Episcoporum Ling. num.* 3. vbi refert sic de eo scriptum in Martyrologio Vesontionensi 10. *Kalend. Nouemb. Apud portum Buxinum in territorio Bisuntinensi, paßio sancti Valerij Lingonensis Ecclesiæ Archidiaconi.* Cuius elogium vberius expressum legimus in fragmento veteris Martyrologii Lingonensis MSS. hac scilicet non spernenda epigraphe. *XI. Kal. Nouemb. Paßio sancti Valerij, qui Lingonicæ fuit vrbis indigena, clarißimis parentibus & Patriciæ generositatis stemmate fulgentibus generatus: eum Archidiaconum fecit Antistes Desiderius. Quiquidem persecutionem Vvandalorum fugiens, cum alijs iter Sequanicum ingressus, ad Alpium Iuriensium partes tendebat, ibique aliquantum temporis, dum vis persecutionis deferuesceret exacturus, inde vergens quo cœperat itinere, peruenit ad locum quem haud à longè positum ex antiquo incolæ*

rum strauerunt ædificia: Christianos quoque sua spernentes imperia, pœna ditarunt vltima. Insaniebant in eos sauiori vesania quos maiori cernebant vigere constãtia, inuictasque nitentes turres subuertere hostiliori dimicabant certamine. Vnde factum est vt Beatum Desiderium Lingonensem Antistitem, virẽtem ac fructiferum vitis dominicæ palmitẽ, quia brutis eorum noluit obedire præstigiis, numinibus scilicet vt litaret vanißimis, mucronis ictu, ceruices nudarent intimus. Memorabilem necnon & Valerium, eiusdem doctoris eximij dispositum, quem ad Archileuita delegerat officium (à prophanis eò quod omnino ritibus distulit animum, multimodis cruciatibus distortum, cælestis militia tironibus reddidere consocium.

* Hunc Christi pugilem perillustrem Sigebert in Chronico *Vincentium* perperam inscribit: sic enim habet sub an. 411. *Sub hoc turbine inter multos martyrizantur, &c. Desiderius Lingonensis cum Vincentio Archidiacono.* At Valerium constanter nominatũ

appellant portum Buxinum, vbi ab hostibus capite truncatur visô priùs Angelô stolam offerente, Honorio Theodosij majoris filio, cum Theodosio minore, rerum potente.

V. Sequanus Presbyter Confessor, cuius merita prædicat S. Gregorius Turon. lib. de glo. Confess. ca. 88. notatur ab Vsuardo in Martyrologio die 19. Septemb. ex quo in suum transcripsit Galesinius eadem die.

VI. Vrbanus Episcopus, de quo sic scribit idem Galesinius ex antiq. tab. 4. Non. April. *Apud Lingonas S. Vrbani Episcopi & Confessoris virtutum splendore clarissimi*: de eodem Molanus in addit. ad Vsuard. hâc seriê. *Eadem die Lingonis S. Vrbani Episcopi & Confessoris magnarum virtutum viri, qui vineas precibus suis conseruauit.* Vnde idem docet cur cum vua pingatur lib. de picturis & imaginib. Sanctorum cap. 64 Recensetur etiam in nouo Martyrologio Rom. signata die. Verumtamen notatur eius festum & officium in Breuiario Lingonensi die 23. Ianuarii sub 9. lect. ritu.

VII. * S. Gregorius Episcopus, qui ex primis Senatoribus ortus, aulam Theodorici Francorum Regis secutus, primùm apud Augustodunum Comitis iuridico munere summa virtutum laude functus est. Ex quo, vt alter Ambrosius, ad Episcopatum assumptus ipso die consecrationis suæ signo crucis energumenos sanauit, toto verò Episcopatu maxima religione ac sanctimonia commisso sibi gregi præluxit. Corpus S. Benigni Martyris Burgundiæ Apostoli in Basilicam à se constructam honorificè transtulit. Cùm autem nonnullis Gallicis Concilijs tuendæ pietatis & disciplinæ causâ interfuisset, Ecclesiam suam magna virtutum gloria annos 40. gubernasset, ieiu-

produnt, prisca omnia monimenta. Fit de eo festum annuale in Ecclesia Lingon ipso die natali.

Plura quam de eo prodita passim leguntur, habemus in cod. Mss congesta. Fit autem de eo in Ecclesia Lingon. sub ritu 9. lect.

* Hic prætermisimus de industria Apronculum quem titulo sanctitatis commemorans decorat, S Greg Turonius lib. 2. hist. c 23. in fine: quoniam ad Aruernos (ob Gothorum, quibus exosus erat ob affectum in Francos, persecutionem) transmigrauit. Ad quem extat epistola Sydonij Apoll. lib 9. num. 10 qui eum sibi ob sanctimoniam spectatam successorem delegit.

niis & vigiliis ac orationibus assiduus, humilitate admirabilis, charitate in pauperes insignis, miraculis clarus, fidelis seruus ad præmium euocatus, exuta mortalitate, stolam gloriæ & vitæ æternæ coronam à Domino recepit. Cuius beatam memoriam sacris tabulis inscriptam, vbique colit Ecclesia prid. non. Ianuarij, & iterum Lingonis 8. id. Nouemb. Eius autem admiranda gesta luculenter Gregor. Turon. in vitis Patrum descripsit. * Fortunatus autem Pictauiensis Episcopus insigni epitaphio merita eius gloriosa complexus est.

* Idem eiusdem meminit lib. 3 Hist. Franc. c. 15. & 19.

VIII. Hilarius Senator & Confessor, vxoratus, cuius in domo illud Apostolicum *honorabile connubium & thorus immaculatus*, Gregor. Turon. scribit fuisse impletum: castitate atque omni puritate, tam animi quam corporis emicuit: vnde miraculo insigni post obitum clarificari promeruit. Idem Gregor. de gloria Confess. ca. 42. Hic in Diœcesi apud Diuionem cum vxore sancta Quieta sepultus * statum tamen illic non habet commemorationis diem.

Heb. 13. 4.

* De piis his coniugibus in S. Benigni mausolæo cōsepultis hæc notata reperimus in Chronico Diuionensi Mss. *Ex altera vero parte sepulchri sancti Martyris Benigni* (nempe ad læuam) *iuxta S. Eustadium sepulchrum fuit S. Hilarij Senatoris coniugisque eius sancta Quieta. Hi fuerunt progenitores supra memorati S. Ioannis Abbatis Reomensis*, qui sacris Ecclesiæ tabulis ascriptus colitur 5. Kal. Feb.

IX. Sanctarum insuper Virginum Floridæ & Paschasiæ, quæ vt lilia odorifera eodem solo floruerunt, circa eadem tempora, ipsemet Gregorius commeminit eodem lib. c. 44. vbi Floridam quidem Virginitatis propositum & habitum eximiæ religionis decore excoluisse prodit: Paschasiam verò tam puram transegisse vitam; vt post obitum etiam mira eius sanctitas cælitus eluxerit. *Hæc*, inquit, *fertur adparuisse structoribus basilicæ S. Benigni Martyris, hortans vt opus cœptum insisterent, scirentque se Martyris adiutorio adiuuari. Quæ in basilicam suam regressa nusquam comparuit.* At fugit pium hunc scriptorem, Martyrij ipsius san-

ctæ Paschasiæ gloriosissimi notitiâ : quam ex apographo S. Benigni Chronico adepti sumus. Hoc enim vitæ & agonis ibi comperimus aureis quod exararetur apicibus, perdignum elogium, fol. 126. b. *Hæc Virgo & Martyr à S. Benigno edocta & baptizata post eius Martyrium sæuitate Paganorum rapta est ad supplicium. Quódque immobilis in fide Christi persisteret, primo carceris afflicta squalore, postea pro confessione deitatis, sententia fuit multata capitali, vt quædam vitrea antiquitus facta & vsque ad nostra perducta tempora, eleganti demonstrabat pictura.* Hæc auctor Chronici qui circa annum salutis 1026. claruit. Idem vero fol. 4. apertè prodit quo Martyrij genere sancta hæc Virgo fuerit coronata. *Iuxtáque illam criptam* (in qua à S. Leonilla, S. Benignus sepultus fuit) *iacuit sancta Paschasia & ipsa Martyrio per ignem consummata.* Quæ annotamenta operæ pretium hîc voluimus insuere, ne gemma hæc pretiosa sub cinere amplius delitesceret, sed suis fulgoribus rutila sese proderet, Sanctorum Galliæ splendoribus vtriúsque palmæ decore, gloriam non modicam, addituram.

X. S. Hariolphus eiusdem sedis 32. Antistes & Confessor, qui aliquot annis Episcopali munere diuinè perfunctus, vitæ solitariæ amore Episcopatu cedens, eremum petiit, vbi miræ sanctitatis florens odore, multos ad sui amorem & exemplum traxit, hosque vt in proposito contineret, religioso cœtu instituto, Monasterium Eluuangense construxit,* quod diù summa pietate rexit, tandémque præceptorum Euangelicorum cursu confecto, meritis cumulatus eximiis, abiit ad Dominum, *id. Augusti,* qua die in Martyrologio Monastico felix eius depo-

* In Codice inscripto, *de omnibus Germaniæ Episcopatibus* sub Moguntiæ Metropoli Monasteriũ illud recensetur, dicitúrque Elefancense cœnobium. Sic enim ibi notatum reperi, in Augustanorum præsulum serie n. 9. *Sanctus Victerbus aliis Victerpus primum Monachus ac Mona-*

fitio indicitur recolenda.

XI. S. Ceolfridus Abbas & Confessor, cuius venerabilis Beda qui sub ipso floruit sanctissimam vitam proprio tractatu complexus est. Huius sacræ memoriæ Ioannes Trithemius lib. 3. de viris illustribus ord. S. Benedicti c 154. hoc breue elogium attexuit. *Ceolfridus Abbas Monasterij sanctorum Petri & Pauli in Anglia post Benedictum; sub quo Beda toto notus in orbe, multa volumina scripsit: vir doctus & Monastica religione venerabilis, cùm esset annorum 74. causa deuotionis Romam venit: qui vbi in redeundo Lingonas peruenit, ibi defunctus est, atque in Ecclesia beatorum Martyrum geminorum sepultus, anno Domini 717. Presbyteratus 44. Abbatialis officij 25.* Molanus in add. ad Vsuard. nomen eius venerandum apposuit, notátque migrasse ad cælum 7. Kal. Octob. qua die etiam in Martyrologio Benedictino memoratur.

XII. S. Bernardus vir planè Apostolicus sæculi sui decus, Ecclesiæ Gallicanæ sol lucidissimus, vniuersalis & clypeus & gladius, Abbas I. Claræuallensis, Fontanis, paterno solo in Burgundia natus, territorio Lingonensi; constructô præmemorato Cœnobiô in eadem Diœcesi, non longè ab Alba fluuio: ibidem transactô tandem vitæ admirabilis decursû, fœliciter conquieuit: vnde sic in Martyrologio natalis eius prefigitur. *XIII. Cal. Septemb. in territorio Lingonensi depositio S. Bernardi primi Claraualensis Abbatis, vitâ, doctrina & miraculis gloriosi.* Nec enim plura de eo scribi complacuit: quoniam talis ac tantus fuit*, vt minimè ad eius laudem sit, quidquid ab homine dici potest.

Cæterum & Galesinius in notis ad Martyrologium Romanum

chorum Pædagogus postea Abbas Elefancensis cœnobij ab Hariolfo quondam Lingonensi Episcopo fundati, eligitur tãdem in Augustanum Episcopum à Rege Galliarum Pipino. Vnde habes quo Vionium corrigas scribentem lib. 2. ligni vitæ ca. 46. S Hariolfum, quem constat ante Victerbum floruisse, à Carolo Magno Abbatem huius asceterij constitutum; atque hinc ad Episcopatum prouectum; cum diu ante Caroli principatum pedum Episcopale dimiserit, tiaráque deposita tesseram monachicam induens, hoc Monasterium in vastæ solitudinis loco extruxerit, vbi exactô fæliciter mortalis vitæ decursû, optato fine quiescens, prædilectum discipulum Victerbum sacri quem collegerat cœtus reliquit pro se ductorem.

* In vita S. Guilielmi Ducis Aquitaniæ & Pictauorum Comitis à Theobaldo Episcopo conscripta ca. 2. Laus hæc sancto Bernardo eximia appenditur. *Spiritus sancti consilio ad regimen domus Claraualensis*

Romanum XVI. Kal. Febr. ſuggerit recolendam, Senatoris, quem primum poſt B. Benignum Paſtorem Lingonenſes habuerunt omni veneratione ſanctitatem. Hunc enim Apoſtolicum virum appellat, à quo in fidei doctrina (certè poſt S. Benigni triumphum) Lingonenſem plebem commemorat plenè inſtitutam: Et verò quotquot hactenus prodierunt ſedis huius Epiſcoporum indices, Senatorem primo loco conſtituunt, ſed nudô nominê ſine vlla ſanctitatis aut geſtorum annotatione. Quod contigiſſe reputat Robertus, non illius meritorum defectu, ſed præclarè ab eo geſtorum inſcitiâ. Quæ licet effecerit vt apud homines non eo quo demeruit honore, eius memoria coleretur: non tamen apud Deum gloriam qua dignè fruitur imminuere poteſt. Nec huius modò ſanctiſſimi Antiſtitis virtus & felicitas, quæ Deo nota eſt, obſcura apud mortales hodie habetur; ſed & aliorum plurimorum ſanctorum Lingonenſium, * quorum numerum & nomina ſolius Dei ſapientia nouit: vitæque libro inſcripta tenet, die quo aperietur liber ille ſummo honore promulganda.

Abbas eſt Bernardus ordinatus, qui in tãtum vita, virtutibus & doctrina clarus effulſit, vt nullus ei in orbe ſecundus exiſteret, ingenio, moribus, ore, ſtylo & virtutibus. Inſerta eſt vitis Patrum occidentis lib. 3.

* Ne tædium lectori ingererem indicem omnium eorum qui etiamnum clari ſunt, nolui fuſiorem texere. In his verò non poſtremo loco digni erant S. Ioannes Abbas Reomenſis, SS. Euſtadius, Tranquillus, & Vuilelmus S. Benigni Abbates: necnon ſanctus Ebbo Archiepiſcopus Senonenſis, qui è Lingonenſi agro, flos præſulum illibatus prodiit; cuius elogium breui hac epigraphe conſertum Robertus Monachus Antiſſiodorenſis affixit Chronico ſuo ſub ann. 700. *Gerico verò ſucceſſit ſanctus Ebbo eiuſdem Gerici nepos. Hic cùm parentibus orbatus eſſet eique caſtrum Tornodorum hæreditario iure competeret, Senonis latenter fugit, ibique in Monaſterio S. Petri Viui diu Chriſto ſub Abbatis Imperio militauit. Cuius loci poſtmodum Abbas factus & inde ad Pontificatum promotus, tam ſignis effulſit quam meritis.* Eiuſdem cum præconio meminit Aimoinus lib. 4. de geſtis Franc. ca. 55. Faſtos habet proprios Senonis 6. Cal. Septemb. ſub 9. lect. ritu. Quibus proditur, Angelico cum prænuntio pijs à parentibus progenitus. Eluxit inſuper Lingonibus B. Tetricus S. Gregorij filius præſtanti virtute ac conſpicua pietate Antiſtes, cuius decora cecinit Fortunat. lib. 4. ca. 3. quem & S. Gregor. Turon. cum dignæ laudis præconio commemorat, lib. 4. cap. 17. lib. 5. c. 5. hiſt. Francorum. Effloruit & in gremio Eccleſiæ Lingonenſis B. Martha Virgo Sanctimonialis, S. Amatori Antiſſiodorenſi Epiſcopo olim deſponſata: de qua hæc notatu digna obſeruauimus, in fragmento codicis peruetuſti, quæ quia hactenus incomperta ſunt, conſentaneum duximus hîc in ſacræ virginitatis monimentum retexere. *Kal. Maij S. Amatoris. Huius Pater Prodiclius, mater Eſiciola, de numero procerum Eduenſium procreata. Inſtructus à Valeriano loci præſule; at à parentibus ei deſponſata fuit virguncula Martha nomine, ex oppido Lingonicæ ciuitatis, celeberrimis atque famoſiſſimis parentibus edita. Cum Valerianus bono coniugali effundere preces vellet, ſacro ſponſos Leuitarum dedicauit officio. Illi alternatim ſe præceptis Dominicis fouentibus, atque exemplis ſua radices dilatantibus perſeuerantia, inuſitatus odor in medio eorum flagrauit. His intempeſta nocte Angelus apparuit cum duplici ſerto. Multis deinde editis miraculis Amator fit Epiſcopus. Martha Deo ſacrata puella, in agro degit, cui nomen Ariaco parentum quondam ſuorum ſubiacens dominio, ibique*

nondum ægrotans purißimum spiritũ Deo tradidit coronandum. Cuius corpus reuerentißimus Amator multis secum comitantibus populis diligentißime redimitum collegit, & iuxta Victricum in conspectu ciuitatis tumulauit. Denique Amator monitus diei mortis à Deo, conuerso Germano illustrißimo viro, eumque fore Episcopum pollicitus, prouehitur in Ecclesiam & ibi Pontificalem thronum ascendens feria 6. hora diei 3 emisit spiritum, quem videntibus multis chorus sanctorum in specie columbæ cum laudibus & hymnis vehebat ad cælum: sepelitur iuxta tumulum reuerentißimæ Marthæ vxoris. Hæc ibi, quæ honor Lingonensis Ecclesiæ è cuius hortulo, alterum horum liliorum prodiit, non permisit silentio comprimere.

INTERIM verò est cur plurimùm exultet Ecclesia Lingonensis, totque præsidiis fulta, tot gemmis ornata, tot syderibus illustrata, caput attollat & in immensum glorietur. Non enim maiora potest laudis & honoris sibi prædicamenta ascribere, quàm quæ ex sanctorum suorum adepta est meritis & immortali benedictáque memoria. Hîc enim possum Lingonenses iisdem vocibus quibus olim Antiochenos affatus est S. Chrysostomus(hom. 18.) aptè & congruè interpellare. *Discite quid sit ciuitatis dignitas: quod si habitatores ipsam non prodiderint, auferre poterit alius nemo ipsius ciuitatis dignitatem. Non quod Metropolis sit, neque quod habeat ædificiorum magnificentiam & ornatum, neque quod multas habeat columnas & porticus & deambulationes, neque quod ante alias ciuitates prædicetur. Sed inhabitantium virtus & pietas, hæc est ciuitatis dignitas & ornatus & tutela.* Porrò huc vsque tot sanctorum auspiciis præmunita & suffulta ciuitas ac Ecclesia Lingonensis, decus illud quod ipsorum meritis cælesti beneficio assecuta est non perdidit; sed integrum & illibatum conseruauit: quoniam fidem sanctorum constanter retinuit, memoriamque ipsorum suorum tutelarium eximio semper amore complexa & honore maximo prosecuta est. Ea enim Ecclesia (quæ Cleri & populi egregia laus est) vt lilium perenniter florens vigorem & odorem suum semper retinuit, eiusque fidei candorem ne minima quidem hæresis macula vnquam deturpauit, religionis porro integritatem nunquam impietas labefactare potuit.

QVAMQVAM verò ea maxima sit gloria Ecclesiæ Lingonensis non ementita, non emendicata; sed vera & natiua, vt quæ à rei ipsa origine promaneat & ab

ipſo vt ita dicam defluat fonte. Non tamen hoc ſolùm nomine dici poteſt ipſa Lingonenſis Eccleſia nobilis, quod tot Martyrum palmis & triumphis illuſtrata, tot aliorum Sanctorum ſpoliis, meritis & coronis honorata ſit: ſed etiam quod ex ipſorum Sanctorum opitulatione, amore, recordatione & cultu, tot aliis dotibus ac prærogatiuis ditata & inſignita magnificè eniteat. Et verò Philoſophus etſi docuerit, nobilitatem ipſam, eſſe Maiorum claritatem & ſplendorem: hoc tamen decore non perfectam eſſe cenſuit: quamobrem lib. 5. Reipub. cenſet, *hos nobiles demum videri in quibus Maiorum virtus ineſt & copiæ.* Eccleſia igitur Lingonenſis perfecta nobilitate gaudere ac pollere cenſenda eſt; quæ non Sanctorum tantùm memoriam colit, fidem ſeruat, pignora cuſtodit, præſidiis exultat: ſed quæ ipſorum inſuper meritis tot opes, tot dotes, tot decora eſt ſuperno beneficio conſecuta: vt vix ſit in Galliis Eccleſia, quæ maioribus potiatur diuitiarum cumulis, ac inſignioribus fulgeat honoris & gloriæ ornamentis.

MAGNAM quidem & ideo famoſam Petrus Cluniacenſis hanc Eccleſiam appellat: at quam magnam prædicat, iure maximam reputaueris, ſi Diœceſis latitudinem, ſi Cleri amplitudinem, ſi dotis copiam, & prærogatiuarum congeriem quibus illa patet, pollet, affluit, & promicat, æqua lance penſaueris & digna tecum contuleris exiſtimatione. I. Diœceſis Lingonenſis ſuo ſinu & ambitu 800. Eccleſias Parœciales complectitur, Abbatias triginta duas, fundatione, cenſu & ſumptuoſa ædificii ſtructura inſignes, Prioratus 90. minorum Canonicorum 16. ſodalitia, Xenodochia, Ptochotrophia & Noſochomia 50. ſa-

Lib. 2. Epiſt. 36. ad Innoc. 2.

cella seu minora sacraria ferè innumera. II. At Ecclesia ipsa Cathedralis quæ omnibus his præsidet, vt dignitate & auctoritate, sic etiam longè præstat sacri ordinis eminentia ac splendore. Nam principem Episcopum habet, inter Gallicanos Hierarchas imò & Dynastas multis prærogatiuis per illustrem, Senatum quoque Ecclesiasticum, admodum copiosum & spectabilem: 52. maioribus Canonicis constantem; Decano, & 6. Archidiaconis, quibus vti firmis columinibus innixa, & sub vno capite optimè & decenter composita, tota hæc amplissima Hierarchia exsurgit, floret & subsistit, Deo deuota, Principi fidelis, populo piè officiosa, hostibus denique fidei *Terribilis vt* Cant. 6.9. *castrorum acies ordinata.* III. Quanto verò censu & qua facultatum copia, decorum Ecclesiastici honoris, Clerus ille amplissimus & religiosissimus fultus retineat ac tueatur; egentibus ac miseris hominibus affatim vt facit in dies opituletur; Ecclesiarum ornamento ac fulcimento prospiciat, sacra iura iugiter propugnet, & onera quę incumbunt multiplicia atque grauissima sustineat, negotiáq; quæ quotidie ingruunt varia discutiat, procuret ac dirimat; opus non est hîc exprimere: quando hæc omnia nonnisi magnis sumptibus præstari possint & tolerari. Certè à capite corporis est proportio metienda. Episcopus Lingonensis qui totius Cleri est vertex, quando suæ promotionis Apostolica diplomata impetrat, pro annuo vectigali vacui sacerdotii Cameræ Pontificiæ pendit florenos 8000. qui adeo ingens est pecuniæ numerus, vt vix alius sit in Gallia Præsul, qui maiori, pro eiusmodi iuris pensione, defungatur. IIII. Gloria verò & splendor huius Ecclesiæ, eius opulentiam & am-

plitudinem non tantùm adæquat sed exsuperat. Nam tot prærogatiuis ornata est, vt nihil illi dignitatis & magnificentiæ deesse fateatis, siue Ecclesiasticas dotes consideres, siue honorum ciuilium præstantiam velis circumspicere. Etenim Ecclesia Lingonensis est primæ Galliarum Metropolis dignior suffraganea,* & ferè collateralis: cuius Antistites sic in Synodicis consessibus Metropolitæ suo gradu & ordine cedit, vt ipsum etiam ordine antiquiorem, (nisi in Ecclesiæ cardine positus, sacra purpura coruscus eniteat) & in Parlamentari Senatu, & in ipsa Christianissimi Regis inauguratione; sede & honore ex recepto vsu & pridem vindicato iure antecedat. Hinc est quod licet Æduensis Episcopus qui, quòd demortuô Archiepiscopô Lugdunensi, vices illius obeat, & primatialis Ecclesiæ gubernacula moderetur; pallio,* priscis sæculis, à sede Apostolica decorari consueuerat; tamen se honore & cæteris dotibus Lingonensi adeo inferiorem esse crediderit, vt de Æduensi præsulatu ad Lingonensem aliquando transire concupierit: ratus nimirum se hac commigratione nonnihil promoueri, sed de sede demissiore ad solium sublimius & magis conspicuum ac honorificum conscendere iudicauerit. Vnde anno 1442. sedê Lingonensi suo Præsule viduatâ, Ioannes de Arceio qui è Mimatensi Ecclesia ad Æduensem transmeauerat; se iterum de Ecclesia Æduensi ad Lingonensem curauit & impetrauit, Apostolica auctoritate transferri, hôcque potitus honore quieuit: vt eius epitaphium indicat eius tumulo insculptum in S. Mamantis intimo Presbyterio. Nec hoc inconsultè ab eo factum putes: nam Ecclesia Lingonensis Æduensi, imò om-

* Hinc Petrus Cellensis libri 2. ep. 13. *Et quis ego? & quid ego? Præcipuè comparatione tanta: Archiepiscopi scilicet Lugdunensis, Episcoporum quoque Lingonensis & Augustodunensis.* Vbi etiam dum de horum præsulum eminentia agit proximum Archiepiscopo Lugdunensi, vt nobiliorem suffraganeum, Episcopum Lingonensem constituit: cui Augustodunẽsem postponit, vt minus spectabilem.

* Id colligitur ex lect. 5. officij S. Gregorij Papæ in Breui. Rom. die 12. Martij.

Cuius priuilegij concessio memoratur in peruetusto codice Mst. decreta S. Gregorij sub 118. titulis complectenti titulo 77 quem codicem in manibus habeo. Cæterùm, priuilegium eiusmodi dudum exoleuit: solusque est in Gallia Aniciensis Episcopus qui nulli Metropolitæ subest, at immediate a Sede Apostolica dependet, iure potiendi pallio etiamnum conspicuus, ex Vrbani 2. indulto, à sequacibus Pontificibus confirmato.

nibus pene Gallicis, ſi Remenſem exceperis, honorum ciuilium gradibus & dignitatum ſæcularium prærogatiuis longè antecellit. Ducatum enim annexum habet nobiliſſimum & Patriciatum Franciæ, inter cæteros ſacri ordinis Pariatus inſignem, * atque adeo poſt Remenſem, primarium. Cùm enim ferè ab exordio Franco-Gallicæ Monarchiæ, duodecim viri principes delecti ſint, qui Regi primores conſiliarij, cùm iudiciis decernendis, tùm negotiis publicis ſub eo exequendis, * ex dignitatis officio incumberent, quorum ſex; vt aiunt, Clerici, ſexque itidem Laici cenſerentur: ex Eccleſiaſticis Galliarum proceribus, ſex qui hac prærogatiua potirentur deſtinati ſunt, nempe Archiepiſcopus & Dux Remenſis, Epiſcopus & Dux Lingonenſis, Epiſcopus & Dux Laudunenſis; Epiſcopus & Comes Belluacenſis, Epiſcopus & Comes Nouiomenſis, necnon Catalaunenſis itidem Præſul & Comes. Totidem vero Duces, & Comites è regni primoribus Dynaſtis, hoc honore prouecti ſunt, quorum nil iuuat hîc indicem omnibus notum texere: maximè cùm in Regij ſanguinis gratiam loco & numero frequenter variârint: cùm Clerici qui dicuntur, nec numerum mutauerint nec ſedem. Non enim in Præſulum fauorem, qui hæc dum inſtitutio fieret, Eccleſiis præerant, decus illud his ſedibus impertitum eſt: ſed magis in Eccleſiarum gratiam, adque ampliorem earumdem decorationem. Quamobrem prærogatiua illa perſonalis non eſt, ſed realis: nam qui ea dignitate Antiſtes præeminet, non iure ſuo hac fruitur, ſed Eccleſiæ cuius ſponſus eſt nomine & proprietate. Palam eſt autem eamdem eſſe rationem de Ducatu, Epiſcopa-

* Etenim in ſolemni Regis Chriſtianiſſimi inauguratione, hâc ſacros inter Patricios prærogatiua eminet Epiſcopus Lingonenſis, quòd Regium defert ſceptrum, Regique poſt benedictionē gerendum tradit: ſupremæ ſcilicet indicium poteſtatis, vt corona ſummæ eſt inter mortalis dignitatis ac maieſtatis, ſignaculum. Ordo conſecrat. ſeu Coron. Regis, cuius ritum & ſacræ ampullæ encomium vbertim expreſſum habes ab Hub. Moro Pariſienſi Theologo & Remēſi Eccleſiaſte libris 3. de ſacris Vnctionibus Pariſiis excuſis apud Guilelm. Bichonium, anno 1593.

* Cōtinuator Gregorij Turon. necnon Aimoinus lib. 4. de Geſtis Francorum c. 12. At profusè de Parium Franciæ inſtitutione, numero, munere & honore nō ita diu tractauerūt Choppin. lib. 3. de Domanio titulo 7. Hotomanus ca. 14. Franco galliæ. Pithoeus lib. 1 de Comitibus Campaniæ. Paſchaſius lib. 2. diſquiſitionū Franciæ ca. 8. & 9. Tillius lib. 2. collectionum, Vignerius in Chronico

li etiam Cathedræ annexo, vel alio quouis Dominio & ſacro patrimonio pedo Paſtorali copulato. Huius ſiquidem Epiſcopus poſſeſſor eſt, non autem fundi Dominus, nec enim rem ipſam iure mancipi obtinet, ſed illius duntaxat vſuarius eſt, vnde hoc titulo & vſu potitur, quamdiù duntaxat nexus perdurat quo ſuæ Eccleſiæ deuincitur. Nam ſi ſedem mutauerit, aut abdicauerit quacumque ratione, continuò vt Pariatus honore deſtituitur, ſic Dominio cedit Eccleſiaſtico; Eccleſia verò cuius eſt rei proprietas, ius ſuum reuendicat, ſeruatque illibatum. Eſt igitur quod plurimum demiremur, Reuerendiſſ. Domini Lingonenſis conſilium, quandoquidem ſi velut exoptat & ſatagit, Cathedram Pontificiam, Eccleſiâ Lingonenſi relictâ, Diuione aliquando conſtituerit, nil iuris deinceps in ipſius Eccleſiæ bonis & honoribus obtinebit, ſed ipſorum titulo & vſu decidet: quoniam quæ vir vxoris iure poſſidet, illâ vel demortuâ, vel à ſe repudiatâ non poteſt amplius retinere. Inanis igitur pollicitatio eſt, quam ipſe Reuerendiſſimus per D. Baudot tunc ſanctæ Capellæ Diuionenſis Canonicum ſuumque itidem Vicarium fecit, die 21. Martij anni proximè elapſi, Diuionenſibus Decurionibus, viriſque Conſularibus, frequenti conuentu vrbico: ſi votorum compos fieret, ſe non modò ſedem prorſus Diuione ſtabiliturum, verumetiam, quò delectæ vrbi ſtrictius inhæreſcat, Toparchiam de Muſſiaco Epiſcopi, perantiquum Lingonenſium Antiſtitum dominium & familiarem ſeceſſum, Satrapia de Lux permutaturum, leucis duntaxat Gallicis quatuor à Diuione diſſita. Siquidem eiuſmodi deſignatio nec iuſta eſt neque poſſibilis. Etenim ini-

Burgundiæ ad annum 897. Nos verò, tertia ab hinc pagina, perplura digna obſeruatione, de Pariatu Lingonenſi ſolerter inueſtigata ac cõferta in margina expromimus.

quum prorſus fuerit, ſpoliare * Eccleſiam Lingonenſem hæreditate ſua, fructuoſa adeo & illuſtri, vt eius exuuio ditetur & amplificetur Capella Diuionenſis; cui ipſum quoque Epiſcopale decus, ex illius diſpendio accreſcat. Neque id facile fuerit Epiſcopo, qui eo ipſo ac Lingonenſi Eccleſiæ ſponſæ ſuæ repudium nuntiârit, & ſedem mutârit, bonis cedere primæ coniugis à ſe relictæ obſtringetur, in hiſque nihil iuris aut poteſtatis retinebit. Et ſic Pariatus Franciæ, Ducatus Lingonenſis, Marchionatus de Coublanc, Comitatus de Monte ſanjonio, Dynaſtia de Luſiaco, necnon de Muſiaco Epiſcopi (quibus honorum titulis & ditionum annuis vectigalibus claret ac fruitur Lingonenſis Eccleſiæ nomine, perilluſtris Epiſcopus) nihil amplius ad ipſum pertinebunt, ſed ad ius Eccleſiæ, cuius res propriæ ſunt, continuò reuertentur. Nec enim ſibi perſuadere debet Reuerendiſſimus Epiſcopus, quod ipſo deſerente Lingonenſem Eccleſiam, hæc poſſit iura & dominia ſecum trahere, & in illam Eccleſiam traducere, cui ſedem ſuam inferet Pontificiam: vel ſaltem bipartito hierarchico imperio, etiam Lingonenſis Eccleſiæ patrimonium diuidere, ſic vt huic dimidiam partem relinquat, illi verò alteram adſcribat portionem. Nam præterquam Capella Diuionenſis nihil iuris habet in fundo Lingonenſis Eccleſiæ; * quæ nihil admiſit ſceleris vt ſua hæreditate ſpolietur, ſuoque damno & dedecore, hæc eius æmula ditata amplificetur: Sanè ipſius natiuum decus & patrimonium ſacrum eſt, exque Regio pragmatico, inuiolabile, atq; ſi dicere licet, à ſtipite ſuo ac radice inſeparabile prorſus, ideóque etiam, vt ita loquar, indiſpertibile.

Enimuero

* Spoliari dicitur in iure ille cuius poſſeſſio erat cap. ad audientiam de reſcriptis. Spolians vero aliquem dicitur ei opprobrium inferre, eiuſque habetur inimicus can. Deus 3 q. 1. & can. ſi Epiſcopus ibid. q. 2. & can. ſi Primates 5. q. 3. At Eccleſiam ſpoliantes grauis piaculi rei habentur cap. relatum §. fi. de iure Patronatus & ibi gloſ. penult. cui conſonat can. paternarum & can. illi qui 24 q. 3.

* Statutum eſt diuina lege, ne vnius tribus, ſacræ plebis poſſeſſio, ad aliam transferatur Num. 36 6. *Nubant quibus volunt, tantum vt ſuæ tribus hominibus, ne commiſceatur poſſeßio filiorum Iſrael de tribu in tribum, &c. ſed hæreditas permaneat in familiis; nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, vt à Domino ſeparata ſunt.*

Enimuero cùm anno 1178. Comitatus Lingonensis ipsi Ecclesiæ, ex dono Hugonis 3. Ducis Burgundiæ accessisset: * Galterus tum Episcopus Lingonensis quò tam munifica concessio inconcussa foret Alexandri III. Papæ auctoritatem interpellauit, sacroque diplomate eodem anno edito obtinuit, vt nunquam ditio vrbica, vel aliud quoduis ius Ecclesiæ clientelare, seu dominicale aut quodcúmque ex eius patrimonio prædium ab ipsa diuelleretur: sed omne ius & dominium quo illo fruebatur perenniter ac inuiolatè ipsi annexum & intimè insitum permaneret. Idem quoque eodem supplicante Galtero Præsule à Christianissimis Regibus Ludouico VII. & Philippo eius filio, cognomine Augusto, sancitum est: qui pro sua pietate non modò concessionem Hugonis Ducis gratam & ratam habuerunt; sed insuper vt Franciæ pariatus qui sedi hæret Episcopali, maiori dignitate emineret, Comitatu vrbico Lingonensi, in Ducatum prouecto, tam pro se quàm pro suis successoribus statuerunt, *vt ciuitas ipsa Lingonensis totumque domi-*

* Ita passim tradunt quotquot de rebus Burgundicis scriptores nuperi tractauêre. Attamen in veteri libro MSS. Lingonensis Episcopatus census ciuiles referenti, sub capitulo de Emptionibus describitur charta Hugonis Ducis Burgundiæ de Comitatu Lingonensi: ad cuius marginem hęc notata leguntur, vulgari quidem eloquio, at eodem quo chartulæ ipsius contextus calamo exarata. *Notez que Huon Duc de Bourgogne vẽdit à l'Eglise de Langres le Comté dudit Langres, du temps de Gaultier Euesque dudit lieu, fils de Odo Duc de Bourgogne, frere dudit Huon: quelque chose que la charte porte qu'il ait donné a icelle Eglise. Car ladite Eglise quitta audit Duc de Bourgogne vne grande somme de deniers qu'il leur deuoit, moyennant laquelle il leur donna ladite Comté, laquelle de depuis a esté erigee en Duché enuiron le temps de Philippes le Bel, & l'Euesque appellé Pair de France par vne permission des Roys.* Hæc notantur ibi, at malè quoad Pariatum circa Philippi Pulchri tempora institutum. Siquidem Philippus speciosus sceptra liligera anno duntaxat 1285. capessiuit. At diu satis antea Episcopus Lingonensis Pariatus Regij pollebat honore. Nam Philippus Augustus Curiam suam solemniter tenuit Meloduni mense Iulio anno 1216. super dissidio de Comitatu Campaniæ & Briæ orto inter Philippum filium Henrici Comitis & Reginæ Cypri, Erardumque de Brienna seu Brenna (cui secundò Regina ipsa nupserat.) Et Blancham Comitissam, Theobaldi filij sui tutelam gerentem: in quo consessu Lingonensis Episcopus Pariatus titulo & honore clarus emicuit. Sic enim edita ibi habet sanctio parlamentaria *Iudicatum est à Paribus Regni nostri videlicet A. Remensi Archiepiscopo, VV. Lingonensi. Guilelmo Cathalaun. Philippo Beluac. Stephano Nouiomensi Episcopis & Odone Duce Burgundia, & à multis aliis Episcopis & Baronibus nostris, &c.* Et in epistola quam ipsemet Rex Augustus, eodem anno, Honorio III. Pontifici Maximo de placito habito in causa Aurelian. Episcopi rescripsit: iterum Lingonensis Antistes Primarios inter Regni Pares nominatur, hac verborum serie. *Nouerit P.V. quod N. Aurelianensis Episcopus in colloquio nostro apud Meldunum conuocato, vbi Archiepiscopus Remensis, Dux Burgundia, & Beluacens. Nouiem. Cathalaun. & Lingon. Episcopi, & alij multi Barones Regni nostri de mandato nostro conuenerant ad iudicandum de querelis qua vertebantur inter Comitissam Campania & filium eius ex vna parte, & Erardum de Brenna ex alia, contra iudicium Baronum Parium Francia ad quos pertinet eiusmodi iudicia facere, locutus est. Super qua temeritate in præsentia nostra & Parium prædictorum, per recordationem eorumdem publicè conuictus, id ipsum nobis & Paribus emendauit. Actum Paris. anno Dom. 1217.* Annis autem 16 post eiusmodi latum iudicium Theo-

nium Episcopi circa limites Regni Franciæ situm, à corona Regia nunquam alienari, aut alicui Principi posset transferri & diuidi, sed sub Regis dominatione deberet perpetuò retineri. Dato regali programmate eodem anno. Ecclesiæ igitur Lingonensis dos est sacra, decus inuiolabile, patrimonium indiuisibile. Idque sedis Apostolicæ solemni decreto, & Regia adeò insigni constitutione: proindéque à nullo secari aut distrahi potest: multominus ab ipso Episcopo diuelli aut diuidi: qui Ecclesiæ suæ iura conseruare tenetur integra, omnique studio tueri. Porrò canonica regula est *accessorium sequi naturam principalis*, cap. *si super gratia de officio delegati lib.* 6. *& glos.* 1. *in cap. Consuluisti de cons. Eccles. Item glos. adhærentes in cap. olim* 26. *de accus.* Vnde manifestum est, quod si accessorium sit indiuisibile: idem sit de principali, & quidem maiori ratione præsumendum. Idque est quod Philosophi insinuant, vulgari hoc suo Theoremate, *propter quod vnum quodque tale, & illud est magis tale.* Ex quo sequitur, si Episcopalis Ecclesiæ indiuisibiles sunt dotes & facultates, magis ipsum Episcopatum qui formale eius esse constituit, quique vt substantia, accidentia sibi inhærentia sustentat, sic ipsas opes & iura honorifica fulcit ac sustinet, prorsus in se indiuiduum ac vt ita dicam impartibilem esse. Quoniam igitur Apostolica & Regia sanctione prohibetur Episcopus, iura & facultates Ecclesiæ suæ quouis modo distrahere: proculdubio multo magis Episcopatum scindere, atque ex vna geminam sedem facere, eadem auctoritate præpeditur.

Cæterum quod Ecclesiæ Lingonensis decus integrum ac intemeratum debeat persistere: non Ponti-

baldus Rex Nauarræ, & Adela seu Ælidis Cypri Regina, Neptis Henrici Campaniæ Comitis concordiam super prælibato litigio inierunt, quæ vt rata & inuiolabilis permaneret, ad Prælatos literas direxerunt, quibus eos rogabant vt pactis sigilla in corroborationis indicium apponere quique sua dignarentur. Cuius petitionis sic ferebat inscriptio. *Reuerendissimis in Christo Patribus dominis & amicis suis charissimis G. Dei gratia Archiepiscopo Senonensi, Lingonensi Pari Franciæ, & Antissiodor. Episcopu. Theobaldus per eamdem gratiam Rex Nauarræ, Campaniæ & Briæ Comes Palatinus, & Ælidis Regina Cypri, &c.* Cæterum Episcopum Lingonésem Ducatus iure & honore ante annos 400. fuisse præditum, satis superque prodit pactio inita inter Hugonem Episcopum & Ducem Lingonensem, & Barri Dynastam, anno 1140 quâ, mediantè 550. librarum summâ, Henrico Comiti Mucionensi in nūdinis Trecensibus solutâ, contentiones *de Consulatu Lingonensi inter E-*

ficia tantùm & Regia decernit auctoritas, sed ipsius vt insinuatum Ecclesiæ antiquitas, origo, dignitas eximiáque gloria persuadet. I. ANTIQVITAS quidem, quia eius ætatis ista Ecclesia est, quæ tempora Apostolica propè attingit: quæ quindecim ferè sæcula exuperat, quæ ex centum supra octodecim Ecclesiis quibus Hierarchia constat Gallicana, ferè centum vetustate antecedit, præitque canitie veneranda. Porrò antiquitati semper fauendum est: ipsi enim & reuerentia debetur 2. qu. 6. c. *anteriorum* & *glos. antiquitas in cap. Clericis de immunitate Ecclesiarum in* 6. inestque illi ipso suo iure auctoritas 11. d. c. *Catholica*, & *Clement. quia contingit* §. *fi. de religios. domib.* Quapropter est in omnibus maximè attendenda. *Clem. Romani & ibi glos. antiquæ, de iureiurand.* nouitatique semper præferenda 25. *qu.* 2. *ca. Priuilegia*. Nouitas verò ex se inuisa est, & periculosa, quia plerumque discordiam parit, *extrauag. Inter cunctas de priuilegijs int. com.* Vnde vitanda decernitur. *glos. fin. in cap. quod dilectio de cons. & affin. lib.* 4. & qui eam inducunt reprehensione digni iudicantur d. 11. c. *Quis nesciat*, & *glos. fin. in cap. cùm consuetudinis de consuet. lib.* 1. Nec abs re, cùm nouitas ipsa malè audiat, vt quæ (sicut docet S. Bernardus) *mater sit temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis.* II. ORIGO autem præcelsa qua pollet Ecclesia Lingonensis, sui etiam honoris integritatem flagitat atque defendit. Si enim quibus parentibus sit edita, perpendatur: potiùs gratiæ & gloriæ augmentum sibi vendicabit, quem honoris patietur detrimentum. Certè Lingonensis Ecclesia Polycarpi huius est neptis, cui, flammeo curru triumphaturo, hostes ipsi fidei inclamabant: *Hic est totius*

piscopum Ducemque Lingonensem, & Comitem Barri sepulta sunt. Deinceps verò Episcopus sibi vrbis Dominium sub solius Regis clientela plenariè vendicauit, Duxque Lingonensis & Par Franciæ coniunctim semper habitus est.

In Epist. ad Can. Lugd. serie 174.

Euseb. Cæs. lib. 4. hist. Eccl. cap. 14.

Asiæ Doctor, Christianorum Pater, nostrorum autem Deorum subuersor: huius inquam Polycarpi, de quo hoc stupendum Eusebius scribit: Illô in rogo sine consumptione demortuô Iudæos ac Ethnicos petiisse à Iudice, ne illius humandum Christianis concederet corpus, *Ne fortè eum* (dicebant) *qui Crucifixus est* (Christum vtique) *relinquentes, hunc incipiant colere.* Quia nimirum tanta erat fama eius sanctitatis, vt non homo, sed numen esse aliquod videretur. Porrò hoc protoparente nobilissimo* Lingonensis Ecclesia non solum gloriatur, sed etiam præcelsè caput attollit, quòd alterius præstantissimi Christi athletæ sit soboles: nempe Benigni illius, qui ipsius Polycarpi cor & anima fuit, quique illi non secus ac Timotheus Paulo, aut Petro Clemens, fuit semper coniunctissimus. Benigni inquam, qui velut alter Heliseus, huius Heliæ non melotem tantùm, sed spiritum duplicem recepit, hòcque imbutus non Syros cæcitate percussit, sed Gallos cælesti lumine ac Euangelicæ veritatis splendore illustrauit: non aquas Samariæ sale perfuso sanauit; sed solum Gallicum peccati spinis & erroris vepribus obsitum, crucis aratro expurgauit, & verbi Diuini semine aspersit, ac proprio cruore irrigauit. Denique ipsa eorum est etiam mater Martyrum, qui propriæ parenti eximia crepundia contulerunt, qui eius exordia, glorioso agone consecrarunt, qui exili licet ob ætatem corpore, carnificum globos, magnificentissimo patientiæ spectaculo superarunt, inferos calcarunt, cælum aperuerunt, hanc nobis patriam, religione imbutam, suo nobis cruore pepererunt. Mira sanè & præcelsa origo ac propago Ecclesiæ Lingonensis, quam non modò à Patribus

* Eius encomium texuit S. Irenæus perpulchrum lib 3. aduers. hæres. ca. 3. *Polycarpus* (inquit) *non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis iis qui Dominũ nostrum viderunt: sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, multùm enim perseuerauerat, & valde senex gloriosissimè & nobilissimè martyriũ faciens exiuit de hac vita. Hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesia tradidit & sola sunt vera.*

4. Reg. 2. 13.

Ibid. ca. 6. vers. 18.

Ibidem 2. 20.

nobilissimis repetit, sed à filijs quoque fortissimis ferè secum enascentibus elicit ac deducit: huic enim Ecclesiæ (diuini prærogatiuâ muneris) concessum est vt ei, dum adhuc esset in cunabulis *pro patribus filij nascerentur*, qui tantò vberius matris originem sua virtute exornauerunt, quantò admirabilius suam heroicis prosapiam facinoribus exæquauere. Oriri à seipso nemo potest *glos.* 1. *in cap. cùm in iure* 33. *de elect.* sed à propriis visceribus, ipso in ortu suo promeruit Ecclesia Lingonensis illustrari: sicque duplici splendore in Gallia ab exordio enitere, Patrum videlicet sanctissimorum & ferè incomparabilium gloriosis meritis; præclarisque ipsorum filiorum victoriis ac triumphis. Meretur igitur, hoc & sibi vendicat nomine, plurimùm amoris ac reuerentiæ. Quia si origo seu principium cuiusque rei spectandum est, *glos. si in can. placuit de cons. dist.* 1. maximè in Ecclesiasticis consideranda venit. Quandoquidem mos etiam est Ecclesiæ, illas sedes Episcopales maiori affectu prosequi & tueri, ac amplioribus honorum prærogatiuis exornare, quarum magis cunabula clara & illustria fuerunt. Hincque à fundatorum dignitate* potiores Ecclesiarum dotes promanauêre, quas illorum intuitu, sedes Apostolica iugiter tutata est, nec passa est vnquam, nouo quouis molimine temerari: quia vt ait Gelasius Papa scribens ad Episcopos Dardaniæ: apud B. Petri successores *Inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum* (profectò & Sanctorum merita) *sancire reuerentiam.* III. Nobilitas autem & gloria Lingonensis Ecclesiæ, non altis eius duntaxat natalibus innititur, sed præcelsis quoque dotibus ac ornamentis, quibus inter tot Galliæ Ecclesias Episco-

Psalm. 44.

* Hac potissimùm fulti ratione Comprouinciales Episcopi Arelatensis Metropolis, matricis huius Ecclesiæ prærogatiuam apud S. Leonē PP. propugnauerunt. *Iure*, inquiunt, *ac merito ea vrbs semper apicem sanctæ dignitatis obtinuit, quæ in sancto Trophimo primitias nostræ religionis suscepit, ac postea intra Gallias, hoc quod diuino munere fuerat consecuta, studio doctrinæ salutaris effudit*: & mox enarratis potioribus huius Ecclesiæ priuilegiis, subnectunt *Quamquam de antiquitatem sequentes prædecessores Beatitud. V. hoc quod erga priuilegia Arelatensis Ecclesiæ institutio vetusta tradiderat.*

promulgatis (&c.) auctoritatibus confirmarunt: credentes plenum rationis atque iustitia, vt sicut per beatißimum Petrum Apostolorum principem sacrosancta Rom. Ecclesia teneret super omnes totius mundi Ecclesias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia quæ S. Trophimum ab Apostolis missum Sacerdotem habere meruisset, ordinandi Pontificium vendicaret. Prostat eiusmodi expostulatio Synodica post S. Leonis epist. 107 Porrò de antiquitatis honore & fundatorum inspectu conciliata Ecclesijs gloria, copiosè disseruimus in nostra Parisiensi Metropoli.

pales, vt sydus lucidissimum fulget ac promicat. Vnde à summis Pontificibus in suis decretalibus & sacris canonibus varijs reperitur occasionibus memorata, eximiisque semper titulis ac prædicamentis honorata: quæ tædiosum foret hoc loco retexere. Sanè superius eius Ecclesiæ decora aliquot expressimus quæ licet sint rudi penicillo adumbrata, potiùs quàm accuratè delineata ingentem tamen eius gloriam possunt satis pro instituto propalare. Cùm à Sanctorum quos suo protulit sinu, affluenti numero & mirabili claritate; ab Ecclesiasticæ iurisdictionis amplitudine; à sacrarum ædium magnificentia & multitudine; à Cleri copia, pietate & splendore; populi deuotione & sæpe testata in orthodoxa fide constantia: denique à prærogatiuis maximis sacris & politicis (quarum etsi multas descripsimus, alias tamen non paucas ne inuidia accresceret, silentio suppressimus) ipsius Ecclesiæ splendor & maiestas confertim se prodat, ac ipso aduersus æmulorum insidias & conatus suo se vindicet fulgore. Quin & ipso suo decore illorum in se animos flectat, teneròsque affectus sibi conciliet. Nam vt verè dixit priscus Sapiens. *Nobilitatis ac pulchritudinis species atque consideratio ea vi pollet vt ipsorum aduersariorum corda emolliat, asperosque demulcens mores, & efferos affectus, corda pelliciat, imo pertrahat in obsequium.* Porrò vt nobilitas sibi gratiam facilè conciliat; sic magnos spiritus alit: nèc se pati potest sub iugo deijci, aut aliquo dedecore vel iactura affici: Enimuero vt Philosophus ait Christianus, *Ingenuitas vera non recipit contumeliam.* Quamobrem non mirum videri debet, si tam nobilis ac illustris Ecclesia iniuriam & dedecus, quod sibi inferri videt, tanto feruore repellit.

Heliod. lib. 1.

Senec. li. 3. de Mor.

Cùm ipſe Dominus gloriæ Angelum Eccleſiæ pro ipſa Eccleſia ſic interpellet ac commoneat : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* : quem locum pro vniuerſali Eccleſia, ſedéque Apoſtolica, cuius dignitatem Anatolius Patriarcha CP. ſatagebat imminuere, atque pluribus Eccleſijs nouo ambitu cupiebat dominari, admodum aptè Leo ſanctiſſimus ac maximus Pontifex inculcauit, ipſum admonens vt Eccleſiæ cui præerat iura quidem ſarta tecta ſeruaret, nihil verò præter ea quæ ſibi conceſſa erant affectaret vel concupiſceret : *Quoniam* (inquit) *multùm Anatolius Epiſcopus proprio detrahit merito, ſi illicito optet creſcere augmento.* Nec dubium quin Beatiſsimus Pontifex meritiſsimum Antiſtitem Lingonenſem, ſedis Epiſcopalis geminatione creſcere geſtientem, eodem modo commonuiſſet, iusſiſſetque res vt à Patribus inſtitutæ ſunt, illum inconcuſsè ſeruare : iſtud quo alia Epiſtola ſcribit ſubiiciens dignum prorſus Apoſtolico Pontifice oraculum. *Quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum quæ ad bonum ſunt commune præfixa, & manentibus terminis quos poſuerunt Patres, intra fines proprios & legitimos permaneat vnuſquiſque.* Enimuero vt non leue piaculum eſſe decernunt ſacri canones, *Terminos antiquos conuellere.* Can. *tanta diſt. 68. & ibi gloſ. etiam* : ſic S. Gregorius grauem nimis cenſuit eſſe reatum, *contra veterem vſum ſacerdotes ſibi quicquam arripere.* Quamobrem ſcitè & animosè Iuo Carnotenſis dudum ſcribens ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem, quædam in Eccleſiæ Gallicanæ ſtatu innouare molientem, & in Carnotenſis ac aliarum Eccleſiarum Prouinciæ Seno-

Apoc. 3. 11.

Ep. 53. ſub finem.

Ep 54. ad Martianum Aug.

Ep. 53. circa med.

S. Greg. Maureatio Magiſt o pro Epiſcopis Numidiæ.

Epiſt. 60.

nensis detrimentum quæ hactenus audita non fuerant nonnulla aggredientem, ipsum commonefaciebat amica sed aculeata hac obiurgatione. *Attendere debet prudentia vestra quorum institutio sit potius tenenda, vel quibus obedientia sit potius exhibenda, an illis SS. Patribus qui adhuc in scriptis suis loquuntur, an vobis quibus cùm nihil aliud propositum esse debeat, nisi priorum sequi & honorare vestigia, ea tamen quæ antiquitas sanxit, consuetudo seruauit, & venerabilium auctoritas Patrum sacra firmauit, prout vultis, minuitis & mutatis. Miramur cur priuatis legibus & nouis traditionibus veteres remouere contenditis, & id exigitis quod nec antiquitas instituit, nec consuetudo seruauit.* Quæ religiosa monita, Cathedratici Lingonenses pro Ecclesiæ suæ defensione in præsentiarum possunt meritò vsurpare: Episcopo binam sua in Diœcesi Pontificiam sedem exigente, quæ sanè res adeo insolita est, vt iure de ea dici possit, eiusmodi esse *quam nec antiquitas instituit, nec consuetudo seruauit.* Cùm è contra, hanc geminationem Cathedræ tota antiquitas suis legibus præscripserit, consuetudo autem talis nunquam extiterit, vt vel vspiam Episcopus duas sponsas, idest Ecclesias haberet, vel suo in Episcopio duas Cathedras pari gradu erigeret & teneret. Nec modò mos iste in vniuersali Ecclesia vnquam obtinuit: sed nec in Lingonensi vsque Diœcesi auditum est, vt sedis huius Antistes duas sedes affectârit, Episcopiúmque diuidens, Diuione Hierarchicum solium, Lingonensi æmulum, quasi sub vno capite duo corpora (quod propè monstrum est) constituens instaurauerit. Vnde sine iniuria illi hæc satagenti dici potest. Hac noua intentione, ea quæ antiquitas sanxit, consuetudo seruauit & venerabi-


lium

lium Patrum auctoritas sacra firmauit, ipsum impetere; ac nonnihil à piorum Antistitum tramite deflectere, quorum sequi deberet ac honorare vestigia. Enimuero anteriores Episcopi, tantùm abest, vt id quod contendit vnquam vel optârint vel tentârint, quin potius huic conatui sedulò studuerunt occurrere, huncque sagaci prouidentia anteuertere, aut etiam comprimere curauerunt, pridem alia sub specie erumpentem. Nam Geilo 38. Episcopus Lingonensis, cùm vrbs à Normanis vastata & prostrata fuisset, sedem Episcopalem inde submouere noluit, nec Diuionem, etsi locum iam munitissimum, transferre æquum censuit: sed diuinæ institutioni & Patrum meritis & exemplis, quod æquum erat deferens: Cathedra, vt vbi fuerat erecta, illic perenniter immota consisteret, vrbem adeo miserè deiectam & direptam restaurauit, propugnaculis inexpugnabilibus communiuit, validissimis præsidijs suffulsit. Garnerius 41. Antistes, vt nunquam Episcopatus diuidi posset, consulto inhibuit, *ne Paræciales quidem Ecclesias fas esset secare, aut tantillum imminuere.* Galtherus vt Ecclesia ipsa Lingonensis quò ditior, eò potentior fieret, sicque iacturæ & iniuriæ minùs obnoxia foret, vrbis principatum illi adiunxit, siue ex Hugonis Burgundiæ Ducis nepotis sui munere, seu vt MSS. Lingonensia produnt monimenta, ex quadam Ecclesiastici patrimonij permutatione, cum Guidone de Saulx Toparcha vrbis ipsius initâ. Idem verò inuiolabilem decerni honorem & decorem Episcopatus Lingonensis auctoritate Apostolica & regali curauit ac impetrauit. At quis tandem sequacium Antistitum pro tuenda Ecclesiæ suæ dignitate gloriosa facinora enu-

meret? cùm toti visi sint in hanc curam incumbere, perpetimque insudare ne vnquam splendor illius obscuraretur, aut vnitas solueretur, aut quidquam de eiusdem amplitudine quouis modo excideret. Memorabilis equidem omni æuo erit Caroli Scarsij 92. huius Ecclesiæ Præsulis, eiusque qui hodie benemeritus sedet proximi decessoris, viri sanè vt nobilissimi, sic laudatissimi virtus, atque in creditam tuendam Ecclesiam zelus eximius, quo æstuans Diuionensium, Episcopalem sedem ambientium, & apud Regem ac summum Pontificem importunè flagitantium conatus, fortiter omnino detrusit ac fœliciter repressit, Ecclesiæ suæ natiua dignitatê & auctoritatê strenuè vindicatâ, * ac prisca gloriosè conseruatâ integritatê. Cuius certè & anteriorum Pontificum vestigia magis deceret modernum Antistitem sectari: quam noua inire consilia. Valde enim indecorum est, eum contrarijs intendere studijs, dum Ecclesiam quàm illi perenni cura & amore fouerunt, coluerunt, amplificauerunt; ipse deprimere & imminuere satagit, & quasi stirpitus niti videtur euellere. Quid enim aliud fuerit duas in partes ipsam diuidere, quàm truncatim dissectam perdere? non enim quæ vnita viget, diuisa constabit, & quæ erecta floret, poterit post casum amplius pullulascere. Toti enim diuiso id continget, quod parti à toto diuulsæ, S. Cyprianus docet necessariò euenire. *Auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non recipit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit.*


* Petrus Blesſ. epist. 20. *Si Episcopus salubriter vult ei seruire, cui seruire regnare est, & habere laudem in nomine ipsius, ascendere debet ex aduerso* (impugnantium) *& murum se opponere pro domo Domini. Non enim potest esse præclarior fama titulus in Prælato, quàm si viriliter tueatur statum Ecclesiasticæ libertatis. Si quid perperam fecit, hoc totum reformat & redimit zelus domus tuæ Deus, & iustitiæ amor.*

Vbi citatur cap. seq.



CAVSA QVARTA.

ECCLESIASTICÆ VNITATIS (cui repugnat geminatio sedis Episcopalis) inuiolabile Sacramentum.



CHRISTVS Dei & hominum mediator, non est auctor *diuisionis* sed *vnionis & pacis*, imò vt ait Apostolus: *Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens duos condidit in semetipso*: *ambos* populos Iudæorum & gentium in vnum corpus quod est Ecclesia concilians. * Quamobrem qui venerat *vt filios Dei dispersos colligeret in vnum.* Ioan. 11. 21. quemadmodum charitatem, ouium suarum proprium voluit esse characterem & indicem, sic Ecclesiæ suæ specialem notam & dotem indidit, nempe *vnitatem*, à qua & nomen & formam mutuari ipsam constituit, indelebili sanciens edicto. Ioan. 10. vers. 16. *fieret vt vnum ouile & vnus Pastor* *. Inde est quod Ecclesia in symbolo *VNA* præ cæteris dotibus prædicatur: non modo quòd *fidem vnam* profiteatur, *vna spe* nutriatur, *vno charitatis vinculo* copuletur: sed etiam quod *statu & disciplina* adeo sit vnita, vt merito *vna* sit & censeatur: vno *corpore* compacta, vni *capiti* subiecta & coaptata. Qua ex causa S. Cyprianus librum de vnitate Ecclesiæ conscripsit, in quo cùm multis argumentis hæreticos ab hac vnitate alienos conuincit, tum hæreseon causas & originem

Ephes. 2. Vide Theophil. in cap. 12. Marci illud propheticum explicans. *Lapidem quem reprobauerūt ædificantes, hic factus in caput anguli.*

* Col. 3. 11. S. August. tract. 47. in Ioan. ad vers. 16. cap. 10. *Duobus*, inquit, *istis gregibus tanquam duobus parietibus Christus factus est lapis angularis.*

* Ezech. 37. 22. 24. *Faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel, & Rex vnus erit omnibus imperans: Et seruus meus Dauid Rex super eos, & Pastor vnus erit omnium eorum.* Vide Theodoret. lib. de fide S. Aug. lib. de Baptismo necnon de verb. Dom. serm. 11. atque lib. 18. de Ciuitate Dei ca. 41. & 52.

non aliunde profluxisse innuit ac declarat, quàm quòd caput Ecclesiæ non quæratur, Primatus Petri contemnatur, & Cathedra ac Ecclesia vna & Episcopatus vnus * deseratur. Porrò etsi hæc vnitas in connexione Ecclesiæ Catholicæ, cum suo capite supremo religionis Antistite, Christi summo Vicario, vnico S. Petri successore, potissimùm consistat, cui ipsa Ecclesia velut arbor radici insita est: tamen eiusdem vnitatis Sacramentum in singulis orbis Ecclesijs, quæ ab vniuersali fluunt, vt riui à fonte, radij à sole, rami prodeunt ab arbore, etiam viget & subsistit. *Omnis enim ordo Ecclesiæ*, ait S. Hieronymus, *suis Rectoribus innititur*, totoque orbe diffusa Ecclesia, singularum plebium Præsulibus ac Episcopis est suffulta; in quibus & doctrinæ & disciplinæ sub vno capite vnitas instaurata, iugiter perseuerat. Hinc non tantùm in Ecclesiæ sibi creditæ regimine, quique Episcopi summi sunt Pontificis suffragatores, sed vnusquisque eorum etiam suo modo Christi vices obtinet & ipsius typum ac imaginem gerit: id enim docet Oecumenicum Concilium Nicenum, * dicens Episcopum perferre τὸν τύπον τοῦ κυρίου imaginem ipsius Domini, non duntaxat quatenus (vt censuisse videtur Martyr Ignatius) Episcopus sacrificat seu sacerdotio fungitur: sed etiam prout Christus Ecclesiam sibi copulat, gregemque in vnum consociat, quem pascit & gubernat, regit & protegit. Ideòque sicut vnus est Christus, vnus est Dominus: *vnus* itidem (vt B. Cyprianus sæpius docet) *in Ecclesia Catholica est Episcopus*, nempe Papa seu Pontifex maximus * qui perfectam Christi repræsentat imaginem; cuius & Vicariam personam toto in orbe gerit. Verùm quia vnaquæ-

* Idem lib 1. epist. 3 ad Cornel Pap & epist 8. ad plebem vniuersam. *Deus* (inquit) *vnus est, Christus vnus, & vna Ecclesia & Cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouũ fieri, præter vnum altare & vnum sacerdotium non potest: quisquis alibi collegerit spargit* quæ ferme verba repetit S. Hieronymus epist. ad Damasum de nomine hypostasis.

Epist. 4. ad Rustic. Monach. idemque epist. 2. ad Nepotian. Tom. 1.

* Apud Gelas. Cyticenum lib 2 Actor. Concil Nicen c. 30 § 3 sermonis de Diatyposibus Ecclesiasticis. Extat ad calcem Tom 1 Conciliorum à Binio editorum, qui tamen non τύπον, sed τόπον legit. Fauet vero ei ipse contextus, nam gradationes pulcherrimas docet Concilium; Diaconum tenere locum Cherubim, Presbyterum Seraphim, Episcopũ autem τὸν τόπον τοῦ κυρίου locum Domini.

Lib. 1 ep. 3. & 8. lib. 2. epist. 10

* Hinc in prisco

que particularis Ecclesia, Catholicæ vniuersalis formam habet & normam tenet: ita vnusquisque Episcopus, Principis Episcoporum & supremi Pastoris animarum gestat figuram obitque vicem, nam eius munere, pro parte susceptæ solicitudinis defungitur. Ideoque Episcopus in Ecclesia & Ecclesia in Episcopo esse dicitur: * quia Ecclesię vnitas Episcopo inhærescit, & Episcopi auctoritas Ecclesiæ vnitati est innixa. Hinc est quod vniuersali in Ecclesia vt retineretur vnitas, vnicuique particulari Ecclesiæ, vnus designatus est ab initio Episcopus, vetitumque fuit omnino ne plus quàm vnus vni præficeretur: vt notat glos. singulos in can. 2. dist. 20. sacro hoc præfixo axiomate: *vnus vnius sit ciuitatis Episcopus*. Cui consonat Concilij Cabilonensis 4. can. inscriptus: *Ne duo, in ciuitate vna, eodem tempore, Episcopi habeantur.* * Et Innocentij Papæ oraculum, relatum *cap. quoniam tit. de off iud. ord.* vbi legimus monstrum fore in corpore, si duo Pontifices vna in ciuitate ordinentur. Imò vt nomen & munus Episcopi, maiori dignitate niteret, vnitásque Ecclesiæ quæ Episcopo innixa est, magis commendaretur: Statutum fuit * vt vniuersæ sibi designatæ Diœcesi Episcopus præemineret, nec toto hoc districtu, alius in pagis, oppidis ac modicis ciuitatibus Antistes constitueretur: sed basilicæ omnes in manu Episcopi essent, Presbyterísque committerentur qui prorsus Episcopo subiacerent, illique canonicè obedirent, ac in Parœcijs cuique ipsorum destinatis, velut membra capiti, suffragarentur Quapropter ipsi Apostoli vt Sacramentum vnitatis illibatum in Episcopo seruaretur: nec à Presbyteris, qui gradu Episcopo proximi sunt, * teme-

Concilio Lateranensi sub S Martino Papa & Martyre, quo 105. Episcopi conuenerũt, ipse Pontifex passim inscribitur. *Sãctissimus ac beatissimus Episcopus sancta Dei Ecclesia Catholica* Tom. 2. Concil part. 2.

* Glos 1. in cap. Rodul. 35. de rescript. & S. Cyp. lib. 4. epist 9 ad Florentium. Item S. Hieron. in Dialogo contra Luciferianos, vbi docet Ecclesiæ salutem in summi sacerdotis dignitate pendere, cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs futura sunt schismata quot Sacerdotes. Astipulatur & S. Ambrosius in epist. ad Ephes. c 4. scribens Ecclesiæ salutem in vnitate cõsistere: porrò ipsam vnitatem in Episcopo perfici.

* Idem antea sanxisse protoœcumenicum Concil. Nicen. prodit S. Aug ep. 118. sed & Bonifacius I. qui ipsius S. Aug tempore sedit eodem studio seruandæ ac sarciendæ Ecclesiasticæ vnitatis edixit: vt nullus Metropolitanus duas sibi ciuitates vendicaret Metropolicas, duasque Prouincias haberet

raretur vlla præſumptione: tres canones ſpecialiter ediderunt. Primus eſt, vt Presbyter, qui contempto Epiſcopo ſeorſum conuentus congregauerit, & altare aliud erexerit, deponatur. Qui verò ei conſenſerint Clerici, gradu deijciantur, Laici autem ſegregentur. Secundus eſt, vt ſolus Epiſcopus omnia negotia Eccleſiaſtica curet. Tertius, vt rerum temporalium & ſpiritualium Eccleſiæ, poteſtatem & diſpenſationem habeat: * Presbyteri verò ſub eo, adminiſtrationem. Quibus quidem ſanctionibus non aliò conſtat Apoſtolos proſpexiſſe, quàm vnitati Eccleſiaſticæ in Epiſcopo honorandæ & ſarciendæ, à qua & doctrinæ puritas manat & diſciplinæ vigor ac auctoritas prorſus dependet, ac conſiſtit. Quapropter ſcitè & rectè S. Hieronymus ad Nepotianum ſcribens, in hac vnitate vt in centro docebat ſitum eſſe commune Eccleſiæ bonum, *Vnus*, inquit, *eſt Dominus, vnum templum, vnum ſit etiam miniſterium.*

SED vnitas illa adeo ſacra & ſalutaris, non tantùm à Clero & populo debet in Epiſcopo honorari & inuiolatè cuſtodiri; verumetiam ab ipſo Epiſcopo ſedulò illam ſeruari & impenſè foueri oportet. Quinimo S. Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, hanc ab Epiſcopo monet præcipuè eſſe percolendam. *Quando* (inquit) *& beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat & Sacramentum vnitatis oſtendat dicens: Vnum corpus & vnus Spiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Epiſcopi qui in Eccleſia præſidemus, vt EPISCOPATVM quoque ipſum VNVM ATQVE INDIVISVM PROBEMVS.* Id verò docet Cyprianus, non mo-

ſubieſtaret vnus, vt Metropolita, vni Prouinciæ præeſſet, & vna vni Archiepiſcopo Prouincia ſubiaceret. Epiſt 3. ad Hilariũ Epiſc. Narbon.

* Burchardus lib. 3. decret. ca. 8. Carol. Mag. Capitul. è Synodicis Sanctionibus electorum lib 5. c. 2. Apoſtolor. can. 32. 39 & 41.

* Hinc Optatus Mileuit. lib 1. cont. Parm. Presbyteros ſcribit *in ſecundo* eſſe *Sacerdotio conſtitutos.* Et ſubinde S. Auguſt apud Burchard. lib 2. ca. 55. *Sicut Epiſcopi*, ait, *Apoſtolorum in Eccleſia, ita nimirũ Presbyteri cæterorũ diſcipulorum Domini vicem tenerẽt.* Quamobrem ſic eos affatur: *Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecundum & pene coniunctum eſſe.* Idem docet S. Leo epiſt. 88.

* Concil. Turon. 3. ca. 11.

Vide eumdem lib. 4. epiſt. 2. quæ eſt ad Antonianum prolixiſſima.

dò eô ſenſu, quo ibidem ſubnectit: *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*: inſinuans Epiſcopatum toto orbe diffuſum, eſſe vnum in radice, & ideo indiuiſum eſſe debere veræ fidei vnitate, & ſyncera inter Epiſcopos inuicem, ſupremoque cum Hierarcha connexione ac conteſſeratione: verumetiam hoc ſenſu id ſuggerit quem ſubinde indigitat: *Eccleſia quoque vna* * *eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum, tenaci radice fundatum; quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.* ſubindicans, etſi maximè Eccleſia vna ſit, eo quod (vt ſubiungit) *eius vnum corpus ſit & origo vna*: tamen in eo etiam vna eſt, quod in ramis omnibus, & radijs, ac riuulis ipſam colit atque etiam declarat vnitatem: nam vbique hanc inuiolabiliter ſeruat, cùm in ſingulis orthodoxis plebibus ſit ac eſſe debeat domus vna. pater vnus, mater vna; hoc eſt vnus talamus, vnus ſponſus; vnus populus, vnus Epiſcopus. Quapropter ſubdit ibidem. *Monet ipſe Dominus in Euangelio: ET ERIT VNVS GREX ET VNVS PASTOR. Et eſſe poſſe vno in loco aliquis exiſtimat, aut multos Paſtores, aut plures greges?* Significans pari abſurditate decipi, qui vna in Diœceſi, plures conſtitui poſſe credit Eccleſias matrices, & qui vno in populo plures cenſet Paſtores poſſe collocari. Scripſit enim hæc S. Cyprianus aduerſus Nouatianos qui Eccleſiæ vnitatem ſubtili Sathanæ machinamento ſoluere cupientes, non modò Romæ, altare contra altare erigere, & ſedem ſedi, Pontificem Ponti-

* Præclarè Theodoret. exposit. in Psal. 47. illud edisserens propheticũ: *Deus in domibus eius cognoscetur*, in vniuerſitate fideliũ toto orbe diffuſa, oſtendit Eccleſiæ ſubſiſtere vnitatem *Quemadmodum*, inquit, *qualibet ciuitas intus habet domos à ſe inuicem diuiſas & vna tantum ciuitas nominatur: ſic infinitæ & innumerabiles ſunt Eccleſiæ in inſulis & in continenti; communiter autem omnes in vnam rediguntur, ob dogmatum conſonantiam* Nec minus pulchrè S. Epiphan. lib. 1. cont. hæreſ. tom. 1. hæreſi 31. quæ eſt Valentinianorum. *Quemadmodum ſol creatura Dei in toto mundo vnus & idem eſt: ſic etiam prædicatio veritatis vbique lucet & illuminat omnes homines. Et hanc fidem* Eccleſia *adepta per totum mundum diſperſa diligenter conſeruat, quaſi vnam domum inhabitãs, & velut vnam animam & idem cor habens.* Ita ferè & Euthimius Zigabenus expoſuit in Pſal. 83. & 95.

ſici opponere eniſi fuerant: ſed quòcúmque potuerant irrepere, illic Cathedram Cathedræ & Epiſcopum Epiſcopo ſuperimponere non exhorruerant. Quod impium & prophanum hinc B. Cyprianus eſſe declarat, quia Eccleſia, ſacramento eſt vnitatis conſecrata, hocque fundamento inſtaurata. Quæ vnitas cum ita ſit Eccleſiæ propria, vt vbique vna debeat eſſe & videri: ideo fieri non poſſe ait, vt vno in loco ſint duæ Cathedræ & duo Præſules, ſeu vt expreſsè loquitur, *aut plures greges, aut plures Paſtores*. Igitur ex S. Cypriani, imò & S. Auguſtini (qui librum hunc de vnitate Eccleſiæ paſſim laudat & ſequitur*) ſententia, non modò populus hanc vnitatem complecti tenetur, vnam Eccleſiam & vnum Epiſcopum religiosè ſuſpiciens & obſeruans: verùmetiam ipſemet Epiſcopus præ cæteris obſtringitur vnitatem, cuius typum præfert excolere & perfectam exhibere, *Epiſcopatum præbens vnum atque indiuiſum*. Hoc eſt nonniſi vnum obeundo præſulatum, vnamque habendo Cathedram & vnam Eccleſiam. Nam vt Eccleſiam bicipitem eſſe non decet: ſic nec Epiſcopus bigamus eſſe debet. Et ſicut vno in loco, hoc eſt vna in terminatione ſeu territorio, non poteſt eſſe binus Epiſcopus, ſic nec geminus Epiſcopatus.

* Lib. 1. contra Creſcon. Grammat. c. 33. tom 7. Item & lib. de vnitate Eccleſiæ contra Petilian ca. 3. eod. tom.

Hunc verò ſenſum eſſe & conſenſum totius Eccleſiæ, liquet ex eius legibus & communi diſciplina. Nam primò ſicut in lege gratiæ Polygamia (hoc eſt multarum vxorum ſimul cum vno viro copulatio nuptialis) eſt interdicta: ita & Epiſcopo imò & Presbytero (qui in Eccleſia ſecundas poſt Epiſcopum obit partes) bigamia prorſus prohibita eſt. Non tantùm eo ſenſu quem paſſim ex Apoſtolo elicimus, nempe

Math 19. 5 6. 1. Cor 6 16. & 7. 2. Epheſ 5. 25. 32 1. Timoth. 3. 2. Tit. 1. 6. Nec modo iure diuino, Naturali, Euangelico, atque Eccleſiaſtico polygamia eſt proſcripta, verum etiã ciuili, vt ethnici ipſi Iuriſperiti teſtantur. Vide Modeſtin. in Pandect.

nempe Episcopum & consequenter Presbyterum *vnius esse vxoris virum oportere*: hoc est non tantùm Monogamum, qui vxorem vnam habuerit & secundam non habeat, vt exponit S. Hilarius: sed qui nec bis nuptam semel duxerit aut corruptam, vt Leo Magnus ex lege & praxi Ecclesiæ explicat Epist. 89. qua Chelidonium Vesontionensem absoluit, quem perperam & sine conuictione Hilarius Arelatensis Metropolita gradu Episcopali, hac ex regula deiecerat, *Quod viduæ maritus sacerdotium non possit tenere*. Non hoc, inquam, duntaxat sensu, Ecclesia bigamum Episcopum vetat institui: sed alio insuper, quo nec ipsum simul duas sedes aut Ecclesias tenere, nec de vna posse ad aliam transire, sanctionibus plurimis declarauit. Et de transitu quidem Episcoporum, de sede sua ad aliam, etiam de minori ad maiorem, prohibito, tot iam congessimus canones, vt superfluum sit plures retexere aut expetere. Satis sit hoc Romanæ Ecclesiæ Pontificale ac Synodale decretum ad maiores nostros transmissum (obseruationis causâ) refricare: *Vt reus adulterij habeatur Episcopus, qui relicta Ecclesia cui consecratus est, ad aliam emigrauerit: parique pœna decernitur coercendus ac vir qui relicta vxore accesserit ad aliam*. Imò non tantùm Episcopus canone sic perstringitur: sed & Presbyter, qui itidem districtè obstringitur permanere in Ecclesia in qua ordinatus est. Ita enim Gallicani Patres ex antiquis Ecclesiæ Catholicæ decretis collegerunt, atque inde excerptum publicarunt in Capitulari edito sub Leone III. cuius hic est artic. 13. *Vt nullus Presbyter à sede propria sancta Ecclesiæ sub cuius titulo ordinatus fuit, ambitionis causa ad aliam pergat Ecclesiam: sed in eadem deuotus vsque ad vitæ*

lib. 23. tit. 9 de ritu nuptiarum lib. 1. imò lege ipsas imperatorias sanctiones lib. 2. Cod. de incest. & inutil. nup lib. 1 de ijs qui notantur infamia l. eum qui C. ad l. Iul. de adult. l nemo C. de Iud.

Adde tamen Hilarij PP. Synodicam sanctionem quæ extat cap. 2. Romanæ Synodi sub eo celebratæ, *vt nullus Episcoporum, relictâ vna Ecclesiâ, ad aliam transeat*. Item & capitulare Episcoporum Galliæ præcitatum n. 10. *Ne de vno loco ad alium transeat Episcopus*. Item Concilium Meldense sub Carolo Caluo can. 30. *Vt si quis de ordine Sacerdotali contemptu minoris Ecclesiæ, ambitiosè & improbè ad potiorem aspirare contenderit, canonica erga eum definitio conseruetur*. Item decretum Ioannis 8. in Concilio 2 Tricassino exceptum & promulgatum ipso Pontifice præside

contra Episcopos transmigrantes, qui *quia Canonibus Spiritus sancti gratia conditis contradicunt* grauiter perstringuntur, in superque statuitur *Dei virtute & Apostolica auctoritate, vt ad pristinam sedem sine mora redeant, quod si tardauerint, continuò omni honore sacerdotali spolientur.*

permaneat exitum. Nec Presbyter qui secus fecerit, à pœna est immunis : sic enim statutum sub Carolo Magno legimus in Concilio 3. Turon. can. 14. *De titulo minori ad maiorem migrare nulli Presbytero licitum sit: sed in eo permaneat ad quem ordinatus est. Quod si inuentus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia qua Episcopus si de minori ad maiorem transmigrauerit sedem.* Vt verò Episcopus qui Presbyteri est forma ac speculum, non solùm animaduersione canonica obstringeretur sedi cui initiatus est inhærere, Patres sanctissimi ac sapientissimi prouida dispositione decreuerunt, eumdem propria esse in Ecclesia consecrandum. Ita enim habet Aurelian. 4. Concilij can. 5. *Id etiam regulariter prospeximus decernendum, vt Episcopus in ciuitate in qua per decretum eligitur ordinandus in sua Ecclesia cui præfuturus est consecretur. Sanè si subitò necessitas temporis hoc implere non patitur, licet melius esset in sua Ecclesia fieri, tamen aut sub præsentia Metropolitani, aut certè cum eius auctoritate, intra Prouinciam, omnino à comprouincialibus ordinetur.* Ex quo patet non tantùm hos Patres secundùm antiquas regulas decreuisse, vt ordinatio Episcopi in Ecclesia cui præficiebatur, fieret, sed id etiam admodum exoptasse, vt ipso ordinationis suæ voto ac Sacramento Antistes ipse suæ Ecclesiæ deuinciretur: proindéque animaduerteret ab ea emigrando, se non tantùm canonibus prælaudatis obnoxium fore : verùm etiam præter adulterij reatum, etiam sacrilegij piaculum incurrere & pœnam demereriturum iri. Porrò hæc indicta sint quoad Episcopi cum Ecclesia sua insolubile vinculum. His enim canonicis auctoritatibus patet, non minùs interdictum Episcopo, Ecclesiam quam in sponsam

ſuſcepit, deſerere, & ad aliam tranſire: quàm viro cuilibet vxorem ſuam dimittere & ducere aliam, vetitum eſt. Quod benè ſapiens & perpendens Calixtus 3. *Dum adhuc eſſet* Epiſcopus *& Cardinalis beneficium aliquod* (refert Platina *) *in commendatione nunquam voluit, dicens ſe vna ſponſa & quidem Virgine, hoc eſt Valentina* Eccleſia, *cui conſecratus fuerat, vt Pontificia mandant ſtatuta, contentum eſſe.** Et aureo quidem Eccleſiæ ſæculo ita paſſim ſeruatum fuit. Verùm ſemper prohibitum reperire eſt ſimul Epiſcopum duas Eccleſias, aut duas ſedes Epiſcopales habere: ſic enim Patres Apoſtoli dictum interpretati ſunt: *Oportere* Epiſ*copum vnius vxoris eſſe virum*, hoc eſt vnius Eccleſiæ ſponſum, vnius plebis Patrem, vnius gregis Paſtorem, vnius Cathedræ præſidem. Et ſanctus quidem Cyprianus hanc vnitatem quæ in Epiſcopo commendatur, à Chriſti typo cenſet deriuatam. Quia ſicut Chriſtus vnam habet ſponſam nempe Eccleſiam: ſic & Epiſcopus qui Chriſti figuram gerit, & ſacramentum ipſum exprimit vnitatis, ac vinculum tenet charitatis, vna Cathedra, ſeu Eccleſia matrice contentus eſſe debet. Ideoque addit *in* Eccleſia *Catholica Chriſtum vnam Cathedram* (nempe ſedem Petri ſupremam) *conſtituiſſe, vt vnitatem manifeſtaret, & vnitatis eiuſdem originem ab vno* (nempe Petro) *incipientem, & in cæteros Apoſtolos defluentem ſua auctoritate diſponeret.* Nec verò in Epiſcopis, ſed etiam in Presbyteris qui Parœciali ædi præſunt & animarum curâ perfunguntur* (quia in iis quoque myſterium vnitatis, ſuo modo expreſſum, cenſuerunt veteres) eumdem voluerunt vnitatis typum obſeruari. Vnde in Concilio Namnetenſi can. 8. ſic reperire eſt decretum. *Sicut* Epiſcopus *non plus*

* In ipſius Pontificis vita.

* Sub Guilelmo 3. Pariſiorum Antiſtite anno 1238 habita eſt ipſa in vrbe Regia diſputatio ſolemnis de beneficiorum pluralitate (nam iam corruptela illa in Clerum Gallicum irrepſerat quam tragicè Petrus Bleſenſ. deplorat 1 Opuſculo in Iob) Poſtque ſtudioſã diſquiſitionem omnium cùm Præſulum tum Doctorũ ſuffragiis diffinitũ fuit, neminem ſine lethali noxa duo poſſe ſimul beneficia tenere, ſi vnum ad victum & veſtitum ſufficiat. Qua de re Guilelm. ipſe Epiſcopus duos cõſcripſit eximios tractatus, qui cæteris eius Opuſculis inſerti, Venetiis editi prodierunt apud Damian. Zenarum anno 1591. Vide Genebrard. part. 2. Chronol. in Greg. 9.

* Hi paſſim dicti ſunt olim, etiam extra vrbem Orbis dominam Eccleſiarum Cardinales vt oſtendit D. Fileſacus Pariſienſis Eccleſiæ Canoni-

potest habere quàm vnam ciuitatem, & vir vnam vxorem; ita Presbyter vnam tantùm Ecclesiam. Et rursus in Concilio 6. Parisiensi c. 49. necnon in Capitularibus Frác. addit. 2. c. n. 8. idipsum comperitur ex sacris regulis definitum.

cus Theologus Opusc. de Parœc. origine c. 3. In vetustissimo Pontificali MSS. quod etiamnum penes nos est, legitur ordo Synodi celebranda, vbi sacerdotes vrbici, hoc est vrbicarum Ecclesiarum Rectores, Cardinales passim appellantur, Episcopoque iure suo assidere perhibentur: cum ante horum coronam stent Presbyteri Rusticani, quibus non nisi cum iussi fuerint sacro in cœtu residere licet. Porrò in alio æquè vetusto codice membraneo, qui Episcopatus Parisiensis sacros ciuilesque census congestos refert, ipso in limine perscribitur Presbyterorum Parisiensis Ecclesiæ Cardinalium catalogus, hac sub inscriptione. *Isti sunt Presbyteri qui nominantur Presbyteri Cardinales, qui debent interesse per se vel per alios dum Episcopus celebrat in Ecclesia Parisiensi in festis Natalis Domini, Pascha & Assumptionis.* Horum antesignani sunt. *Presbyter S. Pauli Parisien. Presbyter S. Iacobi Paris. Presbyter S. Seuerini Paris. Presbyter S. Benedicti Paris. Presbyter S. Geruasij,* &c. Cęterum Suessionensis Ecclesia etiamnum suos habet Presbyteros Cardinales numero 12. Omnes Parœcos vrbicos vel suburbicarios, vt ex fastis eiusdem Ecclesiæ MSS. constat quorum transcriptum ex autographo possidemus. Certè Zacharias Papa epist. 9. ad Pipinum Maiorem domus, Episcoposque Francorum directa, super diuersis Capitulis ex recepto Ecclesiæ more Presbyteros Cardinales, Parœcos appellat: hos, quos eo decorat cognomine, esse insinuans, *qui subiectam plebem* haberent, eique *Prædicationis debitum persoluerent.*

Cæterum nec in gratiam Reuerendissimi Episcopi Lingonensis posset quis aciem eiusmodi iaculorum elidere aut inflectere, excipiendo, quod tametsi sedem geminet Episcopalem, Ecclesiasticam tamen Monogamiam, Episcopo à SS. Patribus adeò commendatam, non ideò lædet & temerabit: quia quamuis bina tunc Cathedra futura sit, tamen vnitas in eo consistet, quod vnus tantùm Episcopatus erit; vtrique enim Ecclesiæ vnus atque idem Episcopus præsidebit. Hæc inquam exceptio minimè conatum D. Episcopi Lingonensis excusat, aut ipsum à canonica censura immunem reddit. Non enim Patres ab Episcopo duntaxat exigunt, vt vnum tantùm Episcopatum habeat: sed prohibent districtè, ne plus quàm vnam sibi vendicet Cathedram & Ecclesiam: vetantque prorsus ne aliam sibi copulet, aut æquali gradu teneat, vel pari iure & amore complectatur: adeovt, ne tantisper suos in aliam, etiam sibi subditam & sua in terminatione sitam traducat affectus, prohibeant

ſacræ ſanctiones, ne relicta principali ſua Cathedra, ad aliquam Diœceſis Eccleſiam ſe conferat *can. placuit 7. qu.* 1. quem ſic refert Fulgentius Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus in ſuo Canonum breuiario n. 17. * *VT NVLLVS EPISCOPVS DIMISSA MATRICE, ALIAM IN DIOECESI CONSTITVAT.* *ex Concil. Carthag. tit.* 6. Quæ Synodalis Conſtitutionis verba, adeo ſunt clara & perſpicua, adeo rei quæ vertitur conſentanea, vt expreſsè ad Domini Lingonenſis conatum retundendum (geminationē ſcilicet, quam aggreditur ſedis, ac nouæ conſtitutionem in ſua Diœceſi Matricis, & antiquæ deſertionem ſuggillandum, imò improbandum prorſus,) ſic edita fuiſſe videantur. Sed illa duplicatio Cathedræ Epiſcopalis ſeu matricis vna in terminatione Eccleſiæ, pluribus aliis Patrum ſanctionibus, & monimentis reiecta ac damnata reperitur. Calchedonenſis enim Oecumenici Concilii Patres vnam Prouinciam in duas vetant ſecari Metropoles; qui verò id pertentârint Antiſtites, quamquam pragmatico Imperiali fulciantur, gradu Pontificali decernunt exciſuros. Porrò perſpicuum eſt ſic decreuiſſe ſanctos illos Eccleſiæ proceres, vnitatis ſeruandæ ſtudio & amore: proindeque non minùs hoc ſtatuto prohibuiſſe vna in Diœceſi conſtitui duas Eccleſias Matrices, quàm vna in Prouincia duas Metropoles inſtitui: eadem enim ratio eſt. Quapropter S. Cyprianus iam ſemel atque iterum hac in cauſa laudatus, acerbè prorſus in eos qui Eccleſias Epiſcopales geminæ Cathedræ erectione ſecabant; * *Et ſedes ſibi alias, diuerſaque domicilia condebant*, inuehitur; altéque clamat & obteſtatur: Sacra-

* Nota ſtudioſè. Non enim ſic nitidè ab alio quopiam exſcriptore, Canon hic vſquā expreſſus eſt.

Can. 12.

* Nota itidem.

mentum vnitatis illos ſoluere, & tunicam Domini inconſutilem diſcerpere: Digna autem ſunt quæ in eos congerit dicta recenſione. *Hoc* (infit) *vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabilis cohærentis oſtenditur, quando in Euangelio tunica Domini Ieſu Chriſti non diuiditur omnino nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti quis ipſam potiùs indueret, integra veſtis accipitur, & incorrupta atque indiuiſa tunica poſſidetur. Loquitur ac dicit Sapientia diuina: De tunica autem quia de ſuperiore parte non conſutilis, ſed per totum textilis fuerat, dixerunt ad inuicem: Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de ea cuius ſit. Vnitatem illa portabat de ſuperiore parte* * *venientem, id eſt de cælo & à Patre venientem; quæ ab accipiente & poſſidente ſcindi omninò non poterat, ſed totam ſemel & ſolidam firmitatem inſeparabiliter obtinebat. Poſſidere non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit ac diuidit Eccleſiam Chriſti.*

* Non, Patre: vt legit Pamelius.

Et verò Eccleſiam, Chriſti veſtem eſſe, ipſemet docere dignatus eſt. Referunt enim Eccleſiaſtica monimenta, cùm Petrus Alexandrinus Epiſcopus in carcere pro fidei aſſertione vinculis conſtrictus iaceret, noctu eidem Chriſtum Dominum apparuiſſe, veſte diſciſſa, cauſamque rei ſciſcitanti dixiſſe, Arium eam dilaceraſſe: ſubindeque monuiſſe, tum ne ipſe eum reciperet: tum Achillæ & Alexandro Presbyteris pro eodem Ario deprecantibus, qui ipſi Petro in Epiſcopatu ſucceſſuri eſſent, omninò præciperet, ne vnquam illum in Eccleſiam admitterent quam foret ſceleſtiſſimè conſciſſurus. Vnde intelligimus Eccleſiam ipſam Chriſti eſſe veſtem, * & qui eam diuidit ipſius Domini (quam milites diſrumpere non auſi ſunt) ſcindere tunicam: Scindit verò non tantùm qui

Vide acta ipſius Petri Epiſcopi & Martyris apud Surium 25. Nou.

* Ita docent etiam S. Baſil. orat. in Mammetem Martyrem (Lingonenſis Eccleſiæ tutelarem) necnon S.

falsis dogmatibus & schismatibus eam diuidit ac conturbat: verùm etiam qui eius ordinem inuertit, disciplinam conuellit, statum innouat & transmutat. Ecclesiæ enim vnitas maximè in duobus consistit, nempe in fidei identitate & ordinis ac disciplinæ conformitate: sicut scribit S. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 63. insinuans in confessione veritatis *& antiqui Ecclesiæ status* propagatione, ipsam subsistere* Ecclesiæ compaginem, quam qui scindit in vno, æquè ac qui in altero, fit impietatis reus. Vnde eos qui Ecclesiæ fidem falsis doctrinis labefactare nituntur, Nadab & Abiu similes esse ait, alienum ignem ad altare Dei afferentes: qui autem ordinem Ecclesiæ & disciplinam nouis conatibus concutiunt, Chore atque Hieroboam censet non dissimiles, qui ambitu suo veteris Synagogæ statum ac politiam tentabant subuertere. *Et verò Christi Ecclesia vt hæreseon satores potenti semper dextra compressit: sic & suæ disciplinæ aut status vel temeratores vel immutatores graui animaduersione, insigniq; seueritatis exemplo semper coercuit. Certè ipsis ferè in religionis Christianæ primordiis Victor summus Pontifex & Martyr, Asianos Episcopos solemni anathemate percussit, non quòd in dogmate errarent, sed quòd in ritu & ceremonia ab Ecclesia Romana proteruè discreparent: non enim Pascha die Dominico, vt Apostolorum Principes tradiderant, & sedes Apostolica obseruabat, sed decima quarta Luna qualibet die curreret, post vernum æquinoctium, iuxta Hebræorum morem contendebant celebrandum esse. Quapropter cùm nec Pontificiæ censuræ cederent, Concilii Niceni protoœcumenici sententia,* vt vnitatis Eccle-

Gregorius lib. 6. ep. 4. paulò post med. & S. August. epist. 50 ad Bonif. citans illud Psalm. 21. contra Donatistas; *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

* Sic sanctus scribit August. epist. 167. ad Donatistas exhortatoria. *In Cathedra vnitatis, Deus posuit doctrinam veritatis.*

* Idem lib. 4. cap. 43. sub finem.

Euseb. Cæs. lib. 5. hist. Eccles. ca. 22. & seqq. Optat Mileuit. lib. 2. cont. Parmenian. S. Aug. epist. 165.

* Non extat inter vulgatos Cano-

ſiaſticæ temeratores damnati ſunt. Hos autem & hoc nomine acerbè perſtrinxit Conſtantinus Magnus epiſtola ad quaſcumque Eccleſias, quam Euſebius Cæſarienſis lib. 3. vitæ eiuſdem Imperatoris exſcribit. Sic enim ibi fatur pius ille Auguſtus. *Illud autem inſuper conſiderandum venit in re tanta & tam ſolemnibus religionis noſtræ ferijs, diſſenſionem extare aliquam longè eſſe impiiſſimum. Vnam namque nobis libertatis atque redemptionis noſtræ diem, ſanctiſſimę ſcilicet paſſionis ſuę Saluator noſter dedit. Vnam eſſe Catholicam ſuam Eccleſiam voluit: cuius tametſi partes in multis varijſque ſuis diſperſę locis, vno tamen ſpiritu, hoc eſt diuino arbitrio fouetur.* Subindicans Eccleſiæ vnitatem non modò in dogmatibus, * ſed etiam in ritibus eſſe ab omnibus & vbique inuiolabiliter ſeruandam, quam qui tantiſper concuſſerit, impietatis notam non dubiùm ſit incurrere. Porrò non modo qui ritus Eccleſiaſticos innouant, ſed qui ſtatum Eccleſiæ quouis modo impetere & demutare ſtudent, priſci Pontifices dignos cenſuerunt grauiſſima animaduerſione. Tædioſum equidem foret plurima exépla quæ id inſinuent, hîc congeſta recenſere. Verumtamen duo idipſum comprobabunt, cætera inter longè inſignia I. Vitalianus Papa Theodorum * quemdam natione Græcum ob doctrinæ & ſanctimoniæ præſtantiam creauerat Cantuarienſem Archiepiſcopum, atque à ſe conſecratum in Angliam tranſmiſerat munere credito quantòcyus perfuncturum. Hic verò vbi in inſulam appuliſſet, mox operi manum admouens, ſtrenuè quidem ſuſceptum * officium adorſus eſt: ſed quò ſedis ſuæ prærogatiuam efferret, moderationis anteceſſorum nonnihil oblitus, prætextu Hierarchiæ Anglicanæ in melius componendę, & populi

nes Concilij: at ex huius ſanctionibus, poſt decreta de fide fuiſſe præcipuam teſtantur Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant. & S. Athanaſ. in epiſt. de Synodo Ariminenſi.

Extat etiam apud Niceph. lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 25.

* Inter Canones Romanorum ad Gallos Epiſcopos, iuxta quæſtiones ab illis propoſitas tranſmiſſos, ſub Pontificatu Zachariæ, ſextus qui cenſetur ſic inſcriptus eſt: *Quod per omnes Eccleſias vna debeat eſſe traditio & diſciplina.* Hac autem cõſtat verborum ſerie. *Catholicorum Epiſcoporum vnam confeſſionem eſſe debere Apoſtolica diſciplina compoſuit. Si ergo vna fides eſt, manere debet & vna traditio. Si vna traditio eſt: vna debet diſciplina per Eccleſias cuſtodiri. Diuerſis in regionibus quidem eccleſiæ ſunt condita, ſed per omnem mundum vnitate fidei Catholica vna eſt appellata. Nam & ſic legimus vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt genitrix mea.*

* Commentarius de Præſulibus Angliæ ex regni monimentis concinnatus.

& populi solatio, Religionisque decori ac incremento prospiciendi, in fines Prouinciæ Eboracensis, suâ plurimùm amplioris, nouas Cathedras Episcopales erigere cœpit, dissectionem aliquarum sedium aggressus, vt ex earum detrimento recentes constitueret. At Vvalfridus sanctissimus Eboraci Præantistes*, ratus non tam in suæ Ecclesiæ iniuriam nouum hoc facinus redundare, quàm in totius Ecclesiæ (cuius antiqui status immutatione & ordinis ac disciplinæ concussione id Theodorus conabatur) scandalum vertere: mox Romam progressus, graui depositâ apud Sedem Apostolicam querelâ supplex interpellauit Agathonem Pontificem, ne priscum Ecclesiæ Anglicanæ statum nouo Theodori Cantuariensis ambitu & conatu labefactari pateretur: sed vindex paternarum insurgens sanctionum, scissuram Prouinciæ Eboracensis, quam inconsultò & temerè Cantuariensis Præsul pertentauerat, prouidè impediret. Quâ iustâ querimoniâ sic Agatho Papa percitus est, vt posthabitâ Theodori Cantuariensis Metropolitæ, quam impensè literis suis Synodicis* ipsemet commendauerat, sanctitatê, illum acri aculeatóque rescripto obiurgauerit, nisique à nouæ intentionis prosecutione cessaret, detrusionem ab ordine, atque à sacris præcisionem eidem comminatus fuerit: dignum hac coercitione asserens, qui non modò statum Hierarchicum peruerteret, sed & veterum Episcopatuum scissurâ, & noua recentium constructione, scandala excitaret, motus cieret, vnitatem Ecclesiæ, quæ in ordine viget inconcusso, dissolueret. II. Nec aliter contigit Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano sanctissimo, qui post summos, pro pietate & iu-

* Hic Theodorus colitur ab Ecclesia annuis sacris die 19. Septemb.

* Sanctitatis quoque titulo in Ecclesia celebris est 4. id. Octob. vt Molan notauit in addit. ad Vsuard.

* Leguntur act. 4. Sextæ Synodi.

ſtitia tuenda, exantlatos labores, cùm iam pacificè ſederet & Pontificio eximio fungeretur, amplificandæ Eccleſiæ ſuæ dignitatis ſtudio affectus, Bulgariam ſibi ſubigere & illic ſuffraganeam ſedem conſtituere, ordinatô perperam Theophilactô Antiſtite * aggreſſus eſt: cùm nihil hac in regione iuris eius deceſſores ſibi hactenus vendicaſſent. Illa enim Prouincia operâ cuiuſdam captiui ad fidem Chriſti conuerſa, Protopaſtores ſacroſque miniſtros à Nicolao PP. anno 866. receperat, eiuſque crepundiis promouendis Eccleſia Conſtantinopolitana, nihil prorſus operæ contulerat. Quamobrem nec illius Patriarchatui vnquam obnoxia, ſed Romanæ ab initio Eccleſiæ iuri & clientelæ immediatè addicta fuit. Verùm Ignatius arbitratus ſe nouellæ huius Eccleſiæ, quæ Bizantinæ adeò propinqua erat, (nam Bulgaria, non obſcura Europæ Regio, Miſiæ ſuperioris eſt pars, inter Seruiam, Valachiam, & Thraciam, cuius Metropolis eſt Conſtantinopolis, ſita) ſubiugatione; ſedi ſuæ non minimum auctoritatis & decoris comparaturum fore incrementum: quò ſpecioſiori potuit pietatis obtentu, niſus eſt hanc ad ius ſuum traducere; exponendo quod niſi ſolio Bizantino hæc Eccleſia ſubiaceret, opportuno ſolatio & præſidio deſtitueretur, quo maximè ipſa adhuc paruula & exilis indigeret. Verùm iam indita erat enaſcenti huic Eccleſiæ forma, à Romana omnium matrice, quæ educatores ipſi ſolertiſſimos præfecerat: inter quos Grimoaldus illic ab Hadriano Pontifice maximo miſſus ad prædicandum Euangelium, & cunabula religionis fouenda, Apoſtolicis virtutibus eminebat: * Quem cùm Theophilactus ab Ignatio Epiſcopus ordinatus, il-

* Alius is fuit ab celebri illo ſcriptore, ſancti Ioan. Chryſoſtomi imitatore ac abreuiatore, qui Bulgarorum quoque Epiſcopus fuit tempore Alexandri Papæ 2. & Romani Diogenis Bizantini Cæſaris anno circiter 1070. vt euincit Baron. ſub an. 1071. ex eiuſdem Theophilacti Epiſtola.

* Sanctis aſcriptus eſt, proprio natali ſacris in diptychis inſignis 3. Kalend. Octob.

lucque cum copioso sacerdotum cœtu transmissus, non veritus fuisset expellere : schisma sic in Bulgaria ex noui Episcopi designatione, prioris expulsione, status sacri immutatione, contesserationis Constantinopolitanæ cum Romana Ecclesia non minima læsione, vnitatisque sacrosanctæ temeraria concussione infaustè prorsus conflatum est. Protestabatur tamen Ignatius se Sedi Apostolicæ, vt semper fecerat, inuiolabiliter adhærere, nihilque magis optare quàm in omnibus Pontificis summi gratiam promereri, eique quantùm fieri posset obsequi : at hac in causa, se Ecclesiæ suæ iura tueri, quæ proprio etiam cum dispendio defendere Pontificali sacramento obstrictus esset. * Cæterùm Romani Hierarchæ, Pastores Ecclesiæ supremi, vnitatis Ecclesiasticæ vertices ac vindices perpetui, nihil his excusationibus detulerunt: at Ignatium, quamuis factis eiusmodi, obducta facie æquitatis, noua molientem, moremque gerere detrectantem, seuerissimis obiurgationibus ac comminationibus coercuerunt. Siquidem Hadrianus prælibatus Pontifex Legatorum Ignatij postulata, de dispensando cum Photianis malè promotis, iusta percitus indignatione admittere noluit, grauiter conquestus de ipso Ignatiò, quòd Bulgaris Antistitem ordinare quin & transmittere præsumpsisset: insuperque dira minatus, ni properè saniora consilia sectaretur, & maturè ex interpellato itinere rediret. At acerbiùs egit cum ipsomet Ignatio Ioannes 8. eiusdem Hadriani successor: destinatis siquidem in Orientem Eugenio Ostiensi & Paulo Anconitano Episcopis ad visitandam auctoritate Apostolica Ecclesiam Constantinopolitanam, acres omninò literas

* Vide gloss. not. in c. Conuenior. 32. q. 8. & c. Augustino 12. q. 2. & gloss. in c. auctoritate 15. q. 6. Nec tantùm iura Ecclesiæ suæ tueri debet Episcopus, sed salua iustitia eadem augere ac promouere tenetur, exemplo tutoris: vt ex sacris docet Canonibus & Iurisperitorum placitis Reuerendiss. Antonius Episcop. Montis Marani, Manual. Pastor. ca. 75.

Ioan. 8. PP Epist. 68. 80. & 81.

ad ipſum Ignatium dedit, quibus eum grauiter, cùm ob occupatam Bulgariæ Diœceſim, immutatamque nouæ huius Eccleſiæ formam reprehendit, tum excommunicationem & depoſitionem à Patriarchatu denunciat, niſi intra triginta dierum ſpatium inde reuocaret omnes Epiſcopos & Sacerdotes, quos eò miſiſſet; & ab omnimoda eiuſdem Prouinciæ deſiſteret Eccleſiaſtica adminiſtratione. Obiit verò antequàm iuſſa impleret Ignatius Patriarcha: qui licet ſanctitate * & miraculis eſſet inſignis: tamen ſi ita iubenti Pontifici ad extremum refragatus fuiſſet, nunquam ſacros poſt tranſitum honores fuiſſet conſecutus, nec ſacris diptychis adſcriptus: ſed exors à communione Sanctorum etiamnum cenſeretur, cùm ob denegatam ſummo Eccleſiæ Præſidi obedientiam, tum ob turbatam in re tantilla ipſius Eccleſiæ pacem. Verùm benè eſt quod Stylianus Neocæſarienſis Metropolita cum collegis ſuis in Epiſtola ſcripta ad Stephanum 4. Pontificem, qua rerum geſtarum aduerſus Photium hiſtoriam texit, ſanctè affirmat atque conteſtatur, Legatorum Apoſtolicæ Sedis Pauli & Eugenij aduentum Conſtantinopolim, contigiſſe poſt obitum ipſius Ignatij: ſic enim neceſſariò oportuit, ipſum, antequàm literas percepiſſet ab eis peremptorias excommunicationis, iam ex vita migraſſe: proindeque haud incidiſſe in eiuſmodi ſententiam, vnde in Martyrologio Romano perhibetur *in pace quieuiſſe*. Et quidem miraculis vt in vita emicuit, ſic poſt mortem refulſit. Id verò quamuis comprobet ob litem hanc, Ignatium non animô fuiſſe in Sedem Apoſtolicam infensô, ſed minimè mala intentione, zelo tametſi feruentiori quàm diſcreto, quæ

* Colitur à Græcis & Latinis die 23. Octob.

commemorata ſunt errata admiſiſſe: tamen ſeuera hæc qua vſi ſunt Summi Pontifices in eum animaduerſio & cenſura, apertè prodit non leue piaculum ab illis creditum fuiſſe (etiam citra fidei iacturam) ſtatum Eccleſiæ, receptumque vſu ordinem interuertere: nouôque quouis conatû, Eccleſiaſticæ vnitatis & pacis perturbare harmoniam. Cæterùm duo hæc exempla Theodori Cantuarienſis & Ignatij Conſtantinopolitani Antiſtitum ſanctiſſimorum, inque Cælitum album publico Eccleſiæ iudicio relatorum, hac in diſſertatione, præ cæteris recenſione digna exiſtimauimus, quoniam ſi Summi Eccleſiæ Præſides, ob leuia quæ videntur à duobus his beatis pertentata, non in fidem, non in doctrinam Catholicam, ſed duntaxat in ſtatum & diſciplinam Eccleſiaſticam molimina, adeò acriter in illos ſanctimonia inſignes, miraculis conſpicuos, Præſules, de ipſa Eccleſia aliàs benemeritos, animaduertere non dubitauerunt: certè inficiandum non eſt, multò acerbiùs acturos fuiſſe cum aliis, qui ſimilia, vel grauiora emoliri præſumpſiſſent: ſi enim *in ligno viridi hæc facta ſunt, quid in arido* fieri potuiſſet? Etſi iuſti illi ob tunicam Domini non dilaceratam, ſed paululùm diſtractam, & Eccleſiaſticam non quidem violatam, ſed tantiſper concuſſam vnitatem, diſtricta adeò coercitione perculſi ſunt, vt parum abfuerit quin gradu ſacro detruſi & anathemate percuſſi fuerint: non mirum eſſe debet ſi Summi illi Eccleſię Paſtores extremæ ſeueritatis exempla in eos ſemper exeruerint, qui ipſam Domini veſtem diſcerpere, Eccleſiæ vnitatem diſſoluere, quouis modo machinabantur. Rectè enim intelligebant ſapientiſſimi illi Pontifices, Eccleſiaſticæ com-

munionis vinculum & sacri regiminis fulcimentum, ipsa in vnitate situm esse: * proindeque hâc laxatâ totam Ecclesiam titubare, dissolutâ corruere Vnde sicut in statu politico qui pacem communem perturbat, hostis publicus habetur, atque statuendi exempli gratia à magistratu in eum seueriùs animaduertitur. Sic sanè in Ecclesiæ statu & disciplina, qui compaginem vnitatis è qua pendet totius spiritualis Reipublicæ salus, aliquomodo dissoluit, vel paululum exagitat, reus impietatis iudicatur, grauissimáque dignus habetur vltione & censura. Ideóque Paulus Apostolus, qui pro Iudæis Christi crucifixoribus tanto zelo exarsit, vt anathema fieri à Christo pro ipsis exoptaret: pro ijs tamen qui Ecclesiam apud Galatas perturbabant, nunquam rogare voluit, sed væ illis & excidium imprecatus est. *Vtinam*, inquit, *abscindantur*, (id est de corpore Ecclesiæ præcidantur, vel è libro vitæ deleantur & à Christo repudientur prorsus) *qui vos conturbant*. Gal. 5. 12. Nempe quia scissuris, quas in Ecclesia excitabant, fidelis populus, mutuis vti dilaceratus conflictationibus, consumebatur, & sic à salute, quæ sine charitate assequi non potest miserè excidebat. Hanc ob rem Apostolorum discipuli diuisionem plurimùm exhorruerunt, atque eamdem vt fugerent, proto-Christianos sedulò docuerê. Ignatius autem Martyr, cùm in omnibus ignitus, tum maximè eo in exhortationis genere feruentissimus spiritum illum Apostolicum affatim prodidit. Cuius ad Philippenses scribentis, præclara hæc erant documenta. *Vt filij lucis, id est veritatis, fugite diuisionem vnitatis, vt capitale malum.* (Nempe quia gregis Christiani hinc passim emergit excidium.) Ex ad-

* Petrus Blesensis epist. 78. ad Decan. & Capit. S. Saluat. Blesen *Testimonio Propheta bonum est & iucundum habitare fratres in vnum. Sed non est in vnum habitatio vestra, nisi sit in vobis communiter vnio voluntatum. Vos quibus vnicum & præcipuū votum est initiatæ Ecclesiæ videre profectum.* CERTISSIME NOVERITIS QVOD NONNISI PER VNITATEM HABITVRA EST INCREMENTVM. *Recolamus Ecclesiæ nascentis infantiā, & videbimus quod* AB VNITATE ORTVM HABVERIT ET PER PROGRESSVM: IN VNITATE ETIAM COMPLEBITVR *Nam in cubito vno consummata est arca: vnus spiritus, vna fides, vnum baptisma, hæc tria Ecclesiam fundauerunt in eo de quo scriptum est: audi Israel, Deus tuus vnus est.* PROFECIT ETIAM IN MELIVS BENEFICIO VNITATIS, &c. *Habeatis igitur vnitatem spiritus in vinculo pacis. Nec enim inueniri potest forma expressior cōuersationis Angelicæ quam vnitas socialis.* Rom. 9. 3.

uerſo autem vnitatem ſalutarem, qua fideles connexos eſſe decet, mirificè commendabat: ex eius ſiquidem pectoris ſacrario hæ erumpebant zeli perfectæ vnionis ſcintillæ. *Omnes in idem vna oratione conuenite, vna deprecatio communis eſto, vnus animus, vna ſpes in charitate, in fide immaculata in Chriſtum Ieſum, qua re nihil præſtantius eſt. Omnes quaſi vnus ad templum Dei concurrite, * ſicut ad vnum altare, ſicut ad vnum Ieſum Chriſtum Pontificem.* Quâ ex aurea planéque Apoſtolicâ ſententia facile eſt elicere, vnitatem Eccleſiæ intrinſecam in fidei puritate, ſpei communione, charitatis mutuo nexu conſiſtere: Extrinſecam verò in ordine & diſciplina ſitam eſſe, ſtatuque myſtico qui extra cernitur declarari: cùm nimirum fideles vno quaſi ſpiritu vegetati, vno animo conſpirantes, fideque vna immaculata copulati, ſpe vna viua excitati, vno charitatis ardore inflammati: deuotione mutua, in communem orationem concurrunt, vnum in templum conueniunt, vnum ad altare accedunt, vnum Pontificem, qui Chriſtum Ieſum repræſentat, ſuſpiciunt & ſequuntur. Hinc verò liquet Sacramentum vnitatis quo compacta eſt religio Chriſtiana, quo conſecrata eſt Eccleſia Catholica, * omnem dualitatem reſpuere: vtque vnam fidem, vnam ſpem, vnam charitatem colit & retinet; ſic non plus quàm vnum Pontificem vno in populo recipere, vnum templum, vnam aram, proindeque vnam nec geminam admittere Cathedram. Porrò cùm S. Ignatius Apoſtolorum præcipuus auditor, vnitatem in omnibus quæ religionis ſunt, deprædicat ac commendat; rationem eximiam ſubiungit, cur eam tam ſtudioſè requirat ac ſuadeat. Nempe inquit (cùm hac in Epiſtola, tùm in

Epiſt. 1. quæ eſt ad Magneſian. paulò ante medium.

* Idem docet S. Clemens lib. 2. Conſt. Apoſt. cap. 59. 60. 61.

* Iſa. 19. 18. *Ciuitas Solis vocabitur vna.*

eâ quæ ad Polycarpum suprà laudatur) *quia ipsa vnitate nihil præstantius, nihil melius est.* Vnitas enim præter id quod Dei expressum symbolum est: quoniam sicut fons & origo est omnium numerorum, ita Deus rerum est omnium principium. Vtque Vnitas numeros omnes pares & impares, ipsa neque par neque impar sua simplicitate complectitur: sic Deus res omnes sua impartibili claudit & continet infinitate; ac sicut Vnitas ab infinita numerorum serie distat in infinitum, licet omnes numeri ab ea oriantur & in eam recurrant & terminentur; sic prorsus distat Deus à creaturis. Quamobrem Iamblicus egregiè dixit: Omnia ex Deo ita sunt, vt nusquam vel minima quæque deserantur à Deo. Vbique enim diuina viget Vnitas, per quam res quæque consistunt, ac perpetuo quodam, intimoque circulo ad Deum ipsum, à quo & in quo sunt, mirabiliter reuoluuntur: alióqui in nihilum properè proruerent. Ab vnitate diuina cuncta prodeunt; prodeuntiáque, vnitatem quamdam ipsis impressam retinent, diuinæ vnitatis imaginem, qua & reuocantur in illam, & reuocata perficiuntur. Hæc ille. Quæ & Plato testatur in Parmenide, per Vnum intelligens esse diuinum, in quo omnia vitam habent tanquam rami in radice. Cui Philosophicæ sententiæ consonat Ecclesiastica auctoritas cap. 33. q. 5. ca. hæc imago, vbi legimus Vnitatem Dei in nobis repræsentare similitudinem. Vt sicut à Deo omnes per creationem; sic ab homine vno per propagationem.* Præter hanc inquam Vnitatis cum Deo analogiam, certè totius perfectionis & excellentiæ Vnitas ipsa est tessera & figura. Est etiam Angelicæ gloriæ imago, vt notat Nazianzenus, quoniam quilibet

* Act. 17. 26. Ad quem locum S. August. respiciens lib. 12. de Ciuit. c. 21. & 26. notat, Deum ex vno homine omnes e-

Angelus

manare voluisse, vt vinculum necteret concordiæ & societatis commendaret vnitatẽ.

Angelus primæ illius hoc est diuinæ vnitatis fert radium: quilibet enim simplex est, nulla compositione concretus, nulli solutioni obnoxius. Insuper totius boni simulachrum est Vnitas: vnde & Sapientes vnanimiter censuerunt, ab Vnitate, quaslibet res in se habere bonitatem suam, imò ad esse deduci, & per eam in esse conseruari. Item ab Vnitate generari virtutem, in Vnitate veram esse requiẽ, in Vnitate summam esse perfectionem. Quamobrem & in sacris literis semper laudabiliter ponitur, & quicquid perfectum est, ipsa Vnitate perfectum esse astruitur. Imò Christus venit vt nos vocaret ad Vnitatem, in hac sitam esse docuit consummationem, hoc est felicitatem nostram ad hanc redegit Ecclesiam suam, cælestis aulæ imaginem: *Quoniam*, inquit, *nihil potest facere Filius, nisi quod viderit Patrem facientem*: quibus verbis, vt notat S. Bernardus, se Ecclesiam suam efformare innuit ad typum Hierarchiæ cælestis, implens illud quod Moysi dictum fuerat, *Fac sicut tibi in monte monstratum est.* Hincque Patrem obsecrans ex intimis dicebat, in suæ procinctu passionis: *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Et ego in eis & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Ibidem etiam insinuans se ad hoc venisse, vt omnes electos vnum in corpus coaptaret, & in vnitate summa perficeret, sanctificaret ac bearet: *Vt omnes*, inquit, *vnum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, vt ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quia tu me misisti.* Nempe quia vt ab effectu cognoscitur causa & ab opere opifex, sic ab vnitate perfectè instaurata, * verbi Dei in-

Ioan. 5. 19.

De Consid. lib. 3. cap. 4 sub fin.

Exod. 25. 40. Heb. 8. 5. Act. 7. 44.

Ioan 17. 22.

Vers. 23.

* Isa. 27. 12. *Congregabuntur vnus & vnus filij Israel, & erit in die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, & qui electi erant de terra Ægypti, & adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem.* Ioan 11. 52. *Iesus moriturus erat pro gente,* (Iudæorum) *& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei dispersos colligeret in vnum.* Ephes. 2. 14. *Ipse est pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, &c. legem mandatorum euacuans, vt duos condat in se-*

metipſo, in vnum nouum hominem, faciens pacem : & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem ijs qui propè, quoniam per ipſum habemus acceſſum, ambo in vno ſpiritu ad Patrem. Rom. 5 *Si vnius delicto, mors regnauit per vnum : multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur, ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ* Hebr. 2. 11. *Qui ſanctificat & qui ſanctificantur ex vno omnes.*

carnati emicat virtus, hincque eius proditur aduentus: quia vindicatæ vnitatis myſterium ſolius Dei vnigeniti, dilapſum hominem reparantis, proprium opificium erat. Quapropter omnem noſtram ſalutem in vnitate Seruator ipſe concluſit, & qui vnam voluit eſſe & dici Eccleſiam, extra eius vnitatem, à quoquam noluit ſperari poſſe ſalutem. Hinc ſtatæ & fixæ Canonicæ leges. *Extra vnitatem Eccleſiæ, non poſſe*
Ioan. 10. 16. *haberi gratiam Dei*, quæ propriè donum eſt Catholi-
Luc. 10. 41. cæ vnitatis. 1. *qu.* 1. *multæ. Item nec peccatorum remiſſio-*
Matth. 18. 17. *nem* 1. *qu.* 1. *remiſſ.* Item *nec vitam ſpiritualem* 11. quæ. 3. nihil. Cum extra Eccleſiam nihil proſit *ipſa ſpiritualis poteſtas* 7. qu. 1. factus. cap. Nouatianus in fine. Item *nec Sacramentorum perceptio* d. 7. q. 1. ſcire 24. qu. 1. ca. quicumque, & can. pudenda. Item *nec miraculorum operatio* 1. qu. 1. ca. teneamus. Denique *nec ipſa Martyrij ſuſceptio* d. 90. ca. neque ad Cain. Porrò è contra in Vnitate hæc omnia proſunt ad ſalutem. Docent verò ipſæ Canonicæ ſanctiones Eccleſiaſticam hanc vnitatem conſiſtere, *in fidei integritate, & ſacramentorum Chriſti communione*, de Conſec. d. 4. ca. *eſt vnitas.* Item *in multorum membrorum per dilectionem coniunctione, & cum Apoſtolicis Pontificibus connexione*, Ibidem c. *ſchiſma.* * Cæterùm vt vnitas Eccleſiæ in his tribus conſiſtit nexibus. Sic & Eccleſia in ipſa triplici vnitate conſtat: ſicut Anima quæ tribus potentijs ſuffulta; vnâ tantùm eſſentiâ prædita eſt, quod & Philoſophi cenſuêre, Animæ ſimplicem eſſentiam docentes, mo-

* Ideò Optatus lib 2. contra Parmenian. à principio per aliquot paginas docet, veræ & vnicæ Eccleſiæ dotem primam & præcipuam eſſe Cathedram Petri

nade expressam, ternario verò triplicem eius potentiam adumbratam, quæ vnitatis substantialis vinculo constricta, & connexa, facit vt Anima, imago diuinæ gloriæ, sit Trina & Vna. Id verò ipsa Vnitate rursus insinuatur, quæ cùm sit omnis numeri origo, virtutemque in omnes numeros suam & diffundat & in se retineat, manet nihilominus indiuisa simul & simplex. A se enim perfectissima & absolutissima sicut nihil imperfecti admittit, ita nullam sectionem aut diuisionem recipit, sed est instar puncti quod prorsus indiuiduum, & vt ita dicam, insectibile est. Sic verò Anima à Deo Vna edita est, vt incorruptibilis esset: & Ecclesia (cuius in sacris literis Anima ipsa typum præfert) mystica vnitate informata est, vt foret inuiolabilis. Quapropter hæretici & schismatici qui Ecclesiæ Vnitatem soluere nituntur, Christum, qui vnus omninò est, & in quo & per quem Ecclesia itidem est Vna, quantùm in ipsis est soluere, eiusque tunicam inconsutilem scindere asseruntur *extr discipulorum, de celeb. Missar. int. com*. Et peccare dicuntur contra Symbolum, *c.* 1. *de schismaticus l.* 6. quia in symbolo Ecclesia Vna esse astruitur: est enim Vnitas vera eius forma & tessera, qua excellentiam eius Spiritus sanctus in Canticis, sub sponsæ nomine magnificè deprædicat: *Sexaginta*, inquit, *sunt reginæ & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ* (est enim Ecclesia filia diuinæ gratiæ) *electa genitrici suæ. Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum Acies ordinata.* Quo triplici symbolo mirificè perfectissimam Ecclesiæ vnitatem Dei spiritus significat Triplicem enim vnitatem Ecclesiæ Theologi cùm referant, nempe

quæ Romæ est. Proindeque Donatistas ad Ecclesiam veram non pertinere astruit, quia non essent coniuncti cum Siricio Petri successore Idem sentiũt de quibusuis schismaticis S. Cypria. lib. 1 ep. 3 & lib. 4. ep. 8. S Hieronym. in epist. ad Damas. de nomine hypostasis, S Aug. epist. 162. & in Psal. contra part. Donati. aliique Patres alibi. Quorum dicta, egregiá hac sententia S. Leo mirificè expressit & complexus est, ep. 89. ad Episcopos Viẽnensis Prouin. *Euangelij sacramẽtum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet: vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.*

Cant. 6. 8.

NOTA.

Fidei, Charitatis & Obedientiæ: Luna fidem, Sol amorem, seu charitatem; Acies ordinata obedientiam præclarè insinuat. Luna fidem, quia in tenebris lucet: Sol amorem, quia miro ardore feruet; Acies ordinata obedientiam, quia sub vno duce militum aggregata multitudo, dum illi adhæret & obsequitur, inuicto robore præstat, atque eximio prorsus emicat decore. Ista verò tria vnitatis Ecclesiasticæ symbola, ipsam Vnitatem sigillatim continent ostenduntque: Luna enim est omnino vna*: Sol, quasi solus dicitur, quia & vnicus. Acies verò vna est, quia in vnum collecta, sub vno capite micat ac militat, pulcherrimè ordinata. En vt Spiritus sanctus Ecclesiam tripliciter vnam & simpliciter trinam triplici imagine depingit: quam vt expressiùs innuat sua hac mirabili vnitate consistere, perenniter Vnitatis nomine ac typo deprædicat. Siquidem in Matthæi Euangelio eam assimilat, *vni agro, vni vineæ, vni thesauro abscondito, vni naui, vni sagenæ, vni margaritæ*. Apud Ioannem verò similem esse docet *vni ouili*, cui præeminet *vnus Pastor*. Porrò apud Paulum eamdem *vnum ædificium, vnum templum, vnum corpus* appellat. Cæterùm in Apocalypsi eam sub vnius Ciuitatis, nempe Ierusalem supernæ & gloriosæ, typo delineat. Notatu verò dignissimum est quod hanc cominus B. Ioannes spiritu ad superna euectus perlustrans, in illa geminam minimè Cathedram viderit, sed *thronum vnum*, seu *sedem** in meditulio vnicam conspexerit; *Deo & agno paratam*. Id enim non tantùm demonstrat vnum illic esse Regem & Dominũ: sed insuper binarium, vt pote diuisionis numerum ipsi Deo inuisum esse: proindeque cælesti regno penitùs exclusum; in quo cùm

* Petrus Blesens. epist. 8 causas cur passim in sacris oraculis Ecclesia sub Lunæ typo adumbretur eleganter insinuat.

Matth 13. 14. & 44. 45 46. & 47.

Ioan. 10. 16.

Ephes. 2. 21.

2. Cor. 6. 19.

Rom. 12. 15.

* Apoc. 4. 2. *Sedes posita erat in cælo & supra sedem sedens.*

pax ſit ſumma, ſic Vnitas eſt perfecta. Quapropter ipſa ſuperna ciuitas *vnico* dicitur *fluuio irrigata*, *vnicâ lucernâ* illuminata, *vnâ plateâ* eáque aureâ adornata, *templo vnico*, nempe Deo ipſomet, in quo gloriatur & quieſcit, inſignita. Igitur vniuerſa cæleſtis illius ciuitatis felicitas, ac omne decus, in Vnitate conſiſtit. Nec mirum eſt ſi militantis Eccleſiæ, quæ triumphantis eſt effigies, * ſtatus, ipſi Vnitati innixus eſt, à qua & omnis eiuſdem dependet ſalus: ſi enim Eccleſia non eſſet vna, nec vera eſſet, nec Catholica, neque Apoſtolica. Eſt ſiquidem de ratione Entis vt Vnum ſit, aliàs nec Verum nec Bonum eſſe poterit. Ideóque arbitror verè priſcos Sápientes cenſuiſſe, qui tùm rem propriè dici bonam atque perfectam docuerunt, quando vna ſit; & in ſe habere bonitatem ſuam per Vnitatem, qua ſuum eſſe ſuſcipit. Tamdiù eſt enim quicquid eſt, quamdiù Vnum eſt; cùm autem deſinit eſſe vnum, & id quod eſt eſſe deſinit, vnde hoc eſt. Forma quippe haud tenet vnitatem cum materia, niſi Vnitas adſit. Materia autem non habet eſſe, niſi per vnionem ſui cum forma: cùm ipſum hoc eſſe nihil aliud ſit quàm exiſtentia formæ in materia. Quo fit vt deſtructio rei non aliud ſit quàm formæ à materia ſeparatio & receſſus: & è contra rei productio & perfectio ac conſeruatio, nihil aliud ſit quàm conſtans formæ cum materia coniunctio & vnio. Eccleſiæ verò pro forma Deus vnitatem indidit Fidei, Charitatis, & Ordinis. Proindéque ſi hac vnitate deſtitui Eccleſia poſſet, tunc ſuâ formâ careret, ſícque diuiſa decideret & periret. Et ea eſt ratio, cur non hi tantùm qui fidem corrumpunt, vel qui charitatis connexionem, qua membra myſtici huius corporis

Apoc 20.21. & 22.

* S. Bernard. lib. 3. de conſid cap. 4. *Forma hæc quæ in terra eſt, exemplar habet in cælo.*

Ariſt Ethic. lib. 1. cap. 6.

Lege Epiſtolam 6. Zachariæ Papæ ad diuerſos Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, qua laudat illorum inter ſe, & cum Eccleſia Romana, ipſoque ſummo Pōtifice, coniunctionem. Refertur à R. P. I. Sirmondo tom 1. Concil. antiq. Gall pag 549.

inuicem copulantur, dissoluunt; hostes Ecclesiæ iudicantur: sed etiam qui ordinem & statum Ecclesiæ hierarchicum aliquomodo perturbant, membráque à capite diuellere adnituntur, Glos. in schismat. *in can. non vos 23. qu. 5.* hincque Schisma quodlibet grauissimum dicitur esse peccatum, *glos. 1. in Can. non afferamus 24 qu. 1.* schisma autem nihil aliud est quàm diuisio & scissura, *24. qu. 1. c. schisma, & glos. 1. in cap. Quia diligentia de Elect.* Quam si quis pius vir ac fidelis fugere debet: maximè Episcopus ab ea, suæ Ecclesiæ inferenda debet sedulò cauere, imò verò penitus abhorrere. Illius enim Domini typum gerit, qui se pacis ac Vnitatis præbuit auctorem, *hæreditatis* autem auitæ inter fratres *diuisorem* esse, quamuis rogatus,* recusauit. Zebedęi verò filijs *binam sedem* in suo regno petentibus denegauit: vt diuisionis omnis ac æmulationis subtraheret occasionem. Vnicam porrò Cathedram sua in Ecclesia constituit, Petróque contulit, vt indicaret Ecclesiam ipsam cælesti Vnitatis sacramento suffultam & instauratam esse. * Quamobrem semper & vbique vna esse & apparere debet. Vtque in Mosaica Synagoga ** olim vnum erat tabernaculum, vnum altare, vna arca: sic in Ecclesia Christiana vna est ara & victima, vna domus, vna specula, vna Cathedra; grex vnus, Pastor vnus, vnum corpus, vnum caput, & vt scribit S. Lucas, *cor vnum & anima vna.* Cuius vnitatis sacramentum cùm in Romana Catholica Ecclesia omnium Matre mirificè resplendeat: etiam in particularibus Ecclesijs quæ typum eius ferunt, * vt docet S. Ambrosius, oportet id ipsum enitere: sicque quamlibet vnicum & proprium Pastorem habere: vicissimque illum vna spon-

* Luc. 12. 14.

NOTA. Matth. 20. 21.

24. q 1. c. loquitur.

* Lege Arnulphi Episcopi Lexouiens. epist. 49. & binum quem de Ecclesiæ cũ Christo vnione sermonem sublimi doctrina refertum edidit.

** Exod. 24. 4. Deuteron. 18. 1. 1. Cor. 9. 13. & 10. 18 Heb. 9. 1. 2. 3. & 13. 10.

Act 4. 32.

* Lib. 3. de sacram. cap 1.

sâ, hoc est vnâ Ecclesiâ & Cathedrâ, esse contentum, aliàs violabit mysterium Vnitatis Christi sanguine consecratum, Christoque ipsi fiet aduersus, qui Vnitatis amator & auctor, *vnum* in omnibus *necessarium* esse docuit, & sic dualitatem sibi exosam & nobis exitiosam esse perspicuè demonstrauit. Luc. 10.



CAVSA QVINTA.

METROPOLITÆ HAVD EXQVIsitus consensus, Capituli verò, cuius assensum Episcopus neglexit, communis reluctatio.



INTER *beatissimos Apostolos* (scribit ad Anastasium Thessalonicensem Archiepiscopum Sanctissimus Pontifex Leo Magnus) *in similitudine honoris fuit quædam distinctio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio. Magna enim dispositione prouisum est ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Prouincijs singuli quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem.* Retinendæ enim in Ecclesia, cùm in doctrina, tùm in disciplina vnitatis, ordinisque gratiâ, sic ab ipsis Religionis primordijs constitutum est, vt quemadmodum ipsa Domini institutione inter Sacerdotes vnus præeminet Episcopus, qui Præses ac Princeps sacri cœtus habetur, cuiusque nutu & auctoritate omnia

Epist. 84.

Leoni I. succinit Leo X. in Concil. Lateran. sess. 10. *Mature, ait, quoque considerantes quod post Christi ad cælos Ascensionem Apostoli per singulas vrbes & Diœceses Episcopos distribuerunt, sicut S. R. Ecclesia per Orbẽ constituit, eosdem Episcopos in partem solicitudinis vocãdo, onera gradatim distribuendo per Patriarchas Archiepiscopos & Episcopos,* &c.

Concil. Trident. sess 23. cap 4. & ibid. tit. de sacram. Ordinis can. 6.

Ecclesiæ cui præest negotia transiguntur: Ita prorsus in quâlibet Prouinciâ vnus esset Archiepiscopus, qui sacra contesseratione ipsos Episcopos connecteret, ijsque præsideret, ac vniuersalem Prouinciæ curam gerens, communi bono Ecclesiarum * sedulô prospiceret. Rursus autem quia sub vna gente plures erant Prouinciæ; Primas vnus constitueretur, qui ipsos Archiepiscopos * in vnitate continens, totius gentis aut Regni Ecclesijs, paternæ clientelæ subsidium impenderet, generalique Ouium solicitudine (quasi Summi Pontificis vices gerens) salutem omnium promoueret, iuraque sacra & hierarchicum Ordinem ac Ecclesiasticam disciplinam quasi ex officio tueretur: sicque (vt subnectit ipsemet B. Leo) per inferiorum ac superiorum Antistitum subordinationem & concursum *ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret.*

* Concil. Nicen. 1 cap 4 & cap 6. & Concil. Antioch ca 9. & 11.

* Concil. Chalcedon. ca. 9. & can. si inter 6. qu. 4. necnon dist. 99. c. nulli. Porrò de Primatibus Occidentalibus, agit ex professo Hincmarus Remensis Archiep. epist 6 ad Remensis Diœcesis Episcopos. Cæterùm triplicis generis Primates in Galliis extitisse ex veteri vsu liquidum est. Primò siquidem erant Primates ætatis: qualem fuisse Constantium Vecticensem Episcopum, Hilarius Papa indicat epist. 8. ad Episcopos diuersarum Prouinciarum Galliæ ca. 1. vbi eum fuisse memorat æuo honoris Primatem: de quo Primatus genere plura inferiùs congeremus. Secundò dignitatis, hos scilicet quorum vel ciuitas politico in statu Primaria erat, vel Ecclesia Primatus fuerat titulo decorata à Summæ sedis Pontifice. Sic Viennensis Ecclesia iam olim Primatialis habita fuit, quamquam imperio Primatiali minimè vnquam potita sit. Tertiò potestatis, & hi in duplici erant differentia. Nam hac prærogatiua qui fruebatur, vel iure sedis propriæ hac pollebat: vt Arelatensis, quem Hincmarus in prælaudata epist. per antonomasiam *vnum* appellat *Primatem Gallicanum*, quia solus Pallium accipiebat à sede Apostolica & cæteris re & honore præeminebat ca 16. 17. 18. Vel speciali mandato Apostolici Pontificis, cuius vice pollens pro tempore, intra præfixos suæ curæ limites, quamdiu benè visum fuisset Rom. Pont. id muneris exequebatur. Cuiusmodi Primatus auctoritatem Bonifacius Germaniæ Apostolus indulto Pontificio Zachariæ Papæ legitur consecutus, apud ipsum Hincmarum loco citato ca. 20. Extat porrò ipsum diploma inter epist ipsius Zachariæ num. 8 tom. 2. epist. Decretal. Rom Pontificum. Persimile legitur rescriptum Hormisdæ PP ad Ioannem Episcopum cui vices committit suas in Prouinciis Hispaniæ, apud Grat. ca. 25. qu. 2. ca. seruatis.

Porrò vt hic ordo saluberrimus inconcussè seruaretur, Patres sapientissimi proprias prærogatiuas muneribus eiusmodi addiderunt, quibus non modò superiorum Præsulum dignitas eniteret, sed etiam potestas concessa in publicum commodum, ostenderetur. Sicut enim Episcopus qui princeps est Sacer-

dotum, ſacri honoris & poteſtatis tenet in ſua Diœceſi principatum : ſic Archiepiſcopo, qui Princeps eſt Epiſcoporum, can. Cleros *V. Archiepiſcopus, diſt.* 21. Eccleſiaſticæ præeminentiæ ac auctoritatis decus, in vniuerſa Prouincia; Primati verò in toto regno vel regione, amplioris prærogatiuæ iura & munera ſanctiſſimi Eccleſiæ Præſides contulerunt. Non autem opus eſt hoc loco ſpecialia Archiepiſcopi, propriáque Primatis iura diſtinctè recenſere : cùm in cauſa quam exequimur vtráque dignitas vni eidémque Antiſtiti inhæreat (nempe Lugdunenſi Præſuli, cui duplici iure, Metropolico ſcilicet & Primatiali ſubiacet * Lingonenſis Epiſcopus.) Nec itidem neceſſe fuerit omnia quibus vtroque titulo huic ille præeminet, iura minutim perſequi : cùm eiuſmodi enumeratio nonniſi tædium poſſet ingerere : ſat fuerit ea, quæ propoſito conferunt, ſubnectere, quibus præfixæ viſitationis, magis appareat.

De auctoritate & præeminentia Archiepiſcopi non ita diu ex inſtituto diſſeruimus in libro de præferenda Cruce cap. 2. Atque de Primatiali dignitate, Primatumque origine, numero, gradu, poteſtate toto ferè eodem libro pertractauimus.

* Notit. Imp. *Lingona ciuitas eſt Lugdunenſis prima* De qua denominatione & Lugduni Primatu in Gallia Celtica conſulendus Sirmond. in notis ad Sidonij Apoll. ep. 18. lib. 2. & 5. lib. 7.

Certe Epiſcopus dicitur Metropolitani ſui ſuffraganeus, * quoniam ipſi in Synodo Prouinciæ præſidenti non ſolùm aſſidet ſuffragióque ſuo aſtipulatur : verumtamen quia illi in ipſa cura Eccleſiaſtica, ipſoque quo fungitur hierarchico munere ſuffragatur ac ſubeſt. Etenim Epiſcopi ſuo Metropolitano obedientiam & reuerentiam præſtare debent *gloſ. obedientiæ in cap. antiqua de priuilegijs* : Eiuſque ſic obnoxij ſunt Iuriſdictioni, vt eius iudicium (niſi contra illum cauſam aliquam habeant) ipſis non liceat ſubterfugere. *Can. Metropol.* 2. *qu.* 7. Et verò vt Epiſcopi Archiepiſcopo ſubeſſe, & illi honorem ac obedientiam deferre maturè addiſcerent, Eccleſia iure antiquiſſimò conſtituit, vt nonniſi ſub Archie-

* Nicolaus I ep. ad Salomonem Britanniæ Regem. *Hæc eſt ordinatio Dei Patris tui, & hæc eſt lex Eccleſiæ Matris tuæ, vt omnes Epiſcopos Regni tui ad Turonenſem Archiepiſcopum mittere non detrectes, ipſiuſque iudicium poſtulare non dedigneris. Ipſe enim eſt Metropolitanus & omnes Epiſcopi Regni tui ſuffraganei eius ſunt.* Tum verò Synodicas ſententias ferri docet oportere, *Metropolitano ipſo præſente, primamque ſententiam obtine-*

piscopi præsidio eligerentur. Ita enim decretum legimus in 2. Concilio Arelatensi sub Leone I. can. 5. *Episcopum sine Metropolitano, vel Epistola Metropolitani, vel tribus Comprouincialibus non liceat ordinare. Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero Metropolitanus consentiat:* Et can. seq. *Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia Metropolitani constitutus fuerit Episcopus, iuxta magnam Synodum* (Nicen. can. 6.) *esse Episcopum non debere.* In Prouincia autem Lugdunensi morem hunc olim viguisse, vt Archiepiscopus * electioni suffraganeorum præsideret, testatur Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 25. qua electionem Ioannis Cabilonensis Episcopi refert, cui præfuit Patiens Metropolitanus Lugdunensis, quia, vt notat Burchardus, ex ipso Metropolico iure id oneris ei incumbebat lib. 1. ca. 24. & 25. Verùm non tantùm electioni suffraganeorum præesse, sed electos illos ordinare & consecrare, Archiepiscopis proprio iure datum fuit. *Concil. Carth.* 4. *ca.* 2. *Antiocheni ca.* 10. *&* 17. *Hispalensis* 2. *can.* 5. *Romani* 1. *can.* 5. *Taurinens. sub Siricio ca.* 1. *Innoc.* 1. *epist.* 3. *ad Episcopos Synodi Tolosanæ ca.* 21. *Bonifac.* 1. *ep.* 2. *ad Hilarium Episcopum Narbon.* sic inscripta: *Vt nullus contempto Metropolitano ordinetur Episcopus:* & Leon. I. epist. 89. ad Episcopos Vienn. Prouinciæ. Tuncque Episcopus qui ordina-

11 Coram quo & collegis vti assessoribus subnectit Ecclesiasticas lites debere agitari. Denique Metropolitano suffraganeos obsequi, ac illum vt ducem sequi, ex sacræ Oeconomiæ legibus astruit conuenire. Extat in appendice ad Epistolas & opusc. Hincmari Archiep. Remens. cum aliis aliorum Pontificum Rom. rescriptis quæ Ioan. Cordesius Ecclesiæ Lemouic. Canonicus ex Mss. cod. eruit & Lutetiæ publicauit anno 1615.

* Imo legê sacra receptâ ca. *Nulla* d. 72. Vsus dudum obtinuit præsertim in Gallia, vt cum Cleri delectu & populi assensu Metropolitani comprobatio, imo Regis concessio & Pontificis maximi suprema auctoritas ad Episcoporum firmandas designationes concurrerent: quam formam pridem vigentem, insignis hæc inductio S. Fulberti Carnotensis Episcopi qui ante annos 600. claruit egregiè testatur & præclarè demonstrat epist. 8. *Substitutus est Franco* (in Parisiensi Præsulatu) *eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis.* Vnde epist. 11. idem conqueritur praxim hanc canonicam minimè fuisse seruatam, quòd facta proderetur electio, *absente Clero, indignante populo, Legato Archipræsulis palam contradicente.* Vide & epistol. 112. Lupi Ferrariæ Senon. Abbatis.

Vide etiam Balsam. in can. 1. & 37. Apost. necnon Zonaram in eorumdem can. 36 vbi manus impositionem & benedictionem quam fundebat Metropolitanus super caput Episcopi *χειροθεσίας* appellat: cuius ritus reddit rationem Isidor. lib 2. c. 5. de off. Eccles. § *quod verò.* Extat etiam in formulis Marculfi Monachi Regium rescriptum ad Metropolitan. Præsulem, vt designatum Episcopum benedicat & consecret lib. 1. n. 6. Consule etiam Greg. Turon. lib. 4. hist. Franc. ca. 6. & lib. 8. c. 20. &

batur, professionem obedientiæ & subiectionis Archiepiscopo & Metropolitanæ Ecclesiæ faciebat, cuius formula legitur in antiquo Pontificali, memoraturque sponsio eiusmodi canonica in Concilio Vernensi ca. 2. & in Capitul. Caroli Magni add. 4. ca. 87. necnon in sacris Decretis, *p. 1. d. 23. can. quamquam. Et lib. 1. decretal. ca. dilecti, de maior. & obedientia.* Porrò etsi summi Pontifices iustis rationibus ducti, posterioribus his temporibus ius designationis Episcoporum in vicem electionis Principibus nonnullis concesserint: creationemque & promotionem sibi Episcoporum reseruauerint, consecrationis autem munus prout sibi placuerit, nunc soleant tribus Præsulibus, etsi minimè Comprouincialibus delegare: adeò vt vix iam reperiantur in Gallia præsertim, Episcopi, qui vt antiquo iure sancitum erat, benedictionis munus ab Archiepiscopo suo recipiant: * Manet tamen Metropolitis, sua, in cæteris, super Comprouinciales, auctoritas: miniméque possunt Episcopi suffragantes eo quòd ab alijs initiantur ex Indulto Pontificis, canonicæ subiectionis debito solutos se & immunes asserere. Nam fixæ semper manent Ecclesiasticæ sanctiones, quæ Archiepiscopo Episcopos subesse & vinculo non minùs obedientiæ quàm suffragationis eidem obstringi decernunt: Idque ipse status exigit Ecclesiæ, quæ hac lege ordinata est, vt Sacerdotes Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Primatibus, omnes verò Ecclesiastici Proceres, imò greges & Pastores vniuersi, Christi Vicario Oecumenico Pastori subiaceant & obsequantur. Pulchrè etenim S. Bernardus scribens ad Eugenium Papam, de hierarchica Præsulum sub vno capite supremo

Hincmar. Remensem Archipræsulē aduersus Hincmarum Laudunēsem Episcopum, necnon antiqua Pontificalia, librosque rituales. Habeo equidem peruetustum Pontificale in membrana ante annos 500 conscriptum, in quo ad calcem examinis ordinādi Episcopi, hæc interrogatio legitur à Metropolitano ipsi promouendo facienda. *Vis Ecclesiæ N. & mihi meisque successoribus subiectionem & obediētiam exhibere, secundùm canonicam auctoritatem, & decreta sanctorum Pontificum? Resp. Volo.*

* Quoniam cessauit electio, nominationē promouendorum Christianiss. Regibus, Ecclesiarū Regni dotatoribus & Patronis, piæ munificentię obtentu à sede Apostolica concessâ. Vt constat ex inita concordia inter Leon. 10. Pontif Maxim. & Francisc. 1. Galliarum. Aug. Bononiæ anno 1516. Quæ subinde promulgata fuit in Concilio Lateran. sub eodem Leone sess 11. & in Parlamento Parisiensi anno sequenti mēse Martio vt legitur in Decretis

ſubordinatione, quam cum Angelorum cæleſti triplicique aptiſſimè confert Hierarchia: docet æquè ridiculum eſſe, ſi Epiſcopus Archiepiſcopo ſubiacere detrectet, ac ſi Angelus Archangelo ſubeſſe recuſet, cui diuina lege, ipſoque gradu & ordine ſubijcitur, & à quo dependet ipſo quem ab eo mutuatur, luminis & cognitionis influxu, *lib. 3. de conſid. ca. 4.* Id verò ante S. Bernardum & benè cenſuit & præclarè declarauit Vrbanus II. qui cùm recuſante Richerio Metropolita Senonenſi, proprijs manibus Iuonem Carnotenſem Epiſcopum conſecraſſet, * ne Archiepiſcopus putaret, hôc factô, Metropolico iuri ſuo fuiſſe derogatum, aut hinc Epiſcopus ille crederet ſe Archiepiſcopi obedientiâ fuiſſe abſolutum & exemptum, ſapientiſſimus Pontifex literas, paternum prorſus amorem ſpirantes, ipſimet Archiepiſcopo ſcripſit, quibus conſecratum à ſe Epiſcopum Carnotenſem, ſe ad ipſum Metropolitam remittere declarat, obedientiam canonicam præſtiturum. Ipſe verò Iuo quamuis Richerio plurimùm inuiſus, ideóque ad pacis oſculum minimè ab eo admiſſus: nihilominus datâ ad ipſum Epiſtolâ, qua de eius duritia modeſtè conqueritur, accuſationibuſque reſpondet quibus impetebatur, ſe & eius filium, & obedientiæ vinculo eidem obſtrictum ex ipſius Vrbani Papæ decreto & præcepto nitidè confitetur. *Inobedientem*, inquit, *me literæ veſtræ non rectè accuſant, quia cùm obediturum me, paternitati veſtræ, * literæ domini Papæ commendauerunt*

Gallican. Eccleſ. lib. 8. tit. 16 Attamen dudum ex Sedis Apoſtolicæ cõceſſione Reges Chriſtianiſſimos, ſecundæ ſtirpis hoc priuilegio potitos liquet vt Epiſcopos ſuo in Regno deſignarent. Qua de re luculenta extat reſcriptio Guenilonis Senonenſis Præantiſtitis ad Amulum Lugdunenſ. Metropolitam inter Epiſtolas Lupi Ferrariarum Abbatis ſerie 81. Qua ipſemet Guenilo Amulum eumdem cohortatur vt delectos ex ſedis Apoſtolicæ indulto à Carolo Caluo Rege Antiſtites ſedis Lugdunẽſis ſuffraganeos Bernum, ſeu Bernonem Auguſtodun & Godeſaldũ Cabilonenſem ordinare non detrectet, ſi pacem Eccleſijs velit comparare & ſibi Regiam gratiam promereri. *Nam Pipinus*, inquit, *à quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Ludouicum Imperatores duxit Rex noſter originẽ, expoſita neceſſitate huius Regni Zacharia Romano Papa in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, eius accepit conſenſum, vt acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur, ne fortè ſimplicitate Pontificum poſſet contingere quod in hac Heduorum vrbe, cuius nos nunc cura exercet, euenit. Proinde Rex petit vt honorem à Papa Romano Maioribus eius, &c. conceſſum & à Lugdunenſ. Eccleſia Metropolitanis, cui auctore Deo præſidetis nunquam hactenus infirmatum à vobis nulla veſtra iniuria conſequatur*

* Metropolitano nimis protelante electus in Epiſcopum à Papa conſecratur, ſaluo Eccleſiæ priuilegio. Can. nunc verò ca. 9. qu. 3. Vide epiſt. Fulberti 30.

rint, nulla à me paterna vestra admonitio refutata est, quia nec audita. Et suprà. *Cùm vt pacem haberetis & in filium susciperetis Apostolica auctoritate fuissetis commonitus; nec vt fratrem salutastis in literis illis, nec vt Coepiscopum, qui nullum vobis Coepiscopi adiutorium, vel filij denegaui obsequium.*

* Eodem modo S. Fulbertus Iuonis ea in sede mediatus antecessor, Leuthericum Metropolitam suum, Senonensem vtique Archipræsulem honorabat. *Nos autem*, ait, *in quibus oportet vobis vt Patri semper obedire parati sumus.* epist. 29. Quem *Patrem & Primatem suum*, in Epistolarum ad eumdem inscriptionibus appellabat: imò *charissimum Patrem, sacrumque Archipræsulem*, vt videre est in limine epist. 27. 30. & 31. Idem verò epist. 56. auctoritatem correctiuam Metropolitæ in suffraganeum præclarè insinuat monendo Rotomag. Archiepiscopum *vt errantem Coepiscopum freno canonica districtionis reuocaret, ad officium detrectantem coerceret, aut sacra virga feriret.*

Ex quo facilè elicimus Episcopos etsi à suis Metropolitis non inauguratos, sed ab ipso Papa creatos, imò & consecratos, Archiepiscopis suis de iure & vsu subesse ac suffragari, obedientiamque illis filialem debere, atque vinculo natiuæ subiectionis ipsis remanere deuinctos. * Porrò obedientia omnis canonica, tria continet ac importat, nempe *reuerentiæ exhibitionem, mandati susceptionem, iudicij subitionem*, glos. *obedientiam* in summa dist. 93. Hæc verò debitæ subiectionis indicia ac canonicæ obedientiæ officia, Episcopi Metropolitis vt rependerent, Pontifices & Concilia statutis legibus plurimis curauerunt. Nam ad mandatorum susceptionem quod attinet, in Concilio II. Aurelianensi decretum legimus can. 1. vt nullus Episcoporum à Metropolitano ad Concilium vocatus, vel ad aliam eius ordinationem, venire vlla excusatione detrectet. Si verò recusauerit morem gerere, graui animaduersione debet coerceri. Ita enim statutum est in Concilio Agathensi: *si Metropolitanus Episcopus ad Comprouinciales Episcopos, Epistolas direxerit, in quibus eos, aut ad ordinationem* (id est mandatum) *summi Pontificis, aut ad Synodum inuitet, postpositis omnibus, excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione Re-*

* Taracon. Conc. quod non absimile decernit ca. 5. *Si quis in Metropolitana ciuitate non fuerit Episcopus ordinatus, postquam suscepta benedictione per Metropolitani literas honorem fuerit Episcopi adeptus: id optimum esse decreuimus vt postmodum statuto tempore, id est impletis duobus mensibus se Metropolitani repræsentet aspectibus, vt ab illo monitis Ecclesiasticis instruct⁹ pleniùs quod obseruare debeat, recognoscat. Quod si fortè hoc implere neglexerit, increpatus à fratribus corrigatur. Et si fortè infirmitate aliqua ne hoc impleat fuerit præpeditus, hoc suis literis Metropolitano indicare procuret.* Cōcinit can. cùm longè dist. 63.

Concil. Vernens. c. 2. *Statuimus vt Episcopi cæteri ipsis Metropolitanis in*

gia, ad constitutum diem adesse non differant. Quod si defuerint, sicut prisca Canonum præcipit auctoritas, vsque ad proximam Synodum charitate fratrum & Ecclesia communione priuentur. Idem comperitur in Concilio Arelat. 2. ca. 19. Epaon. ca. 1. Aurel. 5. ca. 18. definitum. Accedit quod decernitur, *d. c. 12. de ijs qui*, ex Concil. II. Tolet. ca. 3.* Archiepiscopum posse cogere omnes Suffraganeos, vt in officio diuino decantando, à Metropolitana Ecclesia non discrepent, sed ei sese conforment. Item posse aliquos canones condere glos. legato in can. regula dist. 3.* Hinc enim sequitur Archiepiscopi esse mandare & præcipere, Episcoporum verò eidem subiacentium, canonicè obsecundare. Adde quod possunt Archiepiscopi suos Suffraganeos quotannis visitare, *lib. 5. t. 6. de appel. ca. 23.* Imò cùm opus fuerit, prout olim à SS. fuit Patribus definitum. Concil. Valent. 3. ca. 19. Vermer. 2. cap. 1. Ad *iudicij* verò quod spectat *auctoritatem*, vix ob numerum recenseri possunt Ecclesiasticæ leges quæ Episcopos Metropolitani foro decernunt obnoxios, aliquas tamen operæ precium fuerit hîc expromere. Sanè *can. de ijs* præcitato, & 10. *qu.* 3. *can. quia cognouimus*, sancitum est Archiepiscopum excessus suorum Suffraganeorum posse punire. Item si casus exigit, illos suspendere & excommunicare, *glos. fi. in can. de iis d. prænotata*, ex can. placuit & c. si Episcop. d. 18. Est enim Iudex ordinarius omnium Episcoporum suæ Prouinciæ, *cap sicut venire de excess. prælat.* ipsiusque est causas eorum definire, vel si appellatio intercesserit, aut

omnibus secundum canonicam institutionem obediant. Idem repetitur ca. 4. Item Concil. Meld. ca. 31. *Metropolitanus sedibus antiquitus statuta iura seruentur, & à Comprouincialibus Episcopis iuxta regulas Ecclesiasticas eis reuerentia exhibeatur.*

* Cui consonat Concil. Venet 1. c. 15. Epaon. cap. 27 Vide ca. institutio. de consecr. dist 2

* Vsus inde obtinuit vt coacta à Metropolitano Synodo Prouinciali, etsi intersint Suffraganei placitaque dicant, Cōstitutiones tamen sub solius Archiepiscopi nomine edantur & perscribantur. Habeo certè in manibus vetusto in codice Membraneo decreta Concilij Prouincialis à Petro de Charniaco Archiepiscopo Senonēsi ante 350. annos celebrati, in quibus solus ille decernit, sacrasq; edicit leges: Suffraganeorum nulla mentione facta, nisi cùm illis & aliis Prælatis statuta seruare iubet. Attamen in Concilio Prouinciali Senonensi quod, Luthero funestos ciente motus, Antonius Cardinalis du Prat eiusdem sedis Metropolicæ Hierarcha, Parisiis cum Suffraganeis habuit: decreta quidem nomine solius Archiepiscopi edita feruntur: at nihilominus hæc clausula sanctionibus passim adnectitur *Sacro approbante Concilio*, vel, *de Fratrum nostrorum sententia & consensu*. Tom. 4. Concil. p. 2. Quæ formula æquabilior est, & magis Canonicis institutis consona.

causa grauior fuerit, ad sedem Apostolicam remittere. *d. 18. ca. de Concilijs, & 6. qu. 4. ca. si inter Episcopos, & glos. totius Prouinciæ in can. 3. singulas* 9. 13. Porrò Episcopi multiplicem illi honorem & reuerentiam exhibere tenentur. Primò etenim Episcopus pro suo Præantistite orare debet, vt docet S. Gregorius *lib. 6. epist.* 7. Secundò ipsius pias de fide & disciplina admonitiones humiliter recipere & implere, *Concilio Arelat. 6. can.* 3. Tertiò, eum in rebus dubijs consulere, *Leo I. epist.* 91. Quartò, sine eius licentia ad Comitatum, vel ad Prouincias extraneas non debet proficisci. *Hilarus Pap. epist. 8. ad Episcopos diuersarum Prouinciarum Galliæ cap.* 3. * Quintò, sine eius assensu nihil potest de rebus Ecclesiæ suæ alienare. Conc. Epaon. can. 12. Sextò, nihil sine illius auctoritate, quod grauis sit momenti debet sua in Diœcesi statuere, mutare vel innouare: Sic enim edixit Martinus PP. & Martyr in Synodo ca. 4. *Per singulas Prouincias oportet Episcopos cognoscere Metropolitanum suum & ipsum Primatus * curam suscipere. Nihil autem agere reliquos Episcopos præter eum, secundùm quod antiquitus à Patribus nostris constitutum continetur in Canone.* Refert verò Gratianus hunc canonem caus. 9. qu. 3. ca. 1. suggeritque esse Concilij Antiocheni 9. qui sic habet. *Per singulas Prouincias Episcopos singulos scire oportet Episcopum Metropolitanum, qui præest, curam & solicitudinem totius Prouinciæ suscepisse. Propter quod ad Metropolitanam ciuitatem, ab his qui causam habent concurratur. Quapropter placuit eum & honore precellere & nihil vltrà, sine ipso, reliquos Episcopos agere, secundùm antiquum Patrum nostrorum Canonem.* Ex quo liquet hanc ipsam Synodicam sanctionem ex antiquiori constitutione deprompltam

Consule Hincmarum Remensem Archipræsulem Canones in hunc scopum congerentem aduersus Hincmarum Laudunensem Episcopum c. 17.

* Cui collimat Concil. Antioch. c. 2. & Francofoird. ca. 6. necnon Carol. Mag Capit. lib. 1. c. 10. Adde & Nouell 23. ca. 9.

* Primates dicuntur etiam Metropolitani à Leone Magno epist. 51. ad Anatolium, 53. ad Pulcheriam, 91. ad Theodorum Foroiul Episc. Item à Conc. Taur. Patribus ca. 1. & 2. Vbi notare iuuat Metropolitam sic Primatis titulo honorari, vt Suffraganeis Patris loco sit, quos etiã complecti iubetur vt filios. *Illud quoque commonetur vt ipse sanctus Proculus, tanquam pius Pater Consacerdotes suos honoret vt filios, & memoratæ Prouinciæ Sacerdotes, tanquam boni filij eumdẽ habeant vt parentem.* Sic Fulbertus sanctissimus Episcopus Carnotensis, Leuthericum Senonẽsem Archiepiscopum percolebat, his eum verbis compellans epist. 23. *Multùm amoris*

esse. Nempe ex Canone 35. Apostolorum sic condito. *Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur,* quem velut caput existiment & nihil amplius præter eius conscientiam gerant, quàm illa sola singuli, quæ Parœcię proprię, & villis quę sub ea sunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid in eorum Parœcijs. Sic enim vnanimitas erit & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto*: Quem Canonem sub ipso sanctorum Apostolorum titulo citat Zacharias Papa in commonitoria ad Francos Episcopos Epistola, pro debito Metropolitanis honore àb Episcopis deferendo.

Cæterùm necesse duximus has sacras regulas sic congestas retexere, vt de suo facto Reuerendiss. Episcopus Lingonensis faciliori negotio dijudicet: Num scilicet rectè & canonicè sedis duplicationem sua in Diœcesi sit aggressus, inconsultô suo Metropolitâ & Primate. Neque enim negare potest Lugdunensem Præsulem, quem *primæ Galliarum Sedis* Stephanus Tornacensis Episcopus * appellat *Antistitem*, sibi vtróque iure & titulo præeminere: proindeque obedientiæ reuerentiæque ac subiectionis nexibus se illi esse obstrictum. Vnde se illegitimè & contra Canones fateatur necesse est, id quod adorsus est, pertentasse. Non enim illius consuluit arbitrium, aut exquisiuit consensum: sed proprio motu, absque vllo ipsius sui Superioris respectu, noui Solij Episcopalis erectionem sua in Diœcesi, Lugdunensi suffraganea, procurare & impetrare adnisus est. Porrò non potest hac se excusatione tueri, quòd res eiusmodi non tanti sit momenti, quæ consensum aut consilium Archiepiscopi requirat. Constat enim ex Canonicis in-

stitutis

atque fidelitatis tibi Pater me debere censeo, per cuius manum à Deo benedictionem & sacram Vnctionem accepi, &c. Vale Pater optime filij tui memor.

* Aliter legit & exscribit Martinus Bracarensis Collectionis suæ ca. 4. sic nimirum. *Per singulas Prouincias oportet Episcopos cognoscere Primatū Metropolitani sui, & ipsum Primatus curam suscipere, &c.*

* Epist. 92 ad Ioannem Pictauiens. Episc. *Concertant*, inquit, *in idem caput diuersarum Prouinciarum Pontificales infulæ, & dum Pictauiensi Cathedra Sacerdotem suum Narbonensis conatur eripere, religiosa saltu præambula, Narbonensem electum, prima sedes Galliarum sibi vendicat, Lugdunensis. Admirabilis & amabilis Ecclesiarū ludus iste, vbi superior inferiorem spoliat, & æmulatione sancta pares apparent, quæ sunt impares dignitate.*

Iam enim tempore Stephani Tornacensis, qui Episcopus ex Abbate sanctæ Genouefæ factus est anno salutis 1191 Lugdunensis Primatus increuerat.

ſtitutis erectionem ſedium Epiſcopalium vnam eſſe ex maioribus cauſis: * quæ ideò nonniſi Metropolitæ Comprouincialiúmque Epiſcoporum conſilio debet inchoari: non autem aliâ quàm ſupremâ Romani Pontificis auctoritate perfici poteſt. Igitur ſuper hac debuit Epiſcopus Lingonenſis Archiepiſcopi ſui, Illuſtriſſimi Primatis Lugdunenſis conſilium inquirere, ac expoſcere conſenſum. Nec eſt quod excipiat ſe in ſuo fundo eiuſmodi erectionem procurare: proindéque nihil ad Metropolitæ cognitionem eamdem pertinere. Non enim fieri poteſt in Diœceſi Lingonenſi, quin fiat etiam in Prouincia Lugdunenſi, cùm maior circulus minorem includat, & Diœceſim Prouincia, vt partem totum ambiat & complectatur. Sanè in Canone *per ſingulas*: ** decernitur Epiſcopum oportere habere ſuæ Diœceſis poteſtatem: at cautè additur: *vt eam regat & gubernet, ſecundùm competentem ſingulis reuerentiam*: Primati & Archiepiſcopo, vt præfert idem canon, debitam. Ea autem hæc eſt: *vt nihil agat ſine Metropolitano ſuo*, hoc eſt, ſine eius conſilio & auctoritate quicquam magni momenti non aggrediatur: gloſſa enim ibidem notat diſertè, Epiſcopum nihil debere in ſua Diœceſi facere, præter conſenſum Archiepiſcopi, *quod ad communem ſtatum pertineat*. Erectio verò nouæ Sedis Epiſcopalis, ſtatum communem maximè reſpicit: magiſque Archiepiſcopum, qui Epiſcoporum eſt vertex, * quàm Epiſcopum tangit. Nam Archiepiſcopus curam gerit totius Prouinciæ, vt legitur ibidem, *& gloſ. penult. in cap. Paſtoral. de off. ord.* vbi dicitur Iudex totius Prouinciæ, eiuſque Paſtoralem curam gerere, etſi non ſingulariter, attamen vniuerſaliter. Quam-

* Cauſa inter Epiſcopum & Clericum ad Metropolitæ eſt iudicium referenda, gloſ. fi. in c. ſolus 9. qu. 3. Quantò magis igitur cauſa quæ inter Epiſcopum & Eccleſiam vertitur, ipſius Metropolitani examini deferri debet? Sanè vix grauior poteſt, quàm de ſecundo Epiſcopatu, inter Epiſcopum & Eccleſiam quæſtio inſurgere. Hæc eſt igitur ex maioribus cauſis quæ arbitrio Metropolitani diſcutiendæ ſunt, 6. qu. 4 ſi inter 9. q. 3. conqueſtus & diſt. 80. c. vrbes: ſupremóque Sedis Apoſtolicæ iudicio terminandæ. Eodem & can. multis d. 18. & c. relatum 11. qu. 1.

** 9 qu. 3. c. 2. collimat & c. conqueſtus ib. 4. 3.

*c. Cleros V. Archiepiſcopus diſt. 21.

obrem Gratianus *in summa quæst.3. causæ* 9. solerter docet quod sicut totius Episcopatus Ecclesiæ in potestate sunt Episcopi, sic & Ecclesiæ totius Archiepiscopatus (id est Prouinciæ) ad Diœcesim pertinent Archiepiscopi. Vocantur enim Episcopi à Metropolitano in partem solicitudinis, at non in plenitudinem potestatis, sic quippe vices eis impertit vt potestatem suam sibi non adimat. Vnde sine eius consilio nihil eis agere licet. Idque probat ex Concilio Martini Papæ. Et ea ratio est, cur Archiepiscopus omnia mala acta in Diœcesi sui Suffraganei possit punire & retrectare, *26. qu. 5. c. quicumque, & d. 12. c. de his:* quamobrem Alexander II. PP. scribens ad Geruasium Remorum Metropolitam, mala omnia quæ in Gallicanis Ecclesiis hoc tempore pulullabant, Archiepiscopis imputat, quorum curâ & auctoritate vel impediri debuerant vel reprimi. Eodémque Apostolico rescripto mandat præfato Archipræsuli, vt in Beluacensem Episcopum animaduertat, qui res disperdebat Ecclesiasticas suæ Diœcesis, *eumque virgâ sanctæ auctoritatis feriat.* Itidem & Ambianensem Episcopum coerceat, qui iura inuadebat Monasterij Corbeiensis. Suessionensem verò electum, cuius infausta fuerant primordia, ab Episcopatu cui se malè ingessit, repellat. Cùm autem Laudunensis Episcopus sine ordine iudicij Abbatissam S. Ioannis Laudunensis, è regiminis solio detrusisset: mandat eidem Remensi Archiepiscopo Pontifex, vt eam ante omnia, sicut sacri Canones præcipiunt, restituat, deinde vocato Episcopo rem cum eo discutiat, atque iuxta Apostolicarum tenorem literarum determinet. Ne verò solâ auctoritate Apostolica hæc se agere Geruasius arbi-

7. q. 1. c. in apibus.

Extat n. 13. inter Epistolas summorum aliquot Pontificum directas ad ipsum Geruasium, quas Papirius Massonius edidit & subtexuit codici Epistolarū Stephani Tornacensis Episcopi.

Idem epist. 12.

Hinc in Concilio Valentiniano III. sub Carolo Caluo

traretur, subiunxit Pontifex: illum ipso suo iure Metropolico id exequi, debuisséque etiam sine Pontificio mandato peragere. *Quodquidem*, infit, *solicitudinis studium etiamsi Apostolatus nostri literis permonitus non esses, oporteret etiam deuotionem tuam impendere: ipsúmque Laudunensem Episcopum, quia* Parochianus tuus est, *ad hoc peragendum incitare.* Nempe quia, vt docent, ex Apostolorú traditione, Antiocheni Patres, Metropolita singulis suæ terminationis præest Episcopis, curámque gerit & solicitudinem totius Prouinciæ: quapropter sua præcipuè interest vt Suffraganei suo officio ritè defungantur, Prouinciáque vniuersa, cuius Pater est communis Pastorque principalis, benè constituatur & rectè gubernetur. Vnde prælibati Canones meritò vetant Episcopos aliquid quod alicuius sit ponderis sine eius arbitrio adoriri; potissimùm autem quæ *ad statum communem pertinent*, absque eius consilio & assensu, prohibent, illos agenda suscipere. Iam verò neminem esse reor qui quærere ausit, an ad statum Prouinciæ communem pertineat Sedis nouæ Episcopalis constructio: numve competat Archiepiscopo numerum suffraganearum sibi Sedium, ac Ecclesiarum Matricium scire? Cùm si ad Metropolitæ cognitionem id non spectet, vix dici possit quid ad eius notitiam referri queat. Scribit sanè B. Hieronymus S. Ioannem Euangelistam Ephesi commorantem (vbi post Domitiani interitum è Pathmo rediens sedem fixit) *totius Asiæ hinc rexisse Ecclesias*: ex cuius Pontificio Primatus Ephesinus insurrexit. Porrò quia Asiæ Metropolita erat, Ecclesiarum quibus præerat seriem recensuit, diuináque reuelatione irradiatus singularum statum & ordinem absens licet cor-

statutum fuit c. 19. *Vt Metropolitani de vita & opinione Episcoporum præcipuam curam gerãt.*

de Scriptorib. Ecclesi. in Ioan. n. 10.

Euag. Ecclesi. hist. lib. 3. ca. 6.

pore, didicit & descripsit: Septem enim candelabra aurea ante filium hominis gloriosum fulgentia vidit, quæ ipsas Ecclesias mystico* referre simulachro cælesti voce edoctus est. Pastores verò totidem harum connumerauit, quorum sibi recitat lumine superno merita propalata; Angelos autem eosdem nuncupatos à Rege gloriæ commemorat, tùm quia munere Angelico fungebantur, tùm quia sibi, qui eorum erat Archangelus, hoc est Archiepiscopus & Primas, suffragabantur. Ex quo deprehendimus officij esse Metropolici seu Primatialis, Ecclesiarum statum & numerum suæ Prouinciæ Matricium agnoscere, Præsulúmque etiam singulorum facta scire, & Hierarchica lustrare * ac illustrare conamina. Est igitur cur Lugdunensis Ecclesiæ Archangelus tam nobili exemplo concutiatur, zelóque succensus asserendæ dignitatis & muneris obeundi, pius sui iuris vindex insurgat. Hoc enim suâ maximè interest; hoc ad eius curam potissimùm spectat, Hierarchicum Ecclesiarum, quibus præest, statum cognoscere; ordinem antiquum tueri; noua quæ in prisca iura exeruntur cohibere molimina; Sedium mutationes aut duplicationes, quæ in sua Prouincia, eô inconsultô pertentantur, maturè præpedire; Suffraganeum, qui sine suo consilio & assensu id nititur, paterna admonitione, canonicáque auctoritate coercere; iura Metropolica, quæ ille spernere visus est, vindicare; Regem Christianissimum, vt ea supremæ dexterá potentiæ fulciat protegátque precibus interpellare; Pontificíque Maximo obnixè supplicare, vt (quemadmodum ab Apostolicis ipsius decessoribus sancitum fuit) inconcussa permanere ac illibata seruari, pro summâ quâ

* Apoc. 1. 10. *Candelabra septē, septem Ecclesiæ sūt.* Quæ auri sub typo figurantur, quia, ait in hunc locum Richardus Victorinus, sicut aurum per ignem probatur, malleis extenditur, & in formam candelabri productum, efficitur instrumentum ignis & luminis: ita Ecclesiæ tentationibus probatæ & tunsionibus persecutionū extenuatæ ardent igne sapientiæ cælestis, & diuinæ charitatis.

* De visitatione Suffraganeorū & Matricium Ecclesiarum Prouinciæ ab Archiepiscopo iure Metropolico facienda extant Synodicæ sanctiones plurimæ: maximè verò Concil. Affrican. c. 19. Valent. Galliæ 3. c. itidem 19. Concil. Tolet. 4. vt refert Grat. 10. q. 1. c. relata. Synodi 8. Oecumen. can. 9. Taracon. c. 8. Lateran. Concilij Gener. sub Alexand. 3. p. 1. c. 4. Viennensis in quo probata est Clementis 5. hac de re constitutio, Concilij denique Trident. eamdem præcipientis Archiepiscopis visitationem sess. 24. cap. 3. decreti de reform. c. Vide & Bonifacij 8. sanctionem lib.

polletin Ecclesia auctoritate decernat. Sic enim dudum edixit S.Leo.* *Secundùm Sanctorum Patrum Canones spiritu Dei conditos & totius Mundi reuerentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos: ius tradita sibi antiquitatis intemeratum habere decernimus.* Ita & S. Gregorius scribens ad Dominicum Archiepiscopum Carthaginensem de suorum iurium imminutione conquerentem lib. 2. cap. 39. *De Ecclesiasticis*, ait, *Priuilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis iura seruamus.* Et ad Natalem Archiepiscopum Salonitanum lib. 2. epist. 37. *Quod verò dicitis nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta Maiorum Consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.* Vnde etiam Ioannem defensorem corripuit Apostolica auctoritate ea in parte abutentem lib. 9. epist. 32. subijciens ad suam redundare iniuriam, si iura Præsulum à suis administris violentur, *Quoniam si illorum*, inquit, *iurisdictio non seruatur, quid aliud agitur, nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?* Quia verò generaliter de omnium Antistitum iuribus seruandis, prolatæ ab ipso sanctissimo Pontifice istæ videri possint sententiæ: Epistola sanè 8. libri 7. (quæ ad quinque Episcopos Sardiniæ, Archiepiscopo suo honorem detrahentes debitum, directa est) aptè in metam destinatam collineat ac præfixæ prorsùs congruit materię. Illos enim eâ grauiter reprehendit quòd consuetam obedientiam & honorem Metropolitano suo non redderent, * sicque ad non obediendum aliorum corda peruer-

6. decret. tit. 20. de Censib. vlt.

* Leo ep. 82. ad Anastas. c. 2. ex cuius decretis idipsum recitat Zacharias PP. in Cōmonitorio ad Pipinum Maiorem Domus atque Episcopos & Proceres Francorum cap. 1. Refertur etiam 25. qu 2. c. Igitur. Cōsonat & can seruatis ex Hormisdæ PP. epist. ad Ioan. Episc. ibidē citata. Lege etiam quæ scribit Gelasius PP. de Metropolitanorum priuilegiis ad vniuersos Episcopos Dardaniæ, vbi postquam conquestus est de illorum per nouas quorumdam Præsulum ambitiones violatione; hanc tremendam subijcit interminationem: *quòd æterno iudicio rationem de traditionum præiudicijs paternarum, non sine perpetua damnationis interitu, sint reddituri.*

* Sic dudum Alexander Antistes Alexandrinus aduersus Eusebium

terent, ac subinde monet vt Canones custodiant, nihil sine Archiepiscopi sui cognitione faciant: denique vetat districtè ne eum postponere in aliquo præsumant. Porrò lib. 4. epist. 51. ad Vigilium Arelatensem disertè iubet, *vt secundùm priscam institutionem singulis Metropolitis proprius honor seruetur*. His verò ex Apostolicis oraculis, Concilij Meldensis Patres qui sub Carolo Caluo consederunt, hunc Canonem depromptum vsu perenni obseruandum promulgauere. *Vt Metropolitanis Sedibus antiquitùs statuta iura seruentur, & à Comprouincialibus Episcopis iuxta regulas Ecclesiasticas eis reuerentia exhibeatur*. Titulus etsi contractior, suam tamen emphasim habet. Sic enim inscriptus est. *Vt Metropolitanis reuerentiam exhibeant Episcopi Prouinciæ* Renouata autem fuit eô sacro Conuentû eiusmodi canonica regula, propter peruicaciam Episcoporum Britanniæ, qui iugum Metropolitæ Turonensis excutere nitentes, omnem ei reuerentiam ac obedientiam substraxerant. Quâ de re extant * querulæ literæ Synodi Suessionensis ad Nicolaum PP. I. à 7. Archiepiscopis & 23 Episcopis (inter quos enituit Isaac Lingonensis) subscriptæ Leguntur etiam eodem tempore literæ commonitoriæ ex parte Synodi quæ in territorio Tullensi conuenit apud Saponarias ad ipsos Episcopos Britanniæ seu Armoricæ directæ, quibus cùm eorum conatum redarguunt, tùm ex eo maximè reprehendunt, quòd absque Metropolitani auctoritate, grauis momenti tractare & exequi negotia præsumerent. *Decuerat*, inquiunt, *vt quorum vnum est officium, par studium probaretur. Sacris instituti Canonibus non ignoramus, Metropolitano vestro charissimo fratri nostro Herardo, competentem reuerentiam vos*

Nicomediæ Episcopum querebatur, quòd Metropolitæ ac Primatis auctoritatē sperneret, ac totum Ecclesiæ suæ statum sibi vendicaret, existimans in manu sua omne imperium esse positum. In epist. ad omnes Orthodoxos quam verbatim refert Gelas. Cyzicenus lib. 2. Actor. Concil. Nicen. c. 3.

* Inter Epistolas ac Opuscula Hincmari Remensis à Ioanne Cordesio ex MSS. cod. edita pag 530. & seq. Vbi cætera inter hæc occurrunt notanda. *Vestram siquidem non latere beatitudinis excellentiam nouimus, diœcesim Turonicam austeritate Brittonum diutino à sua Metropoli diuulsam penitusque discissam. &c. Iam vicenus & eo licet paululum adsit annus, quo tyrannica feritate resumpta, nec Comprouincialia*

debere, ita vt præter eius præſentiam & conſenſum nullus in regione veſtra canonicè poſſit ordinari Epiſcopus, nec vos generale aliquid ſine eius cõſenſu poſſe ſancire. Nemo igitur reuocabit in dubium, quin ſi adhuc Patres iſti mortales inter verſarentur, atque ſacrum nunc in Cœtum conuenirent, ijſdem monimentis Reuerendiſſ. Epiſcopum Lingonenſem, in cauſa quæ vertitur forent interpellaturi. Cùm enim ipſe ſpretô ſeu ſaltem inconſulto Illuſtriſſ. ſuo Archiepiſcopô & Primatê, tantæ molis negotium ac nouæ ſedis Pontificiæ erectionem ſua in Diœceſi aggreſſus ſit: meritò, ſanè ſic eum poſſent compellare. Decuerat vt quod Metropolitam & Suffraganeum tangit, ab vtroque probaretur, ſacríſqué inſtituti Canonibus non ignoramus Metropolitano veſtro & Primati, chariſſimo fratri noſtro Domino ALPHONSO de Richelieu Eminentiſſimo S.R.E. Cardinali, ARMANDI illius Herois, (qui diuinis ac regijs fretus præſidijs, non minùs fortiter deuictâ quàm feliciter proſtratâ hæreſi, fidéque, eximiâ virtute gloriosè vindicatâ, totam non modò Galliam, ſed vniuerſam quoque Eccleſiam ſibi perpetui muneris iure deuinxit, pijſque ac præclaris aliis facinoribus, mirum ſacræ ipſi purpuræ, quæ in terris regni Dei decus eſt, ornamentum addidit) perdigno germano; competentem reuerentiam vos debere; ita vt præter eius conſilium & conſenſum nouæ Cathedræ Epiſcopalis inſtitutionem in veſtra terminatione, ſuáque prouincia vos non decuerit pertentare, nec abſque eius arbitrio tanti momenti negotium quod ſtatum reſpicit communem Hierarchiæ Lugdunenſis, inchoare & perſequi. Ita ſanè priſci illi Patres, quantùm ex eorum dictis ſuprà inductis augu-

cum Turonico Metropolitano celebrēt Concilia, nec in Episcoporum conſecrationibus ad eumdem quicquam reſpiciant, illi quoque Sedi nullo pacto ſe ſubdant, &c. Vnde fit vt nullus cultus Religionis inter eos, nullus diſciplinæ vigor haberi poſſit in illis.

rari licet, non dubitarent impræſentiarum Reuerendiſſimum Epiſcopum Lingonenſem affari, atque prætermiſſi ab ipſo officii admonere. At quod non verbis proferunt, ſcriptis etiamnum eloquuntur. Viuit verò ſemper Chriſti Vicarius, Petrique ſucceſſor meritiſſimus, Vrbanus VIII. qui viuæ vocis * oraculo, Antiſtitem ipſum poſſit ob non ſeruatas ea in re paternas traditiones & canonicas ſanctiones paterna obiurgatione perſtringere, quòdque illegitimè negotium inchoârit, eâdem cenſura coercere, quâ olim Leo magnus deceſſor eius beatiſſimus, Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum redarguit. *Solicitudinis quidem tuæ hic ordo eſſe debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitùs de eo quod quæritur conferres. Quia in cauſis quæ ad generalem obſeruantiam pertinent omnium Sacerdotum, ſine Primatibus nihil licet inquiri.* * Si enim ſanctus ille Pontifex dignum reprehenſione Epiſcopum iudicauit, qui neglectô Metropolitani ſui conſiliô, Sedem Apoſtolicam Sacerdotii fontem & veritatis arcem & cathedram, dubiis in quæſtionibus immediatè conſuluit: quantòmagis exiſtimandum eſt, Dominum Lingonenſem, apud Summum Pontificem modernum (oculatiſſimum certè atque æquiſſimum Eccleſiæ Principem) habendum fore inexcuſabilem, qui inconſultô Metropolitanô, ordinem hierarchicum ſtatúmque ſacrum ſuæ Diœceſeos vniuerſum, Sedis Epiſcopalis duplicatione, & bicipitis Epiſcopatus inſtitutione demutare, innouare ac transformare aggreſſus eſt: inauditóque hactenus exemplô, quod exorſus eſt negotiũ, intenſis ſtudiis ac viribus nititur perficere? Cæterùm hactenus de Metropolitani iure & honore, eiúſque hac in re quæ agitur minimè

* *In ſede Romana Principatus Sedis Apoſtolicæ meritò conſtitutus eſt; vnde adhuc ſpiritus Apoſtolici oracula reſerantur.* Sic olim ſcribebãt ad Leonem Magnum (cuius ore Petrum loquentem Patres Oecumenici Chalcedonenſis Concilij venerati sũt) Ceretius, Salonius & Veranus Galli Epiſcopi. Extat inter epiſt. decret. ſancti Leonis poſt epiſt. 98.

Epiſt. 91.

* Hic eſt enim ordo in Eccleſia, ſingulari Dei prouidentiâ ab inſtauratæ Religionis primordiis conſtitutus, vt gradatim compoſita Præſulum Hierarchia, commune in bonum, ſub vnius capitis influxu, propriô cuique membrorum modô & actû conſpiret: vt Leo X. ſummus Pontifex in concordia cum Franciſco I. Rege Chriſtianiſſ. initâ & in Lateran. Concil. ſeſſ. 11. publicatâ, præfatur, inſigni hoc planè ac memorabili, dignóq; prorſus Chriſti Vicarij ore, exordio, *primitiua illa Eccleſia, in angulari Petra à Saluatore noſtro Ieſu Chriſto fundata, Apoſtolorũ præconijs elata,*

minimè expetito à ſuffraganeo Præſule conſilio & aſſenſu.

Martyrumque ſanguine conſecrata & aucta, vbi primùm iuuante Domino per orbem terrarum lacertos mouere cæpit, prouidè attendens quantùm oneris humeris impoſitum haberet, quot oues paſcere, quot cuſtodire, ad quot etiam remotiſſima loca oculos intendere oporteret, diuino quodam conſilio Parochias inſtituit, Diœceſes diſtinxit, Epiſcopos creauit, & METROPOLITANOS PRÆFECIT, vt tamquam membra capiti obſequentia, cuncta ſecundùm eius voluntatem ſalubriter in Domino dirigerent & tanquam riuuli à perenni fonte, Romana videlicet Eccleſia deriuantes, ne angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitterent.

VERVM alius etiam notandus occurrit in D. Epiſcopi Lingonenſis petitione defectus, nempe Capituli Cathedratici hac in re conſenſus nec exquiſitus, nec exhibitus, ſed vnanimis, primarij Cœtus illius ſacerdotalis obnixus & repugnatio. Quæ certè tanti eſt ponderis, vt vel ſola poſſit, ea quæ ab Epiſcopo fiunt & petuntur infringere. Ea eſt enim Eccleſiæ lex & forma, vt Epiſcopus ſine Capituli ſui conſilio aut conſenſu, non poſſit aliquid quod grauis ſit momenti, circa Eccleſiæ ſtatum & ordinem receptum iuraque communia facere aut decernere. Extat certè in Pontificijs decretalibus lib. 3. proprius titulus, *de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli:* quo aduertere licet, quantâ diligentiâ ſummi illi Eccleſiæ Præſides prouiderint, ne Epiſcopus ſine Capituli ſui Cathedratici conſilio quicquam in ius publicum tentaret aut aggrederetur: ita vt ſi graue aliquod negotium inconſultô Canonicorum collegiô agendum aſſumeret, id quicquid eſſet viribus carere decreuerint, irritúmque fore & inane penitus declarârint. Porrò cùm ex hoc titulo, tùm ex ſparſis alibi Canonibus, Eccleſiaſticíſque inſtitutis deprehendimus, ea quæ Epiſcopus tractare, facere, ac decernere prohibetur abſque Capituli aſtipulatione, ad hæc capita referri poſſe. Primò enim tenetur in Ordinationibus conſilium Eccleſiæ ſuæ Procerum requirere. Sic enim ſta-

Capituli neglectus: eiuſdemque vnanimis ac viriliс reluctatio.

esse. Nempe ex Canone 35. Apostolorum sic condito. *Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur,* * *quem velut caput existiment & nihil amplius præter eius conscientiam gerant, quàm illa sola singuli, quæ Paræcię proprię, & villis quę sub ea sunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid in eorum Paræcijs. Sic enim vnanimitas erit & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto:* Quem Canonem sub ipso sanctorum Apostolorum titulo citat Zacharias Papa in commonitoria ad Francos Episcopos Epistola, pro debito Metropolitanis honore ab Episcopis deferendo.

Cæterùm necesse duximus has sacras regulas sic congestas retexere, vt de suo facto Reuerendiss. Episcopus Lingonensis faciliori negotio dijudicet: Num scilicet rectè & canonicè sedis duplicationem sua in Diœcesi sit aggressus, inconsultô suo Metropolitâ & Primate. Neque enim negare potest Lugdunensem Præsulem, quem *primæ Galliarum Sedis* Stephanus Tornacensis Episcopus * appellat *Antistitem*, sibi vtróque iure & titulo præeminere: proindeque obedientiæ reuerentiæque ac subiectionis nexibus se illi esse obstrictum. Vnde se illegitimè & contra Canones fateatur necesse est, id quod adorsus est, pertentasse. Non enim illius consuluit arbitrium, aut exquisiuit consensum: sed proprio motu, absque vllo ipsius sui Superioris respectu, noui Solij Episcopalis erectionem sua in Diœcesi, Lugdunensi suffraganea, procurare & impetrare adnisus est. Porrò non potest hac se excusatione tueri, quòd res eiusmodi non tanti sit momenti, quæ consensum aut consilium Archiepiscopi requirat. Constat enim ex Canonicis in-

stitutis

atque fidelitatis tibi Pater me debere censeo, per cuius manum à Deo benedictionem & sacram Vnctionem accepi, &c. Vale Pater optime filij tui memor.

* Aliter legit & exscribit Martinus Bracarensis Collectionis suæ ca. 4. sic nimirum. *Per singulas Prouincias oportet Episcopos cognoscere Primatũ Metropolitani sui, & ipsum Primatus curam suscipere,* &c.

* Epist. 92 ad Ioannem Pictauiens. Episc. *Concertant*, inquit, *in idem caput diuersarum Prouinciarum Pontificales infulæ & dum Pictauiensi Cathedræ Sacerdotem suum Narbonensis conatur eripere, religiosi saltu præambula. Narbonensem electum, prima sedes Galliarum sibi vendicat, Lugdunensis. Admirabilis & amabilis Ecclesiarũ ludus iste, vbi superior inferiorem spoliat, & æmulatione sancta pares apparent, quæ sunt impares dignitate.*

Iam enim tempore Stephani Tornacensis, qui Episcopus ex Abbate sanctæ Genouefæ factus est anno salutis 1191 Lugdunensis Primatus increuerat.

ſtitutis erectionem ſedium Epiſcopalium vnam eſſe ex maioribus cauſis: * quæ ideò nonniſi Metropolitæ Comprouincialiúmque Epiſcoporum conſilio debet inchoari: non autem aliâ quàm ſupremâ Romani Pontificis auctoritate perfici poteſt. Igitur ſuper hac debuit Epiſcopus Lingonenſis Archiepiſcopi ſui, Illuſtriſſimi Primatis Lugdunenſis conſilium inquirere, ac expoſcere conſenſum. Nec eſt quod excipiat ſe in ſuo fundo eiuſmodi erectionem procurare: proindéque nihil ad Metropolitæ cognitionem eamdem pertinere. Non enim fieri poteſt in Diœceſi Lingonenſi, quin fiat etiam in Prouincia Lugdunenſi, cùm maior circulus minorem includat, & Diœceſim Prouincia, vt partem totum ambiat & complectatur. Sanè in Canone *per ſingulas*: ** decernitur Epiſcopum oportere habere ſuæ Diœceſis poteſtatem: at cautè additur: *vt eam regat & gubernet, ſecundùm competentem ſingulis reuerentiam*: Primati & Archiepiſcopo, vt præfert idem canon, debitam. Ea autem hæc eſt: *vt nihil agat ſine Metropolitano ſuo*, hoc eſt, ſine eius conſilio & auctoritate quicquam magni momenti non aggrediatur: gloſſa enim ibidem notat disertè, Epiſcopum nihil debere in ſua Diœceſi facere, præter conſenſum Archiepiſcopi, *quod ad communem ſtatum pertineat*. Erectio verò nouæ Sedis Epiſcopalis, ſtatum communem maximè reſpicit: magiſque Archiepiſcopum, qui Epiſcoporum eſt vertex, * quàm Epiſcopum tangit. Nam Archiepiſcopus curam gerit totius Prouinciæ, vt legitur ibidem, *& gloſ. penult. in cap. Paſtoral. de off. ord.* vbi dicitur Iudex totius Prouinciæ, eiuſque Paſtoralem curam gerere, etſi non ſingulariter, attamen vniuerſaliter. Quam-

* Cauſa inter Epiſcopum & Clericum ad Metropolitæ eſt iudicium referenda, gloſ. fi. in c. ſolus 9. qu. 3. Quantò magis igitur cauſa quæ inter Epiſcopum & Eccleſiam vertitur, ipſius Metropolitani examini deferri debet? Sanè vix grauior poteſt, quàm de ſecundo Epiſcopatu, inter Epiſcopum & Eccleſiam quæſtio inſurgere. Hæc eſt igitur ex maioribus cauſis quæ arbitrio Metropolitani diſcutiendæ ſunt, 6. qu. 4 ſi inter 9. q. 3. conqueſtus & diſt. 80. c. vrbes: ſupremóque Sedis Apoſtolicæ iudicio terminandæ. Eodem & can multis d. 18. & c. relatum 11. qu. 1.

** 9 qu. 3. c. 2. collimat & c. conqueſtus ib. 4. 3.

* c. Cleros V. Archiepiſcopus diſt. 21.

obrem Gratianus *in summa quæst. 3. causæ* 9. solerter docet quod sicut totius Episcopatus Ecclesiæ in potestate sunt Episcopi, sic & Ecclesiæ totius Archiepiscopatus (id est Prouinciæ) ad Diœcesim pertinent Archiepiscopi. Vocantur enim Episcopi à Metropolitano in partem solicitudinis, at non in plenitudinem potestatis, sic quippe vices eis impertit vt potestatem suam sibi non adimat. Vnde sine eius consilio nihil eis agere licet. Idque probat ex Concilio Martini Papæ. Et ea ratio est, cur Archiepiscopus omnia mala acta in Diœcesi sui Suffraganei possit punire &

7. q. 1. c. in apibus.

retrectare, *26. qu. 5. c quicumque, & d. 12. c. de his:* quamobrem Alexander II. PP. scribens ad Geruasium Remorum Metropolitam, mala omnia quæ in Gallicanis Ecclesijs hoc tempore pulullabant, Archiepiscopis imputat, quorum curâ & auctoritate vel impediri debuerant vel reprimi. Eodémque Apostolico rescripto mandat præfato Archipræsuli, vt in Belluacensem Episcopum animaduertat, qui res disperdebat Ecclesiasticas suæ Diœcesis, *eumque virgâ sanctæ auctoritatis feriat.* Itidem & Ambianensem Episcopum coerceat, qui iura inuadebat Monasterij Corbeiensis. Suessionensem verò electum, cuius infausta fuerant primordia, ab Episcopatu cui se malè ingessit, repellat. Cùm autem Laudunensis Episcopus sine ordine iudicij Abbatissam S. Ioannis Laudunensis, è regiminis solio detrusisset: mandat eidem Remensi

Extat n. 13. inter Epistolas summorum aliquot Pontificum directas ad ipsum Geruasium, quas Papirius Massonius edidit & subtexuit codici Epistolarũ Stephani Tornacensis Episcopi.

Idem epist. 12.

Archiepiscopo Pontifex, vt eam ante omnia, sicut sacri Canones præcipiunt, restituat, deinde vocato Episcopo rem cum eo discutiat, atque iuxta Apostolicarum tenorem literarum determinet. Ne verò solâ auctoritate Apostolica hæc se agere Geruasius arbi-

Hinc in Concilio Valentinjano III. sub Carolo Caluo

traretur, ſubiunxit Pontifex: illum ipſo ſuo iure Metropolico id exequi, debuiſſéque etiam ſine Pontificio mandato peragere. *Quodquidem*, infit, *ſolicitudinis ſtudium etiamſi Apoſtolatus noſtri literis permonitus non eſſes, oporteret etiam deuotionem tuam impendere: ipſúmque Laudunenſem Epiſcopum, quia* Parochianus tuus eſt, *ad hoc peragendum incitare.* Nempe quia, vt docent, ex Apoſtolorũ traditione, Antiocheni Patres, Metropolita ſingulis ſuæ terminationis præeſt Epiſcopis, curámque gerit & ſolicitudinem totius Prouinciæ: quapropter ſua præcipuè intereſt vt Suffraganei ſuo officio ritè defungantur, Prouinciáque vniuerſa, cuius Pater eſt communis Paſtorque principalis, benè conſtituatur & rectè gubernetur. Vnde prælibati Canones meritò vetant Epiſcopos aliquid quod alicuius ſit ponderis ſine eius arbitrio adoriri, potiſſimùm autem quæ *ad ſtatum communem pertinent*, abſque eius conſilio & aſſenſu, prohibent, illos agenda ſuſcipere. Iam verò neminem eſſe reor qui quærere auſit, an ad ſtatum Prouinciȩ communem pertineat Sedis nouæ Epiſcopalis conſtructio: numve competat Archiepiſcopo numerum ſuffraganearum ſibi Sedium, ac Eccleſiarum Matricium ſcire? Cùm ſi ad Metropolitæ cognitionem id non ſpectet, vix dici poſſit quid ad eius notitiam referri queat. Scribit ſanè B. Hieronymus S. Ioannem Euangeliſtam Epheſi commorantem (vbi poſt Domitiani interitum è Pathmo rediens ſedem fixit) *totius Aſiæ hinc rexiſſe Eccleſias*: ex cuius Pontificio Primatus Epheſinus inſurrexit. Porrò quia Aſiæ Metropolita erat, Eccleſiarum quibus præerat ſeriem recenſuit, diuináque reuelatione irradiatus ſingularum ſtatum & ordinem abſens licet cor-

ſtatutum fuit c.19. Vt Metropolitani de vita & opinione Epiſcoporum præcipuam curam gerãt.

de Scriptorib. Eccleſ. in Ioan. n. 10.

Euag. Eccleſ. hiſt. lib. 3. ca. 6.

pore, didicit & descripsit: Septem enim candelabra aurea ante filium hominis gloriosum fulgentia vidit, quæ ipsas Ecclesias mystico * referre simulachro cælesti voce edoctus est. Pastores verò totidem harum connumerauit, quorum sibi recitat lumine superno merita propalata; Angelos autem eosdem nuncupatos à Rege gloriæ commemorat, tùm quia munere Angelico fungebantur, tùm quia sibi, qui eorum erat Archangelus, hoc est Archiepiscopus & Primas, suffragabantur. Ex quo deprehendimus officij esse Metropolici seu Primatialis, Ecclesiarum statum & numerum suæ Prouinciæ Matricium agnoscere, Præsulúmque etiam singulorum facta scire, & Hierarchica lustrare * ac illustrare conamina. Est igitur cur Lugdunensis Ecclesiæ Archangelus tam nobili exemplo concutiatur, zelóque succensus asserendæ dignitatis & muneris obeundi, pius sui iuris vindex insurgat. Hoc enim suâ maximè interest; hoc ad eius curam potissimùm spectat, Hierarchicum Ecclesiarum, quibus præest, statum cognoscere; ordinem antiquum tueri; noua quæ in prisca iura exeruntur cohibere molimina; Sedium mutationes aut duplicationes, quæ in sua Prouincia, eô inconsultô pertentantur, maturè præpedire; Suffraganeum, qui sine suo consilio & assensu id nititur, paterna admonitione, canonicáque auctoritate coercere; iura Metropolica, quæ ille spernere visus est, vindicare; Regem Christianissimum, vt ea supremæ dexterá potentiæ fulciat protegátque precibus interpellare; Pontificíque Maximo obnixè supplicare, vt (quemadmodum ab Apostolicis ipsius decessoribus sancitum fuit) inconcussa permanere ac illibata seruari, pro summâ quâ

* Apoc. 1. 20. *Candelabra septē, septem Ecclesiæ sūt.* Quæ auri sub typo figurantur, quia, ait in hunc locum Richardus Victorinus, sicut aurum per ignem probatur, malleis extenditur, & in formam candelabri productum, efficitur instrumentum ignis & luminis: ita Ecclesiæ tentationibus probatæ & tunsionibus persecutionū extenuatæ ardent igne sapientiæ cælestis, & diuinæ charitatis.

* De visitatione Suffraganeorū & Matricium Ecclesiarum Prouinciæ ab Archiepiscopo iure Metropolico facienda extant Synodicæ sanctiones plurimæ: maximè verò Concil. Affrican. c. 19. Valent. Galliæ 3. c. itidem 19. Concil. Tolet. 4. vt refert Grat. 10. q. 1. c. relata. Synodi 8. Oecumen. can. 9. Taracon. c. 8. Lateran. Concilij Gener. sub Alexand. 3. p. 1. c. 4. Viennensis in quo probata est Clementis 5. hac de re constitutio, Concilij denique Trident. eamdem præcipientis Archiepiscopis visitationem sess. 24. cap. 3. decreti de reform. c. Vide & Bonifacij 8. sanctionem lib.

pollet in Ecclesia auctoritate decernat. Sic enim dudum edixit S. Leo.* *Secundùm Sanctorum Patrum Canones spiritu Dei conditos & totius Mundi reuerentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos: ius traditæ sibi antiquitatis intemeratum habere decernimus.* Ita & S. Gregorius scribens ad Dominicum Archiepiscopum Carthaginensem de suorum iurium imminutione conquerentem lib. 2. cap. 39. *De Ecclesiasticis*, ait, *Priuilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis iura seruamus.* Et ad Natalem Archiepiscopum Salonitanum lib. 2. epist. 37. *Quod verò dicitis nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta Maiorum Consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.* Vnde etiam Ioannem defensorem corripuit Apostolica auctoritate ea in parte abutentem lib. 9. epist. 32. subijciens ad suam redundare iniuriam, si iura Præsulum à suis administris violentur. *Quoniam si illorum*, inquit, *iurisdictio non seruatur, quid aliud agitur, nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?* Quia verò generaliter de omnium Antistitum iuribus seruandis, prolatæ ab ipso sanctissimo Pontifice istæ videri possint sententiæ: Epistola sanè 8. libri 7. (quæ ad quinque Episcopos Sardiniæ, Archiepiscopo suo honorem detrahentes debitum, directa est) aptè in metam destinatam collineat ac præfixæ prorsùs congruit materię. Illos enim eâ grauiter reprehendit quòd consuetam obedientiam & honorem Metropolitano suo non redderent, * sicque ad non obediendum aliorum corda peruer-

6. decret. tit. 20. de Censib. vlt.

* Leo ep. 82. ad Anastas. c. 2. ex cuius decretis id ipsum recitat Zacharias PP. in Cōmonitorio ad Pipinum Maiorem Domus atque Episcopos & Proceres Francorum cap. 1. Refertur etiam 25. qu. 2. c. Igitur. Cōsonat & can. seruatis ex Hormisdæ PP. epist. ad Ioan. Episc. ibidē citata. Lege etiam quæ scribit Gelasius PP. de Metropolitanorum priuilegiis ad vniuersos Episcopos Dardaniæ, vbi postquam conquestus est de illorum per nouas quorumdam Præsulum ambitiones violatione; hanc tremendam subijcit interminationem: *quòd æterno iudicio rationem de traditionum præiudiciis paternarum, non sine perpetuæ damnationis interitu, sint reddituri.*

* Sic dudum Alexander Antistes Alexandrinus aduersus Eusebium

terent, ac ſubinde monet vt Canones cuſtodiant, nihil ſine Archiepiſcopi ſui cognitione faciant: denique vetat diſtrictè ne eum poſtponere in aliquo præſumant. Porrò lib. 4. epiſt. 51. ad Vigilium Arelatenſem diſertè iubet, *vt ſecundùm priſcam inſtitutionem ſingulis Metropolitis proprius honor ſeruetur.* His verò ex Apoſtolicis oraculis, Concilij Meldenſis Patres qui ſub Carolo Caluo conſederunt, hunc Canonem depromptum vſu perenni obſeruandum promulgauere. *Vt Metropolitanis Sedibus antiquitùs ſtatuta iura ſeruentur, & à Comprouincialibus Epiſcopis iuxta regulas Eccleſiaſticas eis reuerentia exhibeatur.* Titulus etſi contractior, ſuam tamen emphaſim habet. Sic enim inſcriptus eſt. *Vt Metropolitanis reuerentiam exhibeant Epiſcopi Prouinciæ.* Renouata autem fuit eô ſacro Conuentû eiuſmodi canonica regula, propter peruicaciam Epiſcoporum Britanniæ, qui iugum Metropolitæ Turonenſis excutere nitentes, omnem ei reuerentiam ac obedientiam ſubſtraxerant. Quâ de re extant * querulæ literæ Synodi Sueſſionenſis ad Nicolaum PP. I. à 7. Archiepiſcopis & 23 Epiſcopis (inter quos enituit Iſaac Lingonenſis) ſubſcriptæ. Leguntur etiam eodem tempore literæ commonitoriæ ex parte Synodi quæ in territorio Tullenſi conuenit apud Saponarias ad ipſos Epiſcopos Britanniæ ſeu Armoricæ directæ, quibus cùm eorum conatum redarguunt, tùm ex eo maximè reprehendunt, quòd abſque Metropolitani auctoritate, grauis momenti tractare & exequi negotia præſumerent. *Decuerat*, inquiunt, *vt quorum vnum eſt officium, par ſtudium probaretur. Sacris inſtituti Canonibus non ignoramus, Metropolitano veſtro chariſſimo fratri noſtro Herardo, competentem reuerentiam vos*

Nicomediæ Epiſcopum querebatur, quòd Metropolitæ ac Primatis auctoritatē ſperneret, ac totum Eccleſiæ ſuæ ſtatum ſibi vendicaret, exiſtimans in manu ſua omne imperium eſſe poſitum. In epiſt. ad omnes Orthodoxos quam verbatim refert Gelaſ. Cyzicenus lib. 2. Actor. Concil. Nicæn. c. 3.

* Inter Epiſtolas ac Opuſcula Hincmari Remenſis à Ioanne Cordeſio ex MSS. cod. edita pag 530. & ſeq. Vbi cætera inter hæc occurrunt notanda. *Veſtram ſiquidem non latere beatitudinis excellentiam nouimus, Diœceſim Turonicam auſteritate Brittonum diutino à ſua Metropoli diuulſam penituſque diſciſſam, &c. Iam vicennis & eo licet paululum adſit annus, quo tyrannica feritate reſumpta, nec Comprouincialia*

debere, ita vt præter eius præſentiam & conſenſum nullus in regione veſtra canonicè poßit ordinari Epiſcopus, nec vos ge-nerale aliquid *ſine eius cõſenſu poſſe ſancire*. Nemo igitur reuocabit in dubium, quin ſi adhuc Patres iſti mortales inter verſarentur, atque ſacrum nunc in Cœtum conuenirent, iiſdem monimentis Reuerendiſſ. Epiſcopum Lingonenſem, in cauſa quæ vertitur forent interpellaturi. Cùm enim ipſe ſpretô ſeu ſaltem inconſulto Illuſtriſſ. ſuo Archiepiſcopô & Primatê, tantæ molis negotium ac nouæ ſedis Pontificiæ erectionem ſua in Diœceſi aggreſſus ſit: meritò, ſanè ſic eum poſſent compellare. Decuerat vt quod Metropolitam & Suffraganeum tangit, ab vtroque probaretur, ſacríſqué inſtituti Canonibus non ignoramus Metropolitano veſtro & Primati, chariſſimo fratri noſtro Domino ALPHONSO de Richelieu Eminentiſſimo S.R.E. Cardinali, ARMANDI illius Herois, (qui diuinis ac regijs fretus præſidijs, non minùs fortiter deuictâ quàm feliciter proſtratâ hæreſi, fidéque, eximiâ virtute gloriosè vindicatâ, totam non modò Galliam, ſed vniuerſam quoque Eccleſiam ſibi perpetui muneris iure deuinxit, pijſque ac præclaris aliis facinoribus, mirum ſacræ ipſi purpuræ, quæ in terris regni Dei decus eſt, ornamentum addidit) perdigno germano; competentem reuerentiam vos debere; ita vt præter eius conſilium & conſenſum nouæ Cathedræ Epiſcopalis inſtitutionem in veſtra terminatione, ſuáque prouincia vos non decuerit pertentare, nec abſque eius arbitrio tanti momenti negotium quod ſtatum reſpicit communem Hierarchiæ Lugdunenſis, inchoare & perſequi. Ita ſanè priſci illi Patres, quantùm ex eorum dictis ſuprà inductis augu-

cum Turonico Metropolitano celebrēt Concilia, nec in Epiſcoporum conſecrationibus ad eumdem quicquam reſpiciant, illi quoque Sedi nullo pacto ſe ſubdant, &c. Vnde fit vt nullus cultus Religionis inter eos, nullus diſciplinæ vigor haberi poßit in illis.

minimè expetito à suffraganeo Præsule consilio & assensu.

Martyrumque sanguine consecrata & aucta, vbi primùm iuuante Domino per orbem terrarum lacertos mouere cæpit, prouidè attendens quantùm oneris humeris impositum haberet, quot oues pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret, diuino quodam consilio Parochias instituit, Diœceses distinxit, Episcopos creauit, & METROPOLITANOS PRÆFECIT, vt tamquam membra capiti obsequentia, cuncta secundùm eius voluntatem salubriter in Domino dirigerent & tanquam riuuli à perenni fonte, Romana videlicet Ecclesia deriuantes, ne angulum quidem Dominici agri irrigatum dimitterent.

Capituli neglectus: eiusdemque vnanimis ac virilis reluctatio.

VERVM alius etiam notandus occurrit in D. Episcopi Lingonensis petitione defectus, nempe Capituli Cathedratici hac in re consensus nec exquisitus, nec exhibitus, sed vnanimis, primarij Cœtus illius sacerdotalis obnixus & repugnatio. Quæ certè tanti est ponderis, vt vel sola possit, ea quæ ab Episcopo fiunt & petuntur infringere. Ea est enim Ecclesiæ lex & forma, vt Episcopus sine Capituli sui consilio aut consensu, non possit aliquid quod grauis sit momenti, circa Ecclesiæ statum & ordinem receptum iuraque communia facere aut decernere. Extat certè in Pontificijs decretalibus lib. 3. proprius titulus, *de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli*: quo aduertere licet, quantâ diligentiâ summi illi Ecclesiæ Præsides prouiderint, ne Episcopus sine Capituli sui Cathedratici consilio quicquam in ius publicum tentaret aut aggrederetur: ita vt si graue aliquod negotium inconsultô Canonicorum collegiô agendum assumeret, id quicquid esset viribus carere decreuerint, irritúmque fore & inane penitus declarârint. Porrò cùm ex hoc titulo, tùm ex sparsis alibi Canonibus, Ecclesiasticísque institutis deprehendimus, ea quæ Episcopus tractare, facere, ac decernere prohibetur absque Capituli astipulatione, ad hæc capita referri posse. Primò enim tenetur in Ordinationibus consilium Ecclesiæ suæ Procerum requirere. Sic enim sta-

tuit Concil. Carthag. 4. c. 6. *Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet.* Et verò S. Cypriani testimonio constat * Presbyterorum Episcopo assistentium suffragio & consilio Ecclesiæ ministros delectos fuisse. Declarat verò Concilium Nannetense c. 11. * qua ratione & modo Episcopus Sacerdotum ea in re suffragationem & concursum adhibeat. Secundò debet Episcopus in grauium causarum definitione, Presbyterii sui primores in consilium adsciscere. Ita legimus 15. qu. 7. c. 6. ex Concil. Carthag. 4. c. 23. *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum* Clericorum: *alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur.* Vbi glossa nodos dissoluens, subnectit ex quorumdam DD. sententia: nullum eiusmodi Cõsiliariorum esse per se iudicem; ex aliorum autem placito, ipsos Canonicos veros esse Episcopi assessores. Tertiò, obstringitur Episcopus sacri Cœtus * elicere consilium & consensum in Ecclesiasticarum rerum alienatione. Ita constituit Leo Papa, vt refertur 12. qu. 2. ca. 52. ex Epistola ad vniuersos Episcopos Siciliæ. *Sine exceptione decernimus ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quicquam donare vel commutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquod horum faciat vt meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ.* Cui consonat Valentini Concilii decretum à Burchardo citatum hac serie. *Irrita erit Episcoporum donatio, venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione & subscriptione* Clericorum. Etsi enim Episcopus, vt Apostoli statuerunt, omnium rerum Ecclesiasticarum administrationem habeat, harum tamen non eius est dominium, * sed duntaxat canonica dis-

* Ep. 24. & 33. quæ sic incipit. *In Ordinationibus clericis fratres charissimi solemus vos ante consulere & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.*

* Refertur d. 24. c. Quando Episcopus. Et ab Iuone ex serie describitur p. 6. ca. 21. legitur autem integrum Conc. Nannet. Tom. 3. Conciliorum à Binio edit part. 2. & tom. 3. Concilior. Galliæ antiq. à Sirmondo collectorum.

* S. Hieronym. ad Rustic. ep. 4. *Ecclesia habet Senatum Cœtum Presbyterorum.* Et rursus in Esa. c. 3. *Et nos in Ecclesia habemus Senatum nostrum Cœtum Presbyterorum.* Quam sentẽtiam glos. postrema in c. Ecclesia 16. q. 1. ad Capitulũ Cathedraticum traducit, Senatusq; & Capituli aliquot conuenientias subnectit diuersis ex auctoritatibus elicitas. Vide S. Cyprian epist. 25 vbi meminit Presbyterij Carthaginẽsis, lege & eiusd. epist. 3.

Lib. 3. Decret. c. 170.

* Petrus Bles. ep. 10.

pensatio & vsus, qui Cleri * Episcopo vt capiti suffragantis & Ecclesiæ corpus referentis, ministerio & consilio fieri debet. Nam si ipsa administratione abutatur Episcopus, Capitulum cuiúsque Ecclesiæ ea in re obsistendi ius habet. Vnde cùm Garnerius 2. Episcopus Lingonensis minùs prouidè Ecclesiæ suæ bona dispensaret; Canonici eum admonuere primùm, vt consultiùs & moderatiùs sacris facultatibus vteretur: at cùm eiusmodi monita ipse contemneret, grauem aduersus eum querimoniam de bonorum Ecclesiæ dilapidatione apud sedem Apostolicam deposuerunt, eumdémque hoc nomine Innocentio 3. summo Pontifici detulerunt. Qui Episcopo Parisiensi Odoni de Soliaco, & Petro de Corbolio tùm Parisiensi Canonico, postea Episcopo Cameracensi, demúmque Archiepiscopo Senonensi, suo quondam in Theologicis institutis Parisijs Præceptori, inquisitionem huius rei aduersus præfatum Garnerium demandauit, litémque inter ipsum Episcopum & Capitulum inde subortam commisit, ternis literis datis Pontificatus sui anno I. Christi autem 1198. quarum eiusmodi est exordium 1. *Licet iuxta*, & c. 2. *Sine dolore*, & c. 3. *Cùm olim*, &c. quæ extant in posteriori tomo operum ipsius Innocentij, Coloniæ quàm concinnè & correctè impressorum apud Maternum Cholinum anno 1575. * Hocque vnicum fuit quod ab hinc notare potuerimus hactenus excitatum inter Præsulem Lingonensem suosque Cathedraticos dissidium. Summa enim semper viguit nunc vsque inter hunc & illos concordia: quoniam semper suis Episcopis illi plurimùm amoris ac honoris detulerunt, pacémque cum ijsdem impensè & sedulò coluerunt.

* Concil. Aruer. *Licitum sit Episcopis, præsentibus Presbyteris & Diaconibus de thesauro Ecclesiæ familiæ & pauperibus eiusdem Ecclesiæ secundùm canonicam institutionem, iuxta quod indiguerint erogare.* Citat Crespetius in lib. quē inscripsit. *Splendor veritatis Orthodoxæ fidei*, p. 318. Ideò aduersus Episcopum res Ecclesiasticas dilapidantem, legitur accusatio facta ab Ischyrione Diacono in Concilio Oecumenico Chalcedon. Act. I. Cæterùm sacerdos Parœciàlis Ecclesiæ suæ res malè dispensans canonicis sanctionibus etiam coercetur. Aurel. Concil. c. 11. & Epaon. c. 7.

* Eiusdem Innocentij Papæ alia legitur ad Capitulum Lingonense, data Laterani anno Pontif. 15. qui fuit Dom. 1212 rescriptio, quâ facultatem Canonicis indulget reuendicandi possessiones Ecclesiæ quas ipsis inconsultis, *Episcopi alienare præ-*

ſumpſerant, lib. 3. epiſt eiuſd à Paulo du May perdigno Senatore Diuionenſi editarum ep. 1. quæ incipit. *Ad hoc ſumus*, &c.

Porrò peccarent Canonici ſi tacerent in eiuſmodi occaſione: tenentur etenim Eccleſiæ iura tueri, ipſumque Epiſcopum, ſi quæ bona aut iura diſtraxerit, ex conceſſa ſibi ſacris his decretis auctoritate, ipſóque quod obeunt officio impedire: IIII°. In caſu Canones obligant Epiſcopum, ad Capituli ſuffragationem expetendum, nempe in dignitatum collatione ac prouectorum deſtitutione. Sic enim decernit Alexander III. Patriarchæ Hieroſolymitano reſcribens. *Nouit tuæ diſcretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui vnum corpus ſitis: ita quod tu caput & illi membra eſſe probantur. Vnde non decet, te omiſsis membris aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotijs vti. Cùm id non ſit dubium, & honeſtati tuæ, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus contraire. Innotuit ſiquidem auribus noſtris quod tu ſine conſilio fratrum tuorum Abbates & Abbatiſſas & alias Eccleſiaſticas perſonas inſtituis & deſtituis, &c. Ideóque id auctoritate Apoſtolica prohibemus. Nos enim tales inſtitutiones & deſtitutiones carere decernimus robore firmitatis.* Hæc ille ſupremus Religionis Antiſtes. Cuius ſtatuto conſonat regula illa Synodica. *Quod Epiſcopus ſolus, Eccleſiæ miniſtris collatum honorem non poſsit auferre.* Concil. Hiſpal. 2. c. 6. ſuccinit, & can. felix 14. qu. 6. V°. Tenetur Epiſcopus Presbyterij ſui adhibere conſilium in ſacrarum facultatum, ſibi ex officio creditarum diſpenſatione: ſic enim ſancitum eſt in Concilio antiquiſſimo Antiocheno c. 25. *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent cum ſumma reuerentia & timore Dei. Quod ſi conuertat res Eccleſiæ in ſuos vſus & eius commoda, non cum Presbyterorum conſcientia Diaconorúmque pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis aut propinquis committat, vt per eiuſ-*

Extat poſt Concil Lateranenſe ſub Alexandro 3. part. 50. cap. 18.

Tom. 1. Concil. part. 1 pag. 6. fol. 327: c.

Lege totā quæſt. 1. cauſ. 12. decreti p. 2.

modi personas occultè res lædantur Ecclesiæ: Synodo Prouinciæ pœnas iste persoluat. Eâdemque subinde percelluntur interminatione Presbyteri qui Episcopo res malè Ecclesiasticas dispensanti consenserint, quoniam debuerant refragari. VI°. Episcopus astringitur Capituli sui assensum expetere in Parœciarum diuisione, * earúmque decimarum & iurium, etiam quæ pijs locis fieri posset, concessione. Id enim Canonistæ eliciunt ex Concil. Tolet. vnde can. 54. causæ 16. qu. 1. depromptus est: *Plures baptismales Ecclesiæ vna in terminatione esse non possunt, sed vna tantùmmodo cum suis Capellis.* Item ex decreto Symmachi PP. relato *Can. possessiones ibidem.* Eâque de re variæ referuntur Pontificum Constitutiones, *lib. 3. decret. titulo prænotato, de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli:* præcipuè autem cap. 4. quo Innocentius III. rescribens ad Metensem Archidiaconum, edicit, *Non posse Episcopum sine consensu Capituli concedere Ecclesias alijs Ecclesiis, etiamsi ius Patronatus in Ecclesiis concessis habeat:* & cap. 5. quo idem Pontifex Episcopo mandat Heliensi, non posse Episcopum Ecclesias Parochiales vel obuentiones ipsarum, etiam *de consensu Patroni, sine consensu Capituli Monasterio conferre.* VII°. Debet Episcopus Capituli sibi conciliare assensum, & primiceriorum Cleri Cathedratici adhibere sibi consilium & concursum, generalem exequendo suæ Ecclesiæ & Diœcesis visitationem. Elicitur ex regula iuris 29. & ex Concilio

* De Parœciarum diuisione haud facilè ineunda: at nō sine Canonico Consilio ab Episcopo facienda, edita est sub Carolo Caluo Tolosæ insignis constitutio, quæ sic habet. *Vt Episcopi Parochias Presbyterorū propter inhonestum & perniciosum lucrum non diuidant, sed si necessitas populi exegerit, vt plures fiant Ecclesiæ aut statuantur altaria, cum ratione & auctoritate hoc faciant. Scilicet vt si longitudo, aut periculum aquæ, aut silua, aut alicuius certe rationis vel necessitatis causa poposcerit, vt populus & sexus infirmior mulierum scilicet vel infantum, aut etiam debilium imbecillitas ad Ecclesiam principalem non possit occurrere, & non est sic longe villa vt Presbyter illuc sine periculo ad tempus & congruè non possit venire, statuatur altare: & si ita populo complacet & commodum fuerit, ne sine ratione scandalizetur, Parochia maneat indiuisa. Sin autem præfatæ causæ postulauerint & populus non conductus, neque cupiditate vel inuidia excitatus, sed rationabiliter adclamauerit vt Ecclesia illic fieri & Presbyter debeat ordinari, hoc Episcopi Episcopaliter, teste Deo, in conscientiæ puritate, cum ratione & auctoritate sine intentione turpis lucri maturè consilio Canonico tractent, & vtilitati ac saluti subiectæ plebis quæque agenda sunt peragant, & secundùm quod subtraxerint cuilibet Presbytero de Parochia, de dispensa quoque debita ab illo minus accipiant, & alteri qui quod diuiditur à Parochia suscepit, sub hac eadem mensura imponant.* Extat inter Capitularia Caroli Calui n. 5 c 7. hinc vero habes canonicam Parochias diuidendi formam, Capellarum originem, Capellanorum sub Parœcis institutionem, Parœcialium Ecclesiarum statum & præcellentiam.

Trident. sess. 8. sub Pio 4. de reform. c. 4. Item ex directorio Visitationis generalis Romæ edito auctoritate Clementis PP. 8. ** Sic enim ibi legere est cap. 5. *Episcopus siue Visitator, Primates Cleri sui in dignitate constitutos, Canonicos & Presbyteros (quorum delectus ipsi relinquitur) ad hoc Visitationis munus coadiutores sibi publicè assumet, iisque omnibus quos sibi coadiutores assumpsit, semper vel plerùmque in tota illa Visitatione peragenda vtetur.* VIII°. Denique consilium & consensum Capituli tenetur petere Episcopus in grauium Ecclesiæ negotiorum pertractatione. Vnde correpti olim fuisse leguntur ab Innocentio 3. Archiepiscopus & Comprouinciales Episcopi Prouinciæ Senonensis qui cùm iuxta decretum Concilij generalis Lateranensis sub eodem Pontifice editum c. 8. de Synodo Prouinciali quotannis celebranda sacros agerent eiusmodi conuentus, Cathedralium suarum Capitula inuitare nolebant, imò etiam Procuratores & nuncios ipsarum Ecclesiarum recusabant ad Synodum destinatos recipere. Qua de iniuria perciti ipsi Capitulares, grauem ea de re coram Summo Pontifice intulerunt quæstionem. Vnde Pontifex Archiepiscopo & Suffraganeis, ex rei æquitate rescripsit, illos perperam Capitula contempsisse; de cætero autem mandauit ad Prouincialia Concilia, ipsa Capitula ab iisdem euocari & admitti, * hac scilicet ratione ductus, quòd membra essent corporis magis præcipua ac imprimis spectabilia: quapropter plurimùm illorum interesset scire quæ circa communem statum tractarentur. Iuxta regulam Canonicam, *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, lib. 6. inter regulas iuris n. 29.

** Auctore Luca Antonio Resta Episcopo Andriensi an. 1591. apud Guil. Facciolum.

* NOTA. Non Capitula modò Episcopalium Ecclesiarum, deinceps ad Synodum Prouincialẽ Senonensem euocari cœperunt: verùmetiam inferiorum sodalitiorum Regiæ vrbis & Diœcesis collegia. In codice siquidẽ peruetusto sacrorum & ciuilium censuum Episcopatus Parisiensis (in quo Senonense Concilium sub Petro de Charniaco Metropolita coactum describitur) Catalogus præfigitur vocandorum ad mystica comitia Capitulorum: hôc ordinẽ. Ista Capitula solent vocari ad Concilium Senonense.
Capitulum sancti Marcelli.
Capitulum sancti Clodoaldi.
Capitulum de Campellis.
Capitulum sancti Germani Antissiodorensis.
Capitula Beatæ Mariæ, & beati Exuperij de Corbolio.
Capitulum de Mõtemoranciaco.

Porrò hinc canonici Iurisperiti appositè quærunt: num Episcopus, qui Ecclesiæ caput est, possit audiri, volens, sine literis Capituli, agere pro Ecclesia sua in iudicio. Conueniunt tandem nec Prælatum sine consensu Capituli, nec Capitulum sine consensu Prælati, posse vocare in ius pro publico Ecclesiæ interesse, vel vocari, cùm omnes vnum corpus intelligantur & componant. Adduntque minùs id Episcopo fas esse: quia si Prælatus solus posset sine consensu Capituli agere vel conueniri, & præiudicaret Ecclesiæ factum Prælati, *fraus posset fieri Ecclesiæ*, &c. quod ne vsquam contingat, vetat Apostolica Sedes Prælato, negotia Ecclesiæ absque consilio Capituli tractare: si verò secus faciat, quicquid egerit pro nullo & irrito vult haberi. Sic enim rescribit Alexander III. Patriarchæ Hierosolymitano. *Fraternitati tuæ mandamus quatinus in concessionibus, & confirmationibus & alijs Ecclesiæ tuæ negotijs fratres tuos requiras, & cum eorum consilio,* * *vel sanioris partis, eadem peragas & pertractes, & quæ statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & euellenda dissipes & euellas.* Quin & subnectit, vt absentium Cathedraticorum nomina instrumentis inscribi non permittat: aliàs eiusmodi monimenta irrita & falsa fore decernit. Ex quo liquet in magni momenti rebus Episcopi factum sine consensu Capituli non tenere, imò ipso iure nullum & inane reputari. Hisque ex Pontificiis canonicisque Ecclesiæ institutis facilè est deprehendere quàm irregulariter Episcopalis Ecclesiæ Lingonensis dissectio, seu nouæ sedis Hierarchicæ ea in Diœcesi & terminatione erectio ab Episcopo pertentata sit, nempe matricis ipsius Ecclesiæ Capitulô inconsultô prorsus & inuitô. Nam cùm

Capitulum de Lusarchiis.

Glos. iegaliter in cap. Alia de procuratorib. lib. 1. tit. 38.

Prostant post Cõcil Lateran. sub Alex. 3. part. 50. c 16. & refertur lib. 3. tit. 10. cap 5. Quanto.

* Id verò ex antiquissimo Ecclesiæ more: vt liquet ex S. Cypriani ep. ad Clerum n. 6. apud Pameliũ: vbi post salutationis impensa officia hoc exordio vtitur. *Et quamquam causa compelleret vt ipse ad vos properare & venire deberem, primò cupiditate & desiderio vestri, quæ res in votis meis summa est: tum deinde vt ea quæ circa Ecclesiæ gubernacula vtilitas communis exposcit, tractare simul & PLVRIMORVM CONSILIO examinata limare possemus: tamen potius visum*

primùm de ſede Pontificali Diuione inſtituenda cogitauit, non vt oportebat Capituli Lingonenſis, cuius potiſſimùm intererat, conſilium exquiſiuit, aut flagitauit ſuffragium; ſed clam rem aggreſſus, Regi Chriſtianiſſimo ſupplicem obtulit libellum, quo ſuo tantùm nomine, abſque vlla vel Capituli Lingonenſis nuncupatione vel aſtipulatione, copiam ſibi fieri & licentiam impertiri depopoſcit, mutationem Sedis, quam ſecundariæ Cathedræ inſtauratione prætexit, à Summo Pontifice poſtulandi & conſequendi. Quâ ſubreptitiè quidem, Capitulo ſcilicet non vocato, ideóque minimè interueniente, impetratâ, ſtatim Romanam in Curiam miniſtros delegauit, qui ſua optata celeri quâ poſſent curâ & induſtriâ promouerent, citiuſque, ſi fieri poſſet, votorum cumulum obtinerent, quàm ad Capituli notitiam res ipſa deueniſſet. Verùm Dei beneficio ſingulari, ſecus contigit. Diuionenſes enim Canonici, (qui ex Lingonenſis Eccleſię depreſſione & iactura Solij Epiſcopalis, eximium ſuæ decus Capellæ, mox acceſſurum *ſperabant) non potuerunt rem, adeò ſibi, vt putabant, vtilem & honorificam, ſilentio tegere; ſed quæ inita erant hac de re inter ſe & Epiſcopum conſilia, prærogatáque conamina, ac ſecretam in Romana Curia eorumdem moliminum perſecutionem, ſparſis cùm Diuione, tùm circumquáque rumoribus diuulgarunt; sicque euenit vt ad Capituli notitiam quàm opportunè hæc Epiſcopi intentio & conatus perueheretur. Quibus non ſolâ famâ vulgi perceptis, ſed ſubinde ex rei deprehenſa veritate firmatis, Capitulum neceſſe duxit, arcana hæc conamina, quæ in Eccleſiæ graue adeò detrimentum tendebant, qui-

eſt adhuc interim latebram & quietem tenere. Scripta eſt enim hęc epiſt. dum in ſeceſſu ſanctiſſimus Præſul ageret, ex Cleri conſilio perſecutionis declinandæ quâ potiſſimũ impetebatur, cauſa. Attamen cum voce non poſſet de rebus ſacris cum ſuo Clero deliberare: id ſcripto ſæpiùs præſtitit, vt conſtat maximè ex eius ad Presbyteros epiſt. 13. & 18. Imò ad hoc internũcio vſus eſt, quo munere functus, perhibetur Tertullius Presbyter epiſt. primò citata. Rerum (inquit Cyprian.) *quæ ad pacem omnium noſtrum pertinent & ſalutem vobis à Tertullo fratre noſtro chariſſimo ratio reddetur.*

* *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.* Eſt regula iuris 48. in 6.

bus posset medijs ac remedijs amoliri, ac quàmprimum reprimere; quodque ex officio præstare obstringitur, sese Episcopo hæc adnitenti canonicè opponere: ne socordiæ & torporis infamiam, imò impiæ negligentiæ culpam incurrere, atque etiam in collusionis malignæ suspicionem aliquando possit traduci. Licet enim *ratum habere quis censeri non debeat, quod ipsius nomine non est gestum*, ex regul. iuris in 6. reg. 9. nec æquum sit, *aliquem alterius odio pergrauari*, ibidem reg. 22. Tamen *qui tacet consentire videtur.* ibid. reg. 43. Vnde in Deuteronomio decernitur, ream adulterij iudicandam esse puellam, quæ vim passa in ciuitate *non clamauerit:* quia qui malum Deut. 22. 24. suffert quod cohibere tenetur, & impedire potest, eiusdem reatus cum eo qui infert, est particeps. Quapropter & vetustissimi Concilij Antiocheni Patres, Sacerdotum, Episcopo, qui res Ecclesiæ distrahit, non obsistentium, culpam iudicat cum ipsius Episcopi noxa esse communem, parique iubet animaduersione vlciscendam. Hinc est quod Cathedratici Lingonenses (quibus post Episcopum tuendæ Ecclesiæ, vt membris mystici corporis præcipuis, onus incumbit; iusque competit administrandæ Ecclesiæ & regendæ Diœcesis, seruandæque dignitatis ac potestatis Hierarchicæ, imò & sacræ iurisdictionis exercendæ, sede Episcopali vacante; Antistite verò solio insidente, cum eo publica Ecclesiæ negotia tractare & prosequi debent * ex munere, ipsóque etiam tacente & silente tenentur eam tutari, imò & aduersus illum agere, si iura eiusdem imminuere nitatur cap. cùm Ecclesia de elect. 1. 31.) petitioni noui Episcopatus; seu binæ, in Diœcesi vna Lingonensi, Ponti-

* Sic sentiunt & suggerunt Leuthericus Senonensis. Archiepisc. & S. Fulbertus Carnot. epist. ad Clerum Parisiensem adhortatoria: quæ inter S. Fulberti epistolas serie est 34.

ficiæ Sedis, ab ipſomet Antiſtite cùm in aula Regia, tùm in Romana curia elicitæ; pro publico ipſius Eccleſiæ & ſuo totiúſque Diœceſis intereſſe ſeſe oppoſuerunt & etiamnum opponunt, quantùmque ex iure poſſunt & debent eidem obſiſtunt & refragantur. Quam etſi varijs iam productis rationibus euicerint, omni eſſe prorsùs æquitate, conuenientiáque deſtitutam: vel hac certè ſola de cauſa, nullam eſſe conſtat ipſo iure, quod à ſolo Epiſcopo, ſine vllo Capituli conſilio vel conſenſu, aut ſaltem partis minimæ ipſius Collegij ſuffragatione fuerit inſtituta. Si enim ex canonicis ſuprà retextis conſtitutionibus, non licet Epiſcopo ſine Capituli ſuffragio ſolemnes Ordinationes indicere: Quo iure potuit ſine Capituli conſpiratione, ordinem ipſum Eccleſiæ inuertere, & matricem Eccleſiam, quæ Patres fideli populo pariat, ex Capella fieri pertentare? Si cauſas etiam priuatas, ſine Cleri ſui præſentia non debet diſcutere & definire: Qua ratione potuit publicam Eccleſiæ ſuæ cauſam (qua maior eſſe nequit, cùm ſtatum illius funditùs concutiat) abſque Capituli, quod Eccleſiam ipſam ſuo collegio repræſentat, notitia & præſentia aſſumere pertractandam? Si abſque Capituli adſtipulatione nihil poteſt, quantulum ſit, de Eccleſiæ fundo diſtrahere: Quo pacto nititur, nobiliorem Eccleſiaſtici patrimonij portionem, nempe Cathedram ipſam Epiſcopalem diuidere, & iura eiuſdem diſcerpere, hocque ſpolio Diuionenſem exornare ac ditare Capellam? Si abſque Capituli ſuffragatione & concurſu Presbytero vel Monacho dignitatem conferre non poteſt nec auferre: Quî fit vt priuato arbitrio, ſine vllo Cleri Cathedratici aſſenſu, Diuioni Epiſcopa-

le decus tribuere ſtudeat, & Lingonis ſi non abrogare velit, ſaltem adeò extenuare contendat, vt ſenſim faciat excidere? Si Eccleſiaſticas facultates ſolus diſpenſare non debet: Qua ratione potuit, accito minimè Capitulo, mediam Epiſcopatus ſeu Epiſcopalis iuris & honoris partem Diuioni ſpontaneo dono gratuitóque aſcribere? Si Parœcias abſque conſilio Capituli diuidere non poteſt, nec earum decimas aliis pijs etſi locis elargiri; Quomodo aggreſſus eſt, inſcio Capitulo, ipſam Sedem ſecare Epiſcopalem, iuráque eius potiora pro libito diſpertiri? Si nec Eccleſiam viſitare ſuam poteſt, etiam ex Concilij Tridentini decreto, abſque Capituli Cathedratici præmonitione, aſſenſu & concurſu; Qua lege Eccleſiæ ipſius ſtatum demutare & dignitatem quam prouehere debet imminuere ſolus aggreſſus eſt? Denique ſi nulla grauis momenti negotia ſine Capituli conſilio debet adoriri, nec de re quæ Eccleſiam reſpiciat & ad commune ſpectet Cleri intereſſe priuato poteſt arbitrio decernere: ſed tenetur Capituli conſilium adhibere ac expetere conſenſum: aliàs quidquid conatur, cenſetur nullum & inane: Quî fit, vt ſpretô Capitulô, eóque inſciô & inconſultô, tantæ molis negotium, ac diſſectionem Sedis Epiſcopalis, nouæque in veteris præiudicium erectionem Cathedræ, non dubitauerit proprio nutu tentare, & priuato conſilio adoriri. Porrò in his omnibus Capitulum non tam queritur ſe fuiſſe contemptum, quàm honorem canonicarum ſanctionum violatum. * Vnde etſi conſtet hæc illegitima molimina ex ſe viribus carere: irrita tamen, quibus poſſunt votis efflagitant, à Summo Pontifice Canonum conditore ac vindice, commu-

* Euſeb 1. PP. & M. epiſt. 1. ad Epiſcopos Campaniæ & Tuſciæ. *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulas cuſtodire: & à Conſtitutis Patrum nullatenus deuiare.*


níque Ecclesiarum Orbis Patre ac curatore, declarari, iisque oraculis Apostolicis retrudi ac reprimi, quibus quondam Cælestinus I. noua quorumdam sui sæculi Antistitum exclusit conamina: sic è supremo sanciens Apostolorum Principis solio. *Nulli Sacerdoti liceat suos Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum regulis possit obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium forma constitutionum pro aliquorum libitu frangatur?* Cuius mediatus successor S. Leo pari maiestate edixit, *Paternas sanctiones nulla debere ratione conuelli, sed omni prorsùs auctoritate esse vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione alienum.* Cuius & successor Hilarus sacris insistens vestigiis in Concilio Romano declarauit, præcipui esse muneris Summi Pontificis sacra instituta colere & tueri: Episcopósque iis seruandis & astruendis non modò specialiter obstringi, sed eò maiori noxâ implicari, si ea conuellant quò sublimiori gradu cæteris præcellunt in Ecclesiæ Hierarchia. *Si quidem maiore reatu delinquit qui potiori honore perfruitur, & grauiora facit pondera peccatorum, sublimitas dignitatum.* Vnde Clerus Apamiarum in epistola ad Patres 5. Synodi generalis quæ 2ª. CPna. fuit, grauiter contra suum Episcopum pridem conquerebantur, quòd aduersus Canones nonnulla moliretur, quos ex ipso Episcopali officio magis tenebatur obseruare. *In his enim seruandis*, aiebant, *omnem Sacerdotis curam esse impositam, iuxta exempla sanctorum qui has tenentes sanctiones, purum lumen Ecclesiis donauerunt.*

Citat Pontificia hæc dicta Hincm Remensis in epist. ad Hadrian. PP. nomine Caroli Calui Francorum Regis exarata quę incipit. *Legimus in lib. Paralip.*

NON solâ autem dispositione canonicâ distinebatur Reuerendissimus Episcopus Lingonensis geminationem Sedis sua in Diœcesi inconsultô Capitulô procurare: sed ratione etiam triplici ex ipsis Ecclesiæ

legibus elicita obstringebatur, rem aggrediendo, Capitulum conuenire, ipsiúsque consilium expetere & assensum. Prima est: quia Episcopus nihil potest fac re in præiudicium tertii, cap. *super eo, extra de off & pot. iud. ordin. Item glos. in cap. ex tuarum de auct. & vsu pallij.* Multominùs igitur in præiudicium sui Capituli, quod Ecclesiam, cuius sponsus est, repræsentat, & vnum corpus cum ipso facit, aliquid agere potest. Verùm quàm graue præiudicium hâc nouæ Sedis erectione Capitulo ingeneretur & res per se clamat, & clarissimè inferiùs patebit. Secunda est, quod sicut in vnione necesse est vt vocentur ij quorum interest, sic in *diuisione, vt ex can. sine except. 12. qu. 2. probat Rebuf. in regul. de vnionib. glos. 11. num. 1. & 2.* Probatúrque insuper *ex Clem. vni. §. ad hæc, de statu Monach. & Concil. Trident. sess. 7. de ref. c. 6.* Porrò Capituli non minùs interest Ecclesiæ diuisio, quàm vnio, *ex cap. dilect. de off. ordin.* Igitur debuit ab Episcopo Capitulum super hâc conueniri & consuli, ac vt assensum in eam præberet rogari. *Cap. Pastorib. de donat. Azor. inst. mor. p. 1. l. 6. c. 28. qu. 12.* Tertia est, quia grauioris est momenti translatio Sedis quàm vnio Ecclesiarum: quoniam Ecclesia minùs digna, vnione illâ prouehitur, nam assumit naturam & priuilegia Ecclesiæ principalis cui est annexa, *glos. verbo vnire in cap & temporis 11. qu. 1. glossa etiam verbo vniendo, in c. 1. ne sede vacante.* At Ecclesia à qua transfertur Sedes vel dignitas, perdit priuilegia. *Cap. quanto, de translatione Episcoporum.* Sicque iudicauit Rota *decis.* 1009. *n.* 4. Igitur si, vt ritè vniat Ecclesiam Episcopus alij Ecclesiæ, debet consensum Capituli exigere (aliàs eiusmodi vnio nulla est & inualida, *Clement. vnic. § ad hæc de statu*

Monach. & Concil. Trident. sess. 7. de reform. c. 6.) multòmagis vt Episcopalem Sedem aliò transferat, vel Episcopatum diuidat, Capitulum vocare debet & eius consensum obtinere, alioqui, quicquid faciet, nullum est & omni prorsùs caret robore.



CAVSA SEXTA.

BINÆ EPISCOPALIS CATHEDRÆ vnâ in Diœcesi, insociabilis prorsùs connexio.



NEC est quòd aliquis hîc pro Domino Lingonensi excipiat, Sedis translationem ab eo non procurari, sed duntaxat postulari geminationem. Siquidem fieri nequit vt erectâ eádem in terminatione nouâ Pontificali Cathedrâ, splendorem Episcopalem vetus Ecclesia retineat; sed vt recenti sacri honoris incrementô noua promicabit, sic dimidiæ gloriæ distractione, antiqua illa occidet, paulatímque fulgore orientis obscurata penitùs interibit. Illa igitur geminatio Sedis, seu nouæ in veteris præiudicium excitatio, quouis fucô obtegatur, nihil aliud est quàm vera translatio. Idem enim dispendium quod ipsa, antiquæ Cathedrali irrogabit. Vera etenim est Platonis sententia, *lib. 5. de Repub.* quòd sicut nihil melius potest ciuitati eô obtingere, quod ipsam colligat & vnam efficit: ita ex aduerso nullum perniciosius malum ei inferri potest, quàm quod eam diuidit, & ex vna efficit plures. Cui succinens

Nicolaus Cusanus Cardinalis Excitationum lib. 8. * *Omnis*, inquit, *subsistentia est vnio, & ob hoc regnum æternum est pax, requies & vnio infinita: nec enim ibi est aliqua ieuidia disparis claritatis, vbi in omnibus regnat vnitas charitatis. Regnum igitur vitæ est in charitate, quæ est vnico, regnum mortis in odio, quæ est diuisio.* Et verò Hebraici regni ruina ex diuisione processit. Erectô autem delubrô in Garisim, Hierosolymitani templi gloria nonnihil cœpit offundi, obductáque quasi nube obscurari. Velô sanctuarij discissô in Christi passione, templum ipsum non diù post stetit, sed decidit ac corruit. Siquidem migrantibus hinc Angelis tutelaribus, ipsóque sub specie columbæ numine recedente, prorsùs euersum & dissipatum est. Nouô autem instituto Sacerdotiô, vt docet Apostolus, vetus statim defecit: *Translatô Sacerdotio*, necesse fuit, *vt legis quoque fieret translatio* Si igitur ad rem liceret hæc exempla traducere, nonne etiam fas esset horum vi argumentorum augurari? diuisô Episcopali iure & honore in Diœcesi Lingonensi, mox ipsum Pontificium penitùs excisum iri; vel erectô Diuione nouô soliô, vetus Lingonense ruiturum: translatóque hinc inde supremô Sacerdote, Ecclesiasticæ quoque prærogatiuæ translationem mox consecuturam. Vbi enim ampliùs non erit Episcopus, quomodo deinceps consistere poterit Episcopatus? Sicut enim pridem Auscijs in finibus Elusæ Nouempopulanæ Galliæ Metropolis, institutô vt opportuniori locô nouô Episcopatû, priscus non diù posteà stetit Elusæ Præsulatus, * imò & Primatus Auscium tandem omnis delatus est, vbi hodiéque sub Illustrissimo Archipræsule Dominico de Vic, per digno tot insi-

* Prodierunt primùm eius opera excusa Parisijs anno 1513. duásque in partes digesta: in quarum posteriori sunt libri 10. Excitationum.

2. Machab. 6. 2.

Matth. 27. 51.

Ioseph lib. 2. de bello Iudaic c. 12. Tacit. lib. 5. histor. Leo Mag. serm. 8. de Pass.

Heb. 7. 12.

* De Elusæ vero situ, statu & excidio: Auscijque origine, ac prouectione, ex professo egimus nostro in Martyrologio Gallic. tom. 1. et

ipsis Ecclesiæ Autcensis tabulis, ad nos à Ven. Capitulo transmissis, occasione sumpta ex S. Aspasij Pontificio, cuius dies festus occurrit 4. Non Ianuar.

Matth. 24. 28.

gnium Antistitum successore gloriosè perdurat, octo circiter sæculorum iam firmatus præsidio. Sic sanè continget Lingonibus, Sede Episcopali Diuione institutâ, huicque perenniter Episcopo insidente: Non enim vera esse non poterit Domini prædictio Euangelica, *vbi erit corpus illic & aquilæ congregabuntur.* Et facilè quidem erit Diuioni integrum Episcopatus honorem Lingonibus detrahere, sibique totum asserere, cuius iam potiorem partem obtinebit fulta ornatáque & sede præcipuâ Episcopali, & iugi ferè Episcopi præsentiâ & opitulatione, quem ab Lingonensis abstractum Ecclesiæ sinu, sibi totum deuinciet atque in diuulsè copulabit.

Nec verò, vt tam infausti queat præsagij incommodum declinari, satisfacit, quod exponit & spondet sua ad Regem Christianissimum supplicatione Reuerendissimus Episcopus: nempe post institutionem quam affectat nouæ sedis, *Episcopali honore, vtramque Ecclesiam, Lingonensem & Diuionensem, pariter atque penitùs ex æquo potituram.* Hoc enim fieri prorsus non posse, Spiritus sanctus in septimo Concilio Generali memorabili decretô declarauit. Eô siquidem publicô Ecclesiæ conuentu, ipso afflante diuinô Spiritû: Clericum vllum duabus inscribi Ecclesijs vetitum est. Cuius rei hæc redditur ratio, ipsô ex Euangeliô petita: quòd sicut nemo potest duobus dominis seruire, sic nullus potest Sacerdos aut Antistes duabus Ecclesiijs inseruire. *Clericus* (inquiunt sancti qui confidebant Patres) *ab instanti tempore non connumeretur in duabus* Ecclesiis, &c. *Audiuimus enim ex ipsa Dominica voce, quod nemo poßit duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit & alium diliget, aut vnum sustinebit,*

Canones septimæ Synodi non inseruntur actis eiusdem in edit. Coloniensi, sed eos ex Nomocanone Græco elicitos interpretatus est Gentianus Heruetus vulgauitque cum Canonibus Synodi Quinisextæ. Is verò quem citamus, in eo codice notatur serie 7. Citatur autem à Gratiano 21. q. 2. c. Clericus.

ſuſtinebit, & alterum contemnet. Vnuſquiſque enim ſecundùm Apoſtolicam vocem, in quo vocatus eſt, in hoc debet manere & in vna locari Eccleſia. Quæ vocula, *locari*, emphaſis gratiâ poſita eſt à ſapientiſſimis illis Eccleſiæ Proceribus, vt intelligeremus, quòd quemadmodum naturaliter vnum idémque corpus duo non poteſt loca occupare; ſic nec regulariter Sacerdos aut Epiſcopus duas tenere Eccleſias aut Cathedras. Verùm ratio in Canone aſſignata, exque ipſo Domini oraculo deprompta, admodum efficax eſt & appoſita; quoniam ſicut nemo poteſt duobus Dominis pari affectu & obſequio ſeruire: cùm duos habens dominos, neceſſariò ſubſequatur, vt vnum diligat, alterum verò odio habeat; aut vnum ſuſtineat & alterum aſpernetur. Sic certè Prælatus duas ſi habuerit Eccleſias, æqualem non poterit affectum aut ſtudium vtrique impendere: Nam ſi v. g. Lingonenſis Antiſtes optatis ſuis fruatur, Cathedrâ ſibi Epiſcopali in Baſilica Diuionenſi conſtitutâ, totus ei in quam propendet, deinceps adhærebit. hancque vt potiori diligentia ac beneuolentia colet ac amplectetur, ſic Lingonenſem à ſe relictam paruipendet & negligenter curabit: raróque etiam viſitabit, ſed præſentiæ ſolatio non minùs deſtituet, quàm officij Pontificalis ſubſidio & ipſius Pontificatus ornamento. Vnde peractâ eiuſmodi inſtauratione nouæ Cathedralis, quamquam titulus Epiſcopalis Eccleſiæ Sancti Mamantis adhuc inhæreat, potiùs tamen vmbratilis fuerit quàm realis; cùm Epiſcopi ſui præſentia ipſa Matrix Lingonenſis cùm ferè ſemper, tùm in præcipuis potiſſimùm Solemnitatibus ſit deinceps caritura. Nimirum illô nouæ Cathedræ vt fixæ Sedi inſi-

dente Pontificalíque apparatu, vt sua in petitione intimat, maximis in Anni Celebritatibus peragente diuina mysteria, & Pontificalia Diuione obeunte. Non dubium enim quin nouæ Sponsæ, cuius adeò ardenti tenetur desiderio, delectetur amplexibus, & in recens subiecto Presbyterio cupiat eminere, quasique nouo Firmamento infixus (vt Sol inter Astra promicat) splendescere, ac radios exerendo, fulgorem suum illic prodere perennem. Igitur natiuo hoc suo decore spoliabitur Lingonensis Ecclesia, atque in ea quamuis ab omni culpa immuni, rursus implebitur quod olim factum fuisse in Syon, intimis suspiriis ingentíque lachrymarum profluuio luget Propheta. *Egressus est à filia Syon omnis decor eius. Viæ Syon lugent, eo quòd non sint qui veniant ad solemnitatem: facta est quasi vidua, & deposita est vehementer, non habens consolatorem.*

Tren. 1.

IAM verò quæri à Reuerendissimo Antistite posset; an ipsomet sedente & demorante ferè perpetim Diuione, verè nihilominus erit adhuc Episcopus Lingonensis? Si enim ampliùs non fuerit, igitur cessabit Lingonum Basilica Sedes esse Episcopalis, Pontificiúmque decus vniuersum secum Antistes Diuionem pertrahens, eô penitus antiquam illam Matricem destituet ac spoliabit. Si verò etiamnum fuerit Lingonensis Pontifex, simúlque Diuionensis, sacris Canonibus quomodo satisfaciet, qui Episcopo actualem residentiam propria in Ecclesia adeò districtè præcipiunt? Non enim legibus sacris, vt par est, obtemperabit, si vnâ desertâ, in altera resideat. Nam decernunt Ecclesiasticæ sanctiones, vt sua in Ecclesia Prælatus assiduè commoretur, * eáque sic propria vt

* Hinc S. Gregor. Felicem Episcop. Messanens. Romã venire cupientem non permisit: sed

ſit vnica: Vetat enim Concilium Nicenum prælaudatum, Sacerdotem aut Epiſcopum duabus Eccleſijs intitulari, ſeu, vt paſſim loquitur S. Gregorius *incardinari*. Nannetenſe autem Concilium decernit, vt ſicut vir non plus quàm vnam poteſt habere vxorem: ſic Epiſcopus non plus quàm vnam habeat Ciuitatem (ſcilicet Cathedraticam) ſeu vnam Eccleſiam. Ergo mens eſt legis Hierarchicæ, vt vni Eccleſiæ copulatus, vni etiam Sedi ſedulus inhæreat. Quamobrem peccat ſi duas habet & retinet, quia nec legi obſequitur; nec officio poteſt Paſtorali cuique Eccleſiæ debito ſatisfacere. Si enim aſſiduè huic incumbit, illi non poteſt, vt debet, intendere. Cæterùm nec benè dualitatem eiuſmodi tuebitur aut excuſabit; etiamſi ipſe de vtriúſque Eccleſiæ ſtatu ſolicitus, huc & illuc diſcurrat, partémque temporis vna in Cathedrali, partem verò in altera tranſigendo æqualiter hîc atque illic alternis vicibus demoretur. Nam inconcuſſa eſt ſacrorum Canonum auctoritas, quæ eum non permittit per Diœceſim vagari aut varia domicilia incolere, & ſedem vicibus demutare ſpontaneis, ſed decernit ac ipſum obſtringit ſuæ Cathedræ fixè inſidere, * exceptóque breui interuallo, quo ob commune bonum ei liceat abeſſe, irrefragabiliter præcipit Eccleſiæ ſuæ perenniter incumbere, atque inde velut è ſpecula Paſtorali ſuper gregem ſibi creditum perennes agere excubias. Et Concilij quidem Eliberitani vt antiquitate ſpectabilis, ſic digna eſt ſpeciali nota conſtitutio, quæ vetat Prælatum *per tres hebdomadas à ſua Eccleſia abeſſe*, c. 21. Coarctauit autem Leo Magnus hunc terminum, nam ſcribens ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem vices Sedis Apo-

ei reſcripſit, vt muneri obeundo Paſtorali inſiſteret, mutuáque ſe inuicem adiuuarent apud Deum obſecratione lib. 1. ind. 9. epiſt. 64. Vide eundem ſuper reſidentia Epiſcopor. multa præclara decernẽtem lib. 2. ind. 11. ep. 35. lib. 5. ind. 14. ep. 23. & lib. 11. ind. 6. ep. 29.

* Reſidentia Epiſcopi debet fieri in Cathedrali. Ideſt in loco vbi eſt ipſa Eccleſia Cathedralis can Epiſcopus ſi de conſ. d. 3. & Verſ. gloſ. nec debet per Diœceſim vagari, niſi cauſa Viſitationis vel alia cauſa præcipua c. Placuit 7. qu. 1.

Vide eandem Regulam firmatam T. 1. Concil in f. p. 455.

ſtolicæ obeuntem, ſeuerè prohibuit ne *vltrà quindecim dies* Epiſcopi à ſuis abeſſent Eccleſijs, etiamſi fortè pro quadam occaſione iuſtâ & neceſſariâ, in aliquem locum fuerint euocati. Vnde mos inualuit vt nonniſi cum formatis * Metropolitanorum ſuorum *literis*, fas eſſet Epiſcopis Sede ſuâ excedere, & ad Conuentum Eccleſiaſticum, ob quoduis negotium ſe conferre, aut Regium etiam Comitatum. Imò nec honorandæ Eccleſiæ cuiuſpiam gratiâ in Diœceſi ſua conſtitutæ, fas eſſe Patres Epiſcopo voluerunt, ſuam Cathedraticam Eccleſiam ad tempus relinquere: ſed nec leuandi cauſa tædij diutiùs ruſticana in poſſeſſione commorari. Sic enim ſanxerunt Patres Affricani Concilij c. 38. *Vt nemini ſit facultas relicta principali Cathedra, ad aliquam Eccleſiam in Diœceſi conſtitutam ſe conferre; vel in re propriâ diutiùs quàm oportet, conſtitutum, curam vel frequentationem propriæ Cathedræ negligere.* Quam regulam priſci Galliæ Antiſtites adeò religiosè ſeruauerunt, vt tempus etiam, quo poſſet compellente neceſſitate, vel ſolatij causâ Epiſcopus, ſua ab Eccleſia abeſſe, non extra tres hebdomadas voluerint (vt pridem Eliberitani Patres ſtatuerant) protelari. Sic etenim in Concilio Francofordienſi auctoritate Apoſtolica Hadriani Papæ, Caroliquè Magni auſpiciis (quemadmodum in ipſo actorum Synodalium limine cernitur) celebrato, legimus ordinatum. *Vt nullus Epiſcopus propriam Sedem amittat alicubi frequentando, aut in proprijs rebus ſuis manere audeat ampliùs quàm tres hebdomadas.* Vbi notanda venit hæc ſcribendi formula; propriam Sedem *amittat*, conſultò enim non dictum eſt dimittat, quia veteres Eccleſiæ conſtitutiones, Epiſcopum ſuam Eccleſiam negligen-

Epiſt. 81. c. 10.

* Formatarum litterarum commercium ab Eccleſia Romaua manaſſe Optat. Mileuit. indicat lib. 2. cont Parmen. Quarum vſum commendat Mileuit. Conc. c. 20 typum autem habes expreſſum ad calcem Concilij Chalced. in Attici epiſt. Meminit earumdem S. Greg. lib. 7. ind. 2. epiſt. 8. & lib. 7. ind. 2 epiſt. 62. & Vigilius PP. epiſt. 7. ad Auxanium Arelatenſ. Epiſc. Harum ſeriem ex priſco vſu Gallicanæ Eccleſiæ refert Marculphus* Monachus inter veteres formulas lib. 2. c. 12.

Extat in Codice Canonum veteri Eccleſiæ Romanę, primùm Moguntiæ edito aduerſus Lutherum anno 1525. demùm verò Pariſijs an. 1609.

tem & frequentiùs à ſua Cathedra recedentem, non modò pœnitentiæ addicebant ſubeundæ, verùm etiam priuabant ipſo Pontificatu, (vt notat & monet Anaſtaſius Patriarcha CP. epiſt. 4. ad Apamiæ Epiſcopum de neceſſaria Epiſcoporum reſidentia) ſi per ſex menſes abeſſet ſua ab Eccleſia principali, niſi grauis eum morbus diſtinuiſſet. Nec id quidem immeritò: Si quidem vt ſcribit S. Leo ad Turbium Epiſcopum Aſturienſem epiſt. 31. c. 16. *Qua conſcientiâ honorem ſibi Sacerdotij præſtitum illi vendicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant? Beſtiæ irruunt, & ouium ſepta non claudunt; fures inſidiantur, & excubias non protendunt; morbi crebreſcunt, & remedia non proſpiciunt.* Hinc igitur facilè eſt aduertere Dominum Lingonenſem à Canonicis inſtitutis non fore immunem, etiamſi ſuâ in Diœceſi reſidendo mediam Anni partem Diuioni, mediam Lingonibus morando impertiretur. Nam etſi ex æquo tempora diuideret, ſemper ſex menſibus, cùm ab vna tùm altera abeſſet Pontificali Eccleſiâ: & dum vnam curaret, nec coleret, nec incoleret alteram.

Vide acta Concilij Rom. ſub Leone 4. in quo Anaſtaſ. Card. S. Marcelli depoſitus fuit; & S. Greg. epiſt ad Anthemium S. R. E. Subdiaco. contra Pimenium Amalphitan. Epiſc. qui in Eccleſia ſua *Sacerdotali more reſidere* negligebat. Necnon Alexand. 3. reſcript. ad Sarisber. Epiſcop. part. 50. Concil. Lateran. Et Conc. Oxon. c. 6. & 7.

Verùm ne rigidè nimis videamur agere cum eo, vim antiquorum Canonum exerentes: ex praxi Eccleſiæ vigenti, quæ indulgentior videri poſſit, ſat fuerit debitum reſidentiæ actualis quod exigimus, hîc expendere. Certè in Concilio Oecumenico Tridentino, cùm quæſtio de reſidentia Prælatorum diù ſatis fuiſſet atque ſtudioſè agitata, num ſcilicet ipſa eſſet de iure diuino, necne: *Patres in eam ſententiam conſenſerunt, nihil eſſe in lege Euangelica & Canonica Epiſcopis vberiùs commendatum & diſtrictiùs iniunctum, nihil Paſtorali eorum officio magis eſſe

* Hac in cauſa luculentam habuit in Concilio Orationem Cardinalis Montanus qua liquidum fecit, Præſulum ac Paſtorum abſentiæ, omnium Eccleſiæ malorum originē aſcribendam.

conſentaneum, nihil denique populo Chriſtiano magis fructuoſum, quàm Epiſcoporum reſidentiam perennem. Quamobrem cùm de ea præſtanda multi toto orbe Chriſtiano Prælati parum ſoliciti reperirentur, vnde hæreſes (ſicut notat Alphonſus à Caſtro lib. 3. de iuſta hæret. punit. c. 4.) & ſcandala quæ Eccleſiam concutiebant, multiplicia emerſerant: placuit Spiritui ſancto & Patribus in Chriſti nomine eô Conuentû Eccleſiæ generali conſidentibus, Canones qui temporum iniuria in deſuetudinem abierant, aduerſùs non reſidentes promulgatos innouare, ſic tamen attemperatos, vt & tempori conuenirent, & Eccleſiæ neceſſitati, ſubortíſque calamitatibus, ac crebreſcentibus malis Reipublicæ Chriſtianæ poſſent in poſterum deſideratam medelam, ac remedium opportunum conferre. Igitur Decreto de reformatione ſeſſ. 53. c. 1. vbi reſidentia actualis quibúſque Prælatis, (ſeuerâ interminatione præmiſsâ) fuiſſet iniuncta, quia Epiſcopi nonnulli, negotiorum occurſu variorum, repentinorúmque accidentium occaſione cauſabantur, ſæpè ſæpiùs à ſuis Eccleſiis ſe vel inuitos auocari: ne hoc obtentu abuſus paſſim irreperent, prouidè ſapientiſſimum Concilium adiunxit, ſub pœnis eô decretô contentis, ne Epiſcopis fas eſſet, ſingulis annis vltra tres menſes à ſuis Eccleſijs abeſſe, idque non niſi ex causâ rationabili, & ſine vllô gregis detrimento: neque itidem ſine expreſſa licentia, in literis concedendâ, atque, niſi cauſa notoria & repentina ſubſit, à Summo Pontifice, vel Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo approbanda; Admonet autem, imò ſub pœnarum Canonicarum denuntiatione prohibet ſacroſancta Synodus, *ne abceſſio eiuſ-*

Lege Apoſtolicam Conſtitutionem Pij 4 quæ incipit, *De ſalute gregis Dominici*, editam an 1560. necnon ſanctam Pragmaticam Chriſtianiſſimorum Regũ Franciſci 2. & Caroli 9. in Comitiis Aurelianenſibus ſancitam & in Senatu promulgatã.

modifiat in Aduentu, Quadragesima, Natiuitate Domini, Resurrectione, Pentecoste, & festis Corporis Christi, quibus diebus oues refici debent Pastoris præsentia, & Antistes sua in Ecclesia Episcopalia munia obire. Nec verò hæc restrictio à Patribus Tridentinis fuit primùm adhibita. Nam in 3. Concilio Lugdunensi sub Pelagio 2. Pontifice, Guntramno Rege, (hoc est ante annos mille) celebrato: hæc lex edita fuit. *Vt nullus Episcoporum Natalem Domini, aut Pascha, alibi nisi ad Ecclesiam suam, præter infirmitatis incursum, aut ordinem Regium* (i. e. Regiam euocationem & mandatum *) *celebrare præsumat.* Signanter veró Patres Pascha, non autem Resurrectionem Domini expresserunt: quoniam in solemnitate Paschali, hoc est in maiori quam dicimus hebdomada, & triduo Resurrectionis ac octaua, sacra mysteria peragi debent, quæ nec alibi quàm in Cathedratica Ecclesia oportet fieri, nec ab alio quàm Episcopo confici possunt & obiri. Nam præter quàm Ordo Romanus diserte præscribit Dominica in Ramis Palmarum, dum frondes oliuarum ramíque Palmarum à Sacerdote benedicuntur, debere Concionem ab Episcopo super Euangelium fieri ab Archidiacono prælectum, Clero Matricis Ecclesiæ circumstante & populo vniuerso: Certè sequentibus feriis *in Ecclesia*, vt dicitur, *regia** fieri debent quæ Episcopo penitùs sunt propria. Etenim feria 4. Christi æterni Pontificis in Sancta, salutiferum vt commemoret ingressum, congregatô omni Clerô & populô, ipsi ex Pontificio munere incumbit, solennes orationes in Ecclesia maiori peragere. Sic enim habet Ecclesiasticus Ordo præcitatus. *Feria 4. Hebdomadæ maioris, quæ est pridie Cœnæ Domini hora tertia conueniunt omnes Pres-*

* Attamen quoniam Galli Episcopi passim prætexebant mandato Regis se præpediri, ni sacris conuentibus adessent: Concilium Turon. 2. c. 1. hanc etiam excusationē prorsùs exclusit. *Placuit vt bis ad Synodum annis singulis Metropolitanus & Comprouinciales sui in locum quem deliberatio Metropolitani elegerit, Deo propitiante conueniant. Aut si necessitas sicut hactenus, ineuitabilis præpedierit, vel semel in anno, sine cuiuslibet excusatione personæ, id est Regia vel priuata, sine cuiuscumque vtilitatis obstaculo, præter infirmitatis certissimæ laborē præuentum, nullius occasione velaminis habeat vnusquisque concursum: sed sicut dictum est, neque per impedimentum ordinationis Regiæ; neque sub occasione vtilitatis, aut causa propria debeat à Concilio separari, Apostolo prædicante. Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? &c. Nō debet spiritali operi etiam regalis præferri præceptio, cùm primum in Ecclesia sit mandatum.* Di-

ligés Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.

byteri, tam de Ciuitate quàm de ſuburbanis, & omnis Clerus cum populo in Eccleſia ſtatuta intra vrbem, expectantes Pontificem, qui ſemper per ſe in Eccleſia Maiore orationes fundit ſolemnes ipſa die, ſicut in Sacramentorũ libro (quem retexuit S. Gregorius) *hôc ordine. Qui cùm veniens de ſacrario, proceſſerit cum ordine ſuo ante altare, ad orandum ſuper oratorium, mox vt ſurrexit dicit, Oremus. Et Diac. Flect. gen. leu. dat orationem: Deus à quo & Iudas. Poſt Amen, ſequitur, & dicit orationes ſolemnes. Oremus dilectiß nobis in primis pro Eccleſia Dei: & cæteras per ordinem. Tantùmmodo pro ſe intermittit. Poſtea dicit orationem pro Rege Francorum vel Imperatore.* Ex qua oratione liquet non ſic eſſe, Romæ duntaxat, agendum; ſed in Gallia quoque & vbique. Porrò feria 5. res explorata eſt, & Pontificali apparatu Epiſcopalem abſolutionem Epiſcopum debere populo impendere: & ſolemni prorsùs officio (:id obeundo duodecim Presbyteri, ſeu Cardinales, ſeu Cathedratici ipſimet Epiſcopo ſuffragantur & cooperantur:) Chriſma, oleúmque Cathecumenorum atque Infirmorum conſecrare. Eâdem autem die ex eiuſdem Ordinis præſcripto tenetur mandatum Dominicum implere, atque Chriſtianæ perſoluere humilitatis exemplum. Ita enim habet ſacra ipſa ſeries agendorum ea die. *Expletis omnibus procedat Dominus Epiſcopus cum omni alacritate, cum Presbyteris & Clero. Lectóque Euangelio & data oratione ponat veſtimenta ſua, & præcinctus linteo præparet ſe ad lauandos* * *pedes diſcipulorum ſuorum.* Feriâ autem ſextâ in Paraſceue, quoniam non fit officium Sacerdotale, * (eò quod non offeratur ſacrificium) Epiſcopi munus eſt ſolemnes orationes recitare, ſic enim habet liber antiquus Ritualis. *Tunc venit*

* Hoc eſt principali ſeu Cathedratica. Cui ideò Baſilicæ nomen propriè competit. Eſt enim quaſi Regia Dei & ſanctorum. Nam ibi cultus diuinus potiſſimùm celebratur Chriſt* per Sacramentum pietatis præſentialiter inhabitat, Sancti quorum ſacra pignora illic ſunt condita, requieſcunt, adeſtq; ſemper Angelorũ ſacri loci tutelariũ frequẽtia. De hoc nomine diſſerit S. Chryſoſtomus. hom. 28. ad popul.

* De hac ceremonia ex Eccleſiæ antiqua praxi diſſeruit pridem S. Cyprian. ſerm. de ablutione pedum. S. Ambroſ. lib. 3. Sacram. c. 1. Et S. Bernard. ſerm. in Cœna Domini. Eius verò myſteria explicauit ſubinde Iacobus à Vitriaco ſerm. 3. feriæ 5. in Cœn. Dom. vbi eiuſdem diei cæteros ritus myſticos ſublimi ac ſuaui doctrina referat.

nit Pontifex ante altare, siue vt in alio ordine legitur; *transit infra thronum in dextram partem Ecclesiæ, & dicit* Orationes *solemnes. Presbyteri verò Ecclesiarum, siue de vrbe, siue de suburbanis, vadunt per Ecclesias, vt hoc ordine hora 9. cuncta vsque ad Vesperam faciant, hoc tantùm mutantes, vt vbi Pontifex nominat APOSTOLICVM, ipsi nominent Episcopum suum.* Ergo Episcopus in maiori Ecclesia officio defungitur: vnde subsequitur ipsum per se Crucis initiare adorationem: *Venit Pontifex solus, & adoratam deosculatur Crucem.* Cæterùm in Sabbato sancto, liquet non solùm ex sacramentario S. Gregorij, librisque antiquis ritualibus, Episcopi esse proprium officium Baptisterium reserare, * benedicere, atque solemniter Cathecumenos baptizare, vngere & confirmare: sed etiam hoc ipsum ex sanctorum Patrum monumentis fit omninò conspicuum: vt videre est apud S. Clementem lib. 7. Apost. Const. c. 43. vbi ita habet de Summo Sacerdote: *Deinde venit ad aquam, benedicit ac glorificat Dominum Deum omnipotentem.* Et apud S. Dionysium de cælesti Hierarchia cap. 10. *Ad Matrem adoptionis Hierarcha venit, eiusque sacra appellatione inuocationeque, sanctificatis aquis, eas trina vnguenti perfusione perficit.* Hinc S. Ignatius in epist. ad Smyrnenses: *Non liceat sine Episcopo baptizare.* Et Tertullianus lib. de Baptismo cap. 17. *dandi quidem Baptismi habet ius Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Episcopi honorem.* Inde est quod olim in Ciuitate vnum Baptisterium erat, idque in Ecclesia Matrice, quænunc dicitur Cathedralis, constructum: vt colligitur ex S. Athanasio epistola ad omnes vbique Orthodoxos, vbi Baptisterij ab Arianis in Ecclesia

* Alcuin. lib. 1. off. Ecclef.

* Concil. Tolet. 17. de regul. fid. cap. 2. huius ritus ita commeminit. *Licet in initio Quadragesimæ Baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen sicut Ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, necesse est, vt ostia Baptisterij in eodem die Pontificali manu annulo assignata claudantur, & vsque in Cœna Domini solemnitate nullatenus reserentur: ob id videlicet, vt & per signaculum Pontificum (excepto grauissimæ necessitatis obuentu) in his diebus monstretur per totū Orbem nō licere fieri Baptismum, & sanctificationem, iterum Episcopali ad eum obseruatione reserata, signetur Dominica patere mysterium Resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini, vt quia per Baptismū, consepultus est in morte Christi, resurgat cum eo in gloria Dei. Quòd quia in aliquibus Ecclesiis minimè hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiā sancimus atque decernimus; Vt ita ab omnibus Hispaniæ & Gal-*

liarum Pontificibus custodiatur, quatenus in prædicto die, initij videlicet Quadragesimæ & ostia sancti Baptisterij cum Iæ.dum consumatione claudantur, & ab Episcopis suo signaculo obsignentur; ita vt nisi in Cœna Domini celebritate, quando more solito altaria debent deuestiri, eadem debeant ostia reserari.

* Sic vertens: *Ecclesiis & Baptisteriis flamma iniecta.*

* Concil. Matisc. 2. can. 3. hoc de more seruando specialem edidit sanctionem.

Alexandrina, & cum ipsa Ecclesia, incendio absumpti meminit, non plurali, vt Interpres perperam * expressit, sed singulari numero, ait enim ἡ μὲν ἐκκλησία, καὶ τὸ ἅγιον βαπτιστήριον πῦρ πολεῖται: *Ecclesia quidem & sanctum Baptisterium igne absumptum est.* Baptismum autem solum in vigilijs Paschæ & Pentecostes (præter necessitatem ingruentem) olim fuisse celebratum & ministratum, res adeò explorata est, vt superfluum sit id probatione exquisita conuincere. Tertulliani vel vnius sufficit testimonium lib. de Bapt. c. 19. *Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat, cùm & Passio Domini in qua tingimur impleta est. Exinde Pentecoste ordinandis lauacris latissimum spatium est, quo & Domini Resurrectio frequentata est, gratia Spiritus sancti dedicata, & spes Aduentus Domini subostensa.* Cui adstipulatur S. Leo epist. 4. ad vniuersos Episc. Siciliæ. Huius & antiqui ritus vestigium adhuc perdurat in solemni aquæ Baptismalis, quæ fit in vigilijs Paschæ & Pentecostes, benedictione. * Hanc verò quondam peregisse Episcopum, Ordo Romanus præcitatus apertè insinuat, *in off. Sab. sanct.* vbi legimus, *Pontificem, fontem benedicturum, hora nona, in Ecclesiam venire.* Porrò *in Ordine Sabbati Pentecostes*, idem præscribitur, cùm *explenda* dicuntur *circa Baptismum omnia sicut in vigilia Paschæ.* At nunc licet Episcopus aquam in vigilia Paschæ non soleat benedicere: in Ecclesia tamen sua Pontificalibus dat operam officiis, Ordines generales celebrans, vel Neophytos sibi oblatos Chrismate salutis & signo Crucis confirmans. In die autem Paschæ sanctissimo, diuina mysteria tenetur peragere, solemníque apparatu Pontificio, Christi celebrare triumphum. Sic enim habet antiquus liber

Pontificalis: *Die sancto Pascha induti solemnissimis vestimentis omnes Clerici conueniunt ad stationem., procedente Pontifice cum Ordinibus suis. Cùm verò Ecclesiam introierit, sumit vestimenta sua solemnia.* Solemnis etenim dies inter omnes, officium solemne, apparatum solemnem, omniáque solemnia exigit, * iuréque suo deposcit (aut certè nullus alius) vt Episcopus munus suum solemniter obeat, suáque præsentiâ populum suum lætificet, Ecclesiam Sponsam suam suo fulgore illustret, Deum honorificet publicô ministeriô, religiosóque ac deuotô famulatu.

* Hinc in Concil. 2. Matisc. de Paschali solemniter agenda celebritate canon iste serie 2 editus fuit. *Pascha itaque nostrum in quo Summus Sacerdos & Pontifex pro nostris delictis, nullam habens obnoxietatem peccati immolatus est, omnes debemus festiuissimè colere & sedula obseruare syncertate, in omnibus venerari, vt illis sanctissimis diebus* (nempe tribus ante & totidem post Dominicæ Resurrectionis diem) *nullus seruile opus audeat facere: sed omnes simul coadunati, hymnis Paschalibus indulgentes perseuerationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes Creatorem nostrum, vespere, mane, & meridie.* Intimabatur autem annis singulis Paschalis Solemnitas circa diem Epiph. Episcopis per Metropolitanos: vt generaliter cognosceretur, & ab ipsis Præsulibus, cum Clero & populo, augustiori apparatu perageretur & celebriori ritu. Concil. Aurel. 4. c. 1 & Braca. 2. c. 9. Cui praxi collimat illud Fulberti Carnotens. epist 79. *Vestes & cætera ornamenta Ecclesiæ, quæ lauari volunt, procura, vt festa Paschalia suo candore venustent.*

HAC igitur ex inductione perspicuum fit, duas Ecclesias Cathedrales, vna etiam in terminatione Episcopum non posse nec debere sibi vendicare. Cùm enim duobus in locis existere nequeat, sic nec officia, quæ maximis his Solemnitatibus, Episcopali in Ecclesia persoluere sacra lege obstringitur, poterit vtrobique exequi. Nam si in vnâ earum hæc peragat, alteram oportet, hoc solatiô & honore, quo principatum tenere Ecclesiasticum dignoscitur, penitus carere, suóque vt ita dicam Sòle, ipsô in meridie orbari. Docet Dominus in Euangelio *amicos sponsi*, gaudiô Matth. 9. 15 iure affici & exilire. *quamdiù sponsus cum eis est*; flere verò tùm debere ac mœreri, cùm ab eis ipsum continget *auferri*. Sic igitur Diuionensis Ecclesia quia noui sponsi præsentiâ potietur, his vt ipse pollicetur augustissimis Christianæ pietatis Celebritatibus, *innixa* Cant. 8. 5.

ſuper dilectum ſuum delicijs affluet, affatímque ſua felicitate gaudebit. Lingonenſis verò lumine ſuorum oculorum orbata, Sponſo viduata, honore ſuo ac decore deſtituta, his ipſis Solemnitatibus, triſtis ac deſolata congemiſcet, ac amarè ſuam vicem deplorabit, deteriorique ſorte fiet qualibet Parœciali ædicula, quæ proprij Paſtoris præſentiâ cùm ſemper, tùm his maximè diebus perfruitur: proindéque tunc lætante toto in Orbe Catholica Eccleſia, ſola conficietur mœrore, ſuffuſáque pudore iacebit intimo dolore confixa. *Plorans* (vt quondam de Hieruſalem dicebat Propheta) *plorabit in nocte* (nam in noctem, ei, qui clariùs affulgere ſolebat, vertetur dies) *& lachrymæ eius in maxillis eius, nec erit qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes enim qui glorificabant illam, ſpernent eam, cùm viderint ignominiam eius.* At verò dicet quiſpiam: Aliquo eam ſolatio ipſemet Epiſcopus recreabit; quia ſi Diuione Paſcha peregerit, Solemnia Pentecoſtes Lingonibus celebrabit, ſicque vtráque Eccleſia alternâ vice ſplendore Pontificali potietur, & Paſtoris ac Epiſcopi pari prorsùs fruetur gratiâ ac opitulatione. Verùm id etſi faciat, non tamen ex æquo vtríque Eccleſiæ proſpiciet ac ſuffragabitur. Enimuerò quæ Eccleſia feriis Paſchalibus Epiſcopi potietur præſentiâ ac præſidio, longè meliori erit conditione quàm altera; quandoquidem potioribus commodis ac honoribus, quibus eam impertiet Epiſcopus, gaudebit: Officij nimirum Pontificalis gloria, Chriſmatis conſecratione, ſolemni Pœnitentium abſolutione, Sacerdotalis ordinationis honore, Confirmationis gratiâ, & Pontificiâ ipſo in die Paſchatis benedictione. Et olim quidem deplorabat Leo PP.

Thren. 1. 2. 8.

Magnus infelicem Ecclesiæ Alexandrinæ vicem, conquerens ad Leonem Augustum, per crudelissimam insanámque pseudosynodi Ephesinæ sæuitiam, cum aliorum cælestium Sacramentorum lumine extincto, & paricidalibus impiorum manibus substractis mysteriis, Chrismatis etiam illic sanctificationem defecisse. At si ea quæ expetitur ab Ecclesiæ Lingonensis æmulis Sedis nouæ Episcopalis eádem interminatione erectio, semel impleatur; certè tunc opus fuerit egregium hunc Leonem suos iterare rugitus: mox enim extincto in antiquissima illa Ecclesia abcessu Antistitis Pontificij ministerij ac ornatus fulgore, omnia replebuntur horrore & tristitiâ. Clerus enim suo destituetur Præsule, Ecclesia Sponso, populus Pastore, Cathedra Præside, vrbs honore; nec modò ibi occidet, quo hactenus longè hæc Ciuitas enituit Hierarchicæ potestatis decus, sed Chrismatis quoque sanctificatio, quæ fieri illic ab Religionis incunabulis consueuit, deficiet; denique omnis hinc Episcopalis prærogatiuæ gloria excidet, & benedictionis fons Sacerdotalis, qui inde in totam Diœcesim solebat erumpere & diffluere, sensim exhaustus, vel aliò per occultos & subterraneos meatus traductus, prorsùs cessabit & euanescet. Dicet fortasse Episcopus se ad Chrismatis consecrationem, (vt in communem vsum Diœceseos commodiùs dispertiatur) vtriúsque Ecclesiæ Episcopalis Clerum conuocatum iri, atque sic, Diuione quamquam munus hoc Pontificale exequatur; Ecclesiam tamen Lingonensem sacri honoris consortio semper potituram, cùm nonnisi adlectis Cleri Lingonensis Primoribus, Diuionensis Capituli sodalibus coadhibitis,

Epist. 75. cap. 5. Rem gestam fusè describunt Euag. lib. 2. c. 8. & Niceph. lib. 15. c. 16.

ceremoniam hanc insignem, Episcopalémque præcipuam functionem, vnquam sit exorsurus & peracturus. At sic Ecclesia Lingonensis non tam honorabitur, quàm nouâ atrociorique afficietur contumeliâ: his enim diebus quibus ampliùs solet Pontificio decore fulgere, magis obscurabitur, suo nimirum Episcopo & Primiceriis Cleri, hoc est Sole ac syderibus, suis videlicet luminibus ac columinibus destituta. Nec inde etiam Cathedratici illi Lingonenses, qui ad Chrismatis mysticam confectionem Diuionem euocabuntur, vllam recipient distracti honoris compensationem: quin potiùs nouum dispendium ac dedecus perpetientur. Enimuerò vel ab Episcopo, vt iure antiquitatis præpollentes, natiuæque prærogatiuæ titulo magis spectabiles, digniori constituentur loco potiorique honore impertientur: vel, quod verendum est, (ob intimum Episcopi ipsius, Diuionensi cum Capitulo, consensus affectum) in inferiorem detrudentur ordinem & concessum. Si primum refragabuntur Diuionenses: nec enim creditu facilè est, eos passum iri, vt in æde ac Sede sua, Lingonensis Clerus, cui iam nihil ex institutô suô obnoxij sunt, primas teneat, ac Ecclesiastici Principatus, cuius tùm erunt participes, præcipuum sibi eo loco vendicet decus. (Nec id verò non sine aliqua congruitatis specie Collegium Diuionense impediret: nam locus nonnihil iuris incolis tribuit & honoris, *glos. de longinquo in can. iuxta, dist. 93.* Vnde loci ratione præsumitur pro aliquo & contra aliquem: v. g. pro domestico contra forensem, *glos. in Ciuit. in can. non satis 14. qu. 1.*) Porrò si alterum contigerit, Episcopus cùm veteres Cathedraticos Lingonenses, recens erectæ

Diuionensis Cathedralis Ecclesiæ alumnis postponeret, certè non possent Lingonenses integrâ conscientiâ & saluo honore illatam hanc in se Ecclesiæ suæ iniuriam tolerare: proindéque ni censerentur, *cum Esau primogenituræ suæ iure*, probrosâ & detrimentosâ ignauiâ *cessisse*: * necesse foret illos in faciem suo Episcopo obsistere, ac quasi consertis manibus cum Diuionensi Presbyterio de gradu suo, & antiquæ Matricis iure ac prærogatiuâ colluctari: vel certè properè loco excedere, insigni affectos contemptu: quod minimè fieri posset absque ingenti scandalo. Iam verò sic exclusi cùm fuerint sacræ Celebritatis consortio, hanc neque Episcopus poterit eo quo eum decet apparatu ac comitatu peragere. Non enim Capella Diuionensis eo est Canonicorum numero prædita, qui possit Episcopo conficienti Chrisma, ea qua par est dignitate suffragari. Nam vt ex libro Pontificali & Ordine Romano constat, duodecim Presbyteri hoc in exequendo ritu solemniter debent Episcopo assistere. Oportet etiam septem Diaconos adesse, qui septem repræsentent Archidiaconos, quos Basilicæ cuilibet Cathedrali addixit vetus Ecclesiæ Politia, vt colligitur ex Concil. Neocæsar. c. 15. & Concil. Aquisgranensi c. 7. vbi legimus. *Apostolos* * *vel successores Apostolorum* * *per omnes Ecclesias decreuisse septem Diaconos ordinandos, qui sublimiori gradu cæteris, proximè circa aram Dei, quasi columnæ altaris assisterent.* Imò & Ordo Romanus prælibatus, plurimos Subdiaconos, inferiorísque gradus Ministros hac in solemni *sacrosancti* (vt habet) *Chrismalis mysterij* peractione, Episcopo & Presbyteris eius cooperatoribus, ex præfixo ritu, obsequentes requirit. Quos certè Di-

* Iuo Carnotensis epist. ad Hugon. Archiep. Lugdun. *De tantillo*, inquit, *iure quod habent Ecclesia nostra, nec volumus, nec debemus cedere* Cùm B. *dicat Cyprianus: Quàm periculosum sit in diuinis rebus, vt quis cedat iure suo & potestate Scriptura sacra declarat, cùm Esau primatus suos inde perdiderit, nec quod semel cessit recipere postmodum potuerit.*


* Act. 6.

* Lege epist. 1. Fabiani Papæ. Tom. 1. Concil.

uionensis Capellà, quæ pauciores habet Canonicos, nullos Archidiaconos, nequit suppeditare. Igitur in noua hac Cathedrali exclusis, vel sponte ob gradus honorem denegatum abscedentibus Primiceriis Cleri Matricis Lingonensis, ritè, vtque decet & oportet, ex Ecclesiastico more solemnis consecratio Chrismatis, oleíque Infirmorum & Cathecumenorum benedictio non poterit celebrari. Proindéque ipse Episcopus nouæ Sedis accremento dispendium Pontificiæ maiestatis recipiet, spoliata antiquo iure & decore vetus Matrix Ecclesia, iteratâ afficietur iniuriâ; Noua vero Cathedratica ardentiùs exquisito fraudabitur honore, quo cùm ob paucitatem Canonicorum non possit congruè potiri, necesse erit, vt quæ gloriam ex eo tantopere quærit, perpessa confusionem, rubore suffundatur ex suæ exilitatis verecundia. Sic igitur Chrismatis consecratio, quæ fons omnis benedictionis est, conuertetur in occasionem inuidiæ & perniciosæ æmulationis: & vnde manare debent fluenta pacis, inde suborientur fluctus discordiæ, fomentáque diuisionis & contentionis perpetuæ.* Plura verò ex hac infaustâ geminatione Sedis emersura non dubium est scandala, quæ consultiùs fuerit prouida præcautione anteuertere, quàm serâ nimis pœnitentiâ tandem dolere, & extremo eóque communi dispendio experiri.

* Iacob. ep. c. 3. v. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?

CAVSA



CAVSA SEPTIMA.

EXCITATIO NOVÆ SEDIS IN Lingonensi Episcopatu nec necessaria, nec vtilis: quinimò prorsùs superflua ac noxia.



VBLICÆ quidem salutis ac necessitatis gratiâ, à lege paululùm deflectendum esse, ipsa iura sacra permittunt: *can. quoniam d.* 48. *qu.* 7. *c.* vbi legimus quædam necessitatis causa in Ecclesia tolerari: cùm necessitas ipsa faciat licitum, quod aliàs illicitum est, *cap.* 3. *de celeb. Miss.* 4. *Decret. Item cap. fi. de Custodia Eucharist. ibidem. & cap. licet de pœnit. & remiss. lib.* 4. Verùmtamen nulla tanta potest esse necessitas, quæ principem seu Præsulem virum bonum & sapientem debeat impellere ad turpia & inhonesta publicè concedenda. Nam ipsa necessitas aliquem in malo actu non excusat, *glos.* 1. *in can. quoniam dist.* 48. *& glos.* 1. *in can. sicut* 32. *qu.* 4. *Cùm *non sint facienda mala* (docet Apostolus) *vt eueniant bona.* Quamobrem cùm geminatio Episcopalis Sedis vnâ in terminatione, sit, vt præostensum est, Deo inuisa, ipsi vnitati qua consistit Ecclesia (*glos. Tunicam in cap.* 1. *de Schismat. lib.* 6.) noxia, sacrísque Canonibus aduersa; sitque non minùs euentu periculosa, quàm exemplo probrosa, cùm polygamia Sacerdotalis, Laicam etiam inducat, seu sæcularem: certè ab Episcopo, & quidem religiosissimo ac sapientissimo, qua-

* Nulla necessitas excusat factum quod in diuina constitutione prohibitum est. *Can. sicut de Consec. dist.* 1. Rom. 3. 8.

lis eſt Reuerendiſſ. Lingonenſis, ea minimè admittenda eſt ſua in Diœceſi, multominûs autem affectanda. Tametſi verò in certo caſu poſtularet neceſſitas, duplicationem Cathedræ Pontificalis eodem in Præſulatu, ab Epiſcopo flagitari poſſe vel tolerari: non tamen in eo qui occurrit, haberet Lingonenſis Antiſtes vllam rationis ſpeciem, quo propoſitum ſuum oſtendere poſſet dignum excuſatione. Nulla ſiquidem niſibus eius ſubeſt neceſſitas, quæ erectionem nouæ Sedis Diuione, vel geminæ ſpeculæ Paſtoralis in Diœceſi Lingonenſi exigat excitationem, vt hunc ſuum conatum obducere poſſit vllo conuenientiæ prætextu, vel æquitatis colore.

Ariſt. 2. Phyſic. textu 84. & lib. 5. Ethic. c. 4. & 5. Senec. epiſt. 37. 62. & 120. Alexand. Halenſ. part. 2 ſummæ Theolog. qu 69. art. penult S. Tho. 1. p q. 3. a. 3. & 8. q. 82. 1. c. & in 3. ſent. diſt. 16. q 1. S. Bon in lib 1. ſent. d. 6 q. 1. Scot. quolib qu 16. ad 1. art. ſub fin. Gab. in 4. ſent. diſt 16. q vnic. a. 1. & Gerſon. part. 1. de poteſt. Eccleſ. cõſid. 2.

ENIMVERÒ vt miſſa faciamus ea, quæ cùm Philoſophi, tùm Theologi docent de diuerſa ſpecie neceſſitatis, abſolutâ videlicet ſeu ſimplici, reſpectiuâ ſeu conditionali; quam diuidunt in neceſſitatem congruentiæ, ſeu conuenientiæ, & expedientiæ ſeu vtilitatis. Item de neceſſitate antecedentis & neceſſitate conſequentis, de neceſſitate perſonæ vel naturæ, de neceſſitate internâ & externâ; determinatâ & indeterminatâ, neceſſitatéque præcepti & neceſſitate medij: his inquam omiſſis, neceſſitatem hîc attendimus eo ſenſu quo paſſim neceſſarium ſumitur & communi vſu intelligitur, nempe pro eo quod fieri opus eſt, nec aliter ſine imminenti periculo & ſubſequenti diſpendio poteſt ſe habere. Neceſsitas enim, ſi qua ratione à lege eſt immunis, (vt habetur *gloſ. 1. in c. licet de pœnit. & remiſſ.*) inde certè fit, quod communem vtilitatem reſpiciat, quam vt aſſequatur, minus incommodum patitur, vt maius effugiat. Etſi enim, vt ex Apoſtolo intimatum eſt, non ſint facienda mala

vt bona eueniant, minora tamen mala ſapienter tolerantur, vt minora deuitentur, & leuiora damna perferuntur, vt grauiora declinentur detrimenta. Quod & regula illa Eccleſiaſtica prodit, can. nulli, diſt. 42. *Neceßitatis tempore permittitur, quod illa ceſſante prohibetur*. Et hæc alia, *Ob neceßitatem & vtilitatem multa licent, quæ aliàs non licerent*: can. mutationes 7. q. 1. & gloſ. fin. in can. cœpit 24. q. 1. *Nam & neceßitas & vtilitas æquiparantur*, cap. poſt tranſlationem §. cùm ergo de renunt. Hincque Marcilius Ficinus, vir ſua ætate perdoctus, qui plura reliquit poſteris præcelſi ſui ingenij monimenta, quorum alia ad Platonicam Philoſophiam, alia ad Theologiam pertinent & pietatem Chriſtianam: doctis ſuis in S. Dionyſij librum de diuinis nominibus Commentariis, ſolerter obſeruat, neceſſarium quodammodo attinere ad bonum, quatenus vtile, conferens ad finem certum eligendum; hancque conditionem omninò alienam eſſe à malo: quia quod neceſſarium, quod bono publico vel priuato confert, veram & honeſtam reſpicit vtilitatem. Quam doctrinam è libro illo diuino elicitam, ipſius auctor S. Dionyſius à ſuo inſtitutore ac initiatore S. Paulo accepit, qui etſi permulta ſibi licita fuiſſe inſinuet, ea tamen ad vſum & actum non eſſe reuocanda docet, quoniam non eadem iudicaret congrua fore aut vtilia. *Omnia*, inquit, *mihi licent, ſed non omnia expediunt, omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant*: ſubinſinuans ea demùm cenſenda eſſe neceſſaria & licita, quæ itidem honeſta ſunt & vtilia, nec libertate, aut poteſtate quemquam debere publica ſeu priuata facta ſua tueri: quoniam ſi ſcandalum inde ſuboriatur, nec libertas, nec poteſtas im-

1. Cor. 6. 12. & 10. 22.
Cui Apoſtoli documēto collimat illud S. Bernardi lib. 3. de Conſid. c. 4. *Spiritualis homo ille qui omnia iudicat, vt ipſe à nemine dijudicetur: omne opus ſuum trina quadam conſideratione præueniet. Primùm quidem an liceat, deinde an deceat, poſtremò an expediat. Nam etſi conſtet in Chriſtiana vtique Philoſophia, non decere niſi quod licet, non expedire niſi quod decet & licet; non continuò tamen omne quod licet decere, aut expedire conſequens erit.*

munem à culpa reddit auctorem. Vnde ſubnectit, *Omnia in Dei gloriam facite, ſine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus & Eccleſiæ Dei: ſicuti & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

Pulchrè autem & verè Potho * priſcus Presbyter Prumienſis lib. 3. quem conſcripſit *de ſtatu domus Dei*, obſeruat Sedem Apoſtolicam quæ Chriſti ipſius Cathedra & Thronus* eſt, *Fundamentum eſſe totius obedientiæ & diſciplinę:* Nam etſi Summi Pontifices hæredes Pauli, Petríque Apoſtolorum Principis ſucceſſores, qui Domini Vicariam gerunt in terris perſonam, atque *Spiritus ſancti officio*, apud fideles (vt loquuntur Oecumenicæ IIII. Synodi Conſtantinopolitanæ Patres) defunguntur: Poteſtatis plenitudinem in vniuerſa Eccleſia acceperint, ita vt quodcúmque ijs viſum fuerit poſsint ex ſuſcepto officio ligare & ſoluere; atque de qualibet re Hierarchicâ, ſupremo iudicio, proprióque arbitrio decernere: idque (quoniam nullius mortalium examini obſtringuntur) ** ſine vlla cauſæ aut rationis qua moueri potuerint deſignatione. Non tamen hoc mero vti ſic voluerunt imperio, vt quidquid potuerint, id pro libito fecerint, ſed intra cancellos Apoſtolicæ moderationis, ſeſe piè ac prouidè continentes, quicquid vnquam ſumma auctoritate in Eccleſia fecerunt aut decreuerunt, rationi innixum, & neceſsitate quam publica

* Tom. 9. Bib. PP. p. 583. edit. nouæ.

* Hac de cauſa S. Cyprian. lib. 1. ep. 3. docet, locum Chriſti Iudicis Pontificem in Eccleſia tenere. *Neque enim* (ait) *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus IVDEX VICE CHRISTI cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus Sacerdotum collegium quicquam moueret.* Hæc ille inclytus Martyr & Antiſtes perſpicuè de Romano Pontifice loquens, ad quem etiam hæc ipſa ſcribit. Ideò & ipſum Papam, *Chriſtum Domini* appellare ac aſſerere S. Bernardus non dubitauit lib. 2. de conſ. c. 8. & l. 4. c. 7.

** *Prima Sedes à nemine iudicatur*, inclamarunt Concilij Sinueſſani Patres, ſub Marcellino. Idemque ſancitum fuiſſe legitur in Concilio Rom. ſub Silueſtro can. vlt. vnde patet quàm ineptè Caluinus cauilletur, imò putidè mentiatur lib. 4. Inſt. c. 7 §. 9 & 19 dum ſugillat Gratianum quaſi decreta quæ Rom. Pontificis dignitatem adeò magnificant, confixerit: ſummoſque Pontifices faſtus inſimulat quod ipſi proprijs Decretis ſibi hanc prærogatiuam arrogârint, vt nullius ſe iudicio ſubiacere aſtruerent. At benè eſt quod ipſemet Caluinus ſuo ſe iugulat gladio: dum eodem lib. & c. § 10. Anaſtaſij Patriarchæ CP. (qui ex genio Sedis æmulæ, Romano Pontifici noluiſſet adulari) epiſtolam commemorat ad Felicem Rom. Pontif. qua auctoritatem Papæ ſuper omnes Eccleſias ſupremam agnoſcit, & ſupereminentem

commendabat vtilitas ſuffultum, ſuis ſemper actis & edictis ſtuduerunt oſtendere. Quod S. Bernardus ſapienter notat & potenter inculcat in quadam epiſtola ad Mediolanenſes, qui vertigine neſcio qua percuſsi, Apoſtolicæ Sedi debitum honorem & obſequium detrectabant rependere: *Plenitudo*, inquit, *poteſtatis ſuper vniuerſas Orbis Eccleſias, ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Poteſt, ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus vbi hactenus non fuerunt; poteſt eorum qui ſunt alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit, ita vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit, epiſt.*131. *circa med.* Vbi duæ illæ particulæ maximè attendendæ ſunt: *Prout ratio ſibi dictauerit*; &, *Si neceſſe viſum fuerit.* Hæ etenim innuunt quod etſi Papa legibus canonicis, qui Canonum ipſe conditor eſt, ſolutus ſit, tametſique de ſuo facto aut iudicio nulli teneatur reddere rationem * cùm nemo ſit mortalium qui poſsit ei dicere, *Cur ita facis?* tamen pro Chriſtianæ humilitatis exemplo, ſolere Pontificem, ſupremum Orbis arbitrum, & totius Eccleſiæ Patrem, Paſtorem ac Legiſlatorem, quicquid agit in Hierarchico regimine, quicquid mutat aut innouat in Eccleſiaſtico ordine, ſemper ad rationis trutinam religioſè expendere, nihilque eiuſmodi diſponere aut exequi, niſi quod æquum & rationabile * iudicauerit, ac neceſſarium repererit, & fore cenſuerit fructuoſum. Docet & id ſpeciali monimento Gelaſius PP. ſanctiſsimus. Is enim cùm probè ſciret Claues regni cœlorũ ſe tenere, proindéque & Canones condendi, & ab ipſis diſpenſandi, plenam Rege gloriæ impertiente ſe recepiſſe in beato Petro poteſtatem: lege ſancita declara-

poteſtatem ac immunem ab cuiuſuis ſubiectione dignitatem ipſis in antiquis Canonibus fatetur prædicatam. Oblatrat equidem Caluinus tui ſus in ſacrorum Canonum qui hãc referunt epigraph:n contextores (obliquè carpens Gratianũ qui hanc recitat c.9 q.3.c.11. & 12. & Iuonem apud quem etiam legitur p.2. c 15) At nihil quo fidẽ his detrahat dum adducit: apertè indicat ſe mera ex malitia ac contradicendi libidine eiuſmodi deliria effutire, adeòq; contra patentiſſimam veritatem inuerecundè argutari.

* Ennodius ex Diacono Epiſc. Ticinenſis, in Apologetico pro quarta Synodo ſub Symmacho; qui liber mira conſenſione Patrum comprobatus fuit i.. 5. Synodo, ſub eodẽ Pontifice: *Aliorum* (inquit) *hominum cauſas Deus voluit per homines terminari. Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio: voluit Petri ſucceſſores Cœlo tantùm debere innocentiam.* Refertur etiam 9.q.3. c.aliorum: vide & can. ibidem eadem de re congeſtos, Epiſtolamque [illegible]

Commonitorium Gelasij I. ad Faustũ officiorum Magistrum de Acatio à Sede Apostolica damnato. Item Concilij 8. Act. 7. S. Bonifacij Episc. Mogunt & Martyris insigne hac de re documẽtum à Nauclero relatũ, Gen. 26. Consule quoque Platinam in Leone 3. & Paulum Æmil. lib. 3. hist. Franc.

* Gofrid. Vindoc. Opusc. 2. de Ordinat. Episcop & inuestit. laic. Et Opusc. 1. *Qualiter in Ecclesia dispensationes fieri debeant ad Calixtum Papam.* Item ep. 2. 9. & 11. ad Iuon. Carnot. Episc. Consonat & can. Non nos, dist. 40.

Epist. 1. c. 1. & ref. 1. qu 7. c. 6.

* Gelas. 2. PP. terminos Episcopalium Sedium iterũ in Gallia distinxit. Plat. & Onuph. in eodem.

* Collimant his insinuationibus canonicis, præclara dicta Pothonis Prumiensis superiùs laudati.

uit, Apostolicæ quidem Sedis decreta, quæ strictioris obseruationis essent, in his quæ ad Ecclesiarum spectarent statum & ordinem, Pontificem posse pro ea qua pollet auctoritate summa moderari. Verùmtamen id non faciendum esse, sine conuenienti necessitate, diligentíque consideratione adhibitâ: Sic enim rescribit ad Episcopos Lucaniæ. *Necessariâ rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine conuenimur, sic Canonum paternorum decreta librare, & retrò Præsulum, decessorúmque nostrorum præcepta metiri, vt quæ præsentium necessitas temporum, in restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita diligenti consideratione (quantùm potest fieri) temperemus.* Porrò non dubium est; (patet enim ex suprà inductis) stricti esse iuris, Episcopos Ecclesijs quibus ordinati fuerunt indiuulsè inhærere, fixósque & discretos debere singularum Ecclesiarum permanere terminos. * Adeò vt Sanctionum eiusmodi relaxatio, vna sit ex maioribus causis, quæ supremo Ecclesiæ Pontifici, ex Canonum præscripto, praxíque perenni reseruetur; 17. *dist. c. multis c. 7. qu. 1. c. mutationes q. eadem c. non oportet. & 16. qu. 1. c. & temporis.* Quamuis autem Summus ille Religionis Antistes, qui viuum Dei omnipotentiæ organum est, iure suo possit efficere, vt Episcopus sine culpa queat de Ecclesia ad Ecclesiam transire; quem potest & inuitum transferre de Sede primùm susceptam ad aliam, maiorem vel minorem: Item eadem auctoritate, Ecclesias inferiores, ad Episcopatus honorem prouehere: hæc tamen ipse Pontifex nunquam facit, sed nec facturum decreuit absque vrgenti necessitate & vtilitate consequenti, non priuata equidem sed publica. * Sic enim Anterus Papa &

Martyr edixit, Apoſtolico programmate directo ad Epiſcopos Bæticæ & Toletanæ Prouinciæ. *Mutationes Epiſcoporum ſcitote communi vtilitate atque neceſsitate fieri licere, ſed non propria cuiuſque voluntate aut dominatione*, & infrà: Quoties vtilitas aut neceſſitas coegerit, id decernit poſſe fieri, ſed *nec ſine ſacroſanctæ Romanæ Sedis auctoritate & licentia*. Id verò docet Pelagius 2. ſcribens ad Benignum Archiepiſcopum epiſt. 2. vbi diſtinguit inter *mutare & mutari*, & inter ambitum priuatum & neceſſitatem publicam ac vtilitatem communem. *Scias frater*, inquit, *dilectiſsime aliud eſſe cauſam neceſsitatis & vtilitatis: aliud cauſam præſumptionis ac propriæ voluntatis. Aliud enim eſt mutare & aliud mutari. Aliud eſt ſponte tranſire & aliud eſt coactè & neceſsitate venire.*

Porrò neceſſitas quam in ſacris Canonibus Patres Pontificéſque exigunt, eiuſmodi eſt, quæ eo caſu qui occurrit nulla reperiri poſſit. Nam præterquàm nuſquam arbitrati ſunt poſſe neceſsitatem aliquando exigere, vt duæ Sedes vna in terminatione (quod vetant diſtrictiſsimè Eccleſiaſticæ leges) conſtruerentur: Sanè vt migret Epiſcopus Lingonenſis ex Vrbe ſua Diuionem, exque Eccleſia Matrice Lingonenſi, ad Capellam Regiam Diuionenſem, atque hinc illuc transferat vel transferri ſtudeat Cathedram Pontificalem, nulla prorsùs ingruit neceſsitas, quæ id ſuo vendicet atque depoſcat iure. Requirunt enim Canones *neceſsitatem ineuitabilem*, vt diſertè legimus 7. qu. 1. c. *ſicut vir*: qui ſic inſcriptus eſt: *Non licet Epiſcopo Eccleſiam ſuam dimittere abſque ineuitabili*, vt eſt in textu, *neceſsitate*. Porrò ineuitabilis neceſsitas ea eſt, quæ extrema eſt & nequit vllo modo vitari: vt mors,

Poſtquam enim auctoritatem Apoſtolicæ Sedis dignis encomijs commendauit, ſic & miram in exemplum proponit Summorum Pontificum, circa ſacros Canones & Patrum ſtatuta reuerentiam, atque moderationem. *Præſumptuoſum eſt*, ait, *quibuſlibet Prælatis, veterum ſtatuta immutare, noua inſtituere, cùm ſolùm id Apoſtolicæ Sedis diſpenſationi conceſſum ſit, cùm pro temporis neceſsitate vel pro vtilitate Eccleſiæ aliquid de inſtitutis Patrũ immutari debet. Vnde Beatorum Pontificum Gelaſii & Leonis decreta in hac ſententia concordant. Vbi neceſsitas non eſt nullo modo Patrum ſtatuta violentur: vbi verò neceſsitas fuerit, ad vtilitatem Eccleſiæ cuius praeſt ea (Pontifex) diſpenſet* Et infrà. *In hoc vtique S.R. Eccleſiæ Pontifices alijs pares eſſe voluerunt, quòd nõ tam nouæ inſtitutionis auctores, quã veteris executores exiſtere ſtuduerunt. Quod non ſolùm Romano ſed cuilibet Epiſcopo idem Gelaſius licere teſtatur. Hinc ergo liquidò datur intelligi, quõ tùm minoris cuiuſlibet poteſtatis humilitas, maiorũ ſuorum inſtitutis*

vel primi motus, qui in nostra potestate non sunt. Estque eiusmodi necessitas, vt aiunt Philosophi, absoluta seu simplex, * quia quod ita necessarium est, nulla possit ratione impediri, sed omninò fieri & esse debeat. Verùm neminem reor esse qui reputet Episcopum Lingonensem hac necessitate, eô qui vertitur casû constringi: nec enim nisi Sedem suam Diuionem transferat, vel ibi aliam instituat, illi eminet interitus, nec vrbi impendit excidium. Neque huic proposito adeò astrictus est eius voluntatis affectus, vt planè sit determinatus, & non possit, quod pro libito assumpsit, demutare consilium, arbitriúmque suum in oppositam vertere intentionem. Et de sententiæ quidem mutatione, palàm est illum posse simplici nutu decernere: de suo autem, aut vrbis Diuionensis extremo periculo (in quod, deficiente eo quem intendit conatu, necesse sit incurrere) exploratum est, id prorsùs nullum habere ipsa in re fundamentum: quandoquidem Diuio, à prouectionis suæ primordijs, ad plenum vsque receptum huius suæ magnitudinis decus, sæculis non paucis, absque Episcopali Sede benè constitit, hactenúsque inconcussè perstat. Hinc enim liquidò constat, eamdem posse sine hac prærogatiua Sacerdotalis honoris, (quæ vt probatum est, nihil ad eius existentiam confert, neque in esse ipsam constituit*) etiam in posterum, cæteris fultam & ornatam eximijs honorum titulis, florentissimam subsistere; maximè cùm nonnullæ sint in Orbe Gallico vrbes, quæ politicis dotibus conspicuæ, amplitudine non minores, eodem nihilominùs, quem nec expetunt, carent Ecclesiastico splendore. Sed num alia quàm extrema, seu absoluta

obtemperare debeat, si Romana Sedis authoritas tantam sacris Canonibus exhibet reuerētiam, vt prædecessorum suorum statuta magis exequi quàm mutare soleat.

* Necessitas æternis rebus inest absoluta ratione, caducis verò ex suppositione tantùm tribuitur. Arist lib 1. de part. animal. c. 1.

* *Si incolæ benè morati sunt, benè munitum est Oppidum.* Plaut. in pers.

luta necessitas, subsit, quæ migrationem hanc Episcopi, seu Sedis transuectionem, siue nouæ & secundariæ Cathedræ erectionem vrgeat vel exigat inuestigandum est: idque etiam ex Canonica theoria. Sacri Iurisperiti de necessitate differentes, nó multú discrepañt à Philosophorũ ac Theologorũ placitis; docent siquidem, quálibet necessitatem ad duas species referri posse. Alteram quam dicunt *absolutam* seu *simplicem*, alteram *respectiuam* siue *conditionalem*. Priorem significantiori epitheto vocitãt *necessitatem ineuitabilitatis*: Posteriorem *congruentiæ*; ad quas etiam *publicam* seu *communem*, & *priuatam* seu *propriam* reuocãt: eo quòd quæuis necessitas, siue statũ publicum, siue priuatum respiciat, non possit aliter quam modis de præmissis alterutro occurrere. Porrò ad publicã rem quod spectat, iã ex Philosophorum regulis de *necessitate absoluta* tractantes, euicimus nullã hic necessitatem, quæ dici possit *ineuitabilitatis* (cum illa enim coincidit) intercedere: cùm res suo in esse, absque eo quod exposcitur additamento perfectè consistat: nã Diuio absq; Episcopali Solio feliciter constat, nec metuendum est vt huius inopiâ vel defectu, hoc quo micat gloriæ sęcularis decore exuatur. Ad necessitatẽ autẽ quod pertinet *congruentiæ*, quæ non adesse, nec benè esse, sed ad meliùs esse confert, superiùs etiã propalauimus, nullã itidem, in causa quæ agitur reperiri. Quandoquidem Diuio non meliori sorte esse debet qualibet Orbis alia ciuitate nobilissimâ: cùm nulla sub cælo recenseri possit, quæ non aliquo seu commodo indigeat, seu ornamento careat. Sola cælestis est Ciuitas, superna vtique Ierusalem, quæ hac prærogatiuâ clareat, vrbs perfecti decoris vt sit, & dici possit. Vnde suis dotibus,

quæ ſanè maximæ ſunt & vberes, Diuio ipſa contenta eſſe debet, atque quieto animo in rerum ſuarum ſtatu conquieſcere. Idque tantò libentiùs quantominùs Epiſcopali Sede opus habet, Lingonibus proxima, ſpeciali Vicario Epiſcopali fulta, imò continua ferè ipſius Epiſcopi præſentiâ honorata, & perenni ſolicitudine exculta: denique tribus Præſulibus, qui iure Epiſcopali potiuntur, Abbatibus nimirùm S. Benigni ac S. Stephani, Decanóque ſanctæ Capellæ, quorum opitulationi ac paſtorali clientelæ omnis ferè Clerus & populus, nihil Epiſcopi ferulæ obnoxius, ſubiacet, tribus vti cardinibus innixa; ac Collegio Patrum Societatis IESV (quibus iure laudem aſcripſeris inſignem, qua dudum Arnulphus Epiſcopus Lexouienſis, ad Sedis Apoſtolicæ ſcribens Proceres, Romanæ Eccleſiæ Miſſos, præco ipſe laudatiſſimus, ob præcelſa merita commendabat. *Viri ſunt, in quibus tanta refulget Apoſtolicæ ſanctitatis & doctrinæ perfectio: vt eis plus gratiæ merita contrahant, quàm terroris reuerentia diſciplinæ: quorum ſanctitatem miratur populus, ſapientiam Clerus vſquequaque collaudat*, epiſt. 23.) Horum inquam Chriſtianæ pietatis & ſapientiæ columinum religioſo gymnaſio, Diuio nitet decorata, ac firmo vti fidei & doctrinæ propugnaculo corroborata, necnon Aſceterijs Carthuſianorum, Franciſcanorum, Capucinorum, Minimorum, quaſi tot myſticis agminibus, cincta ac communita. Igitur publica Ciuitatis huius neceſſitas, id quod in eius gratiam efflagitat Lingonenſis ipſemet Præſul, non exigit nec expoſcit. Priuata verò ipſius Epiſcopi nec id expoſtulat. Nam vt Lingonenſem matricem deſerat Eccleſiam, Epiſcopalémque ciuitatem; hincque Sedem hierarchicam traducat Diuionem, nul-

la equidem causa canonicis expressa* legibus vrget aut impellit. Nec enim (vt in partis secundæ Proëmio piæ huius defensionis intimatum est) eum Lingonibus exagitat, Diuionémque vt se recipiat adigit Barbarorum aut Hæreticorum incursio, seu metus; vrbis Matricis desolatio, Cleri rebellio, Populiue malitia: sed potiùs Populi amor & deuotio, Cleri pietas & obedientia; Vrbis quæ nunquam firmiori aut florentiori statu emicuit dignitas & splendor perennis, huic vt immoretur, & Sedi tot à sæculis instauratæ, ac suum nunc vsque illibatum decorem retinenti, vt sponte sua inhæreat, totque insignium antecessorum vestigia insecutus, ibi ad extremos vsque spiritus (provt ipse pollicitus est) persistat, summopere inuitant, suauiter alliciunt, strictiùs deuinciunt, atque modis omnibus obtestantur. Cùm igitur nulla causarum, quæ priuatam ingerunt seu publicam Episcopo necessitatem Sedem mutandi, vel secundariam expetendi, Domini Lingonensis votis ac conatibus suffragetur, palam est his quæ exposcit sacros Canones refragari, neque vt necessitatis prætextu bifidam sibi vendicet Sedem vllatenus permittere, sed districtè prorsùs prohibere. Ideóque à cœptis desistere, eum iure ipso teneri. *Necessitate* etenim cessante, *cessare etiam debent, ea quæ fiunt necessitatis causa,* can. Pastoralis 7. qu. 1. & in Summa 35. qu. 1.

* Perlustra hasce Canonicas sanctiones 7. qu. 1. c. & temporis, 15. qu. 2. c. si quis, & c. Ita nos. Item de consecrat. dist. c. tribus Et tit. de translat. Episcop. per totum, Decretal. lib. 1.

Cæterùm nec vtilitatis speciem potest ipsemet Reuerendissimus Lingonensis, suscepto à se nouæ Sedis erectionis consilio, obducere: cùm id quod nulla ratione necessarium est, nec fructuosum esse possit. Vtilitas etenim est quædam necessitatis species, quæ dicitur à Scholasticis *expedientia.* * Verùm abun-

* Hinc apud Pontificios Iurisperitos vtile sumitur pro necessario gloss. pen. in cap 1. § fin. de iura. cal. lib. 6. & cap quæris de temp. ordin.

dè ſuperiùs demonſtratum eſt, geminationem illam Cathedræ nullatenus Lingonenſi Antiſtiti expedire, nec Clero Diuionenſi nec populo: cùm nec Pontificio muneri ſuo meliùs obeundo, vel ſarcinæ Paſtorali commodiùs perferendæ, eiuſmodi Cathedræ duplicatio quicquam conferat, neque potiora Clero & populo ſalutis ſubſidia vel Paſtoralis curæ ſolatia poſſit impendere. Sanè beatus Thomas rectè docet, aliam vtilitatem eſſe quæ finem reſpicit, aliam quæ ad media tendit. Nemo autem dubitauerit finem curæ Paſtoralis, ouium creditarum eſſe ſalutem:* media autem quæ huic procurandæ inſeruiunt, eſſe Sacramentorum diſpenſationem, ſanæ doctrinæ prædicationem, Eccleſiaſtici ordinis ac diſciplinæ obſeruationem & tutelam. Porrò his omnibus obeundis Epiſcopalis officij muneribus, priſci Lingonenſes Epiſcopi, vni Eccleſiæ Matrici incumbentes, vni Cathedræ inſidentes, ſatis ſupérque curæ ac operæ præſtiterunt, adeóque feliciter gregis totius ſui ſaluti proſpexerunt, vt nihil queri poſsint Diuionenſes incolæ, ſibi ſubſidij Paſtoralis per quindecim ſæculorum quæ iam effluxerunt curricula defuiſſe: nihil porrò optare valeant, quod meliùs ſuam poſsit ſalutem promouere: cùm Maiores eorum ſine Sedis Epiſcopalis ambitu vel aſpectu, ſola at ſedula Epiſcopi Lingonenſis Paſtoris ſui clientela ac opitulatione finem fidei & ſpei Chriſtianæ ſint, felici ſuæ pietatis ſucceſſu, conſecuti. Sanè etſi maxima ſit Romanis gloria, quòd apud eos ſtabilita ſit Apoſtolica Sedes, quódque Solium gloriæ Pontifex Maximus apud eos teneat, non tamen ex eo quòd inſigni hac prærogatiuâ potiantur, ſunt omnes** *vicintores ſaluti*, his po-

1.p. qu. 62.a.9.

* In hac enim Epiſcopus totius ſuæ curæ ac operæ meritum & præmium habet. Vnde Apoſtolus Philippenſes quos Chriſto progenuerat, blandè compellãs appellabat, *gaudium ſuum & coronam in Domino*, c.4. Præclara verò ad omnes Paſtores apoſtrophe, at miſeranda cataſtrophe, id inſinuat propriè etiam ad ſingulos pertinere, S. Gregorius hom.17. in Euangelia. *Penſemus*, inquit, *quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negocium miſſi ſumus. Ecce enim dicit, negociamini dum venio. Quale ei animarũ lucrum de noſtra negociatione monſtrabimus? Quot eius cõſpectui animarum manipulos de prædicationis noſtra ſegete illaturi ſum". Ponamus ante oculos noſtros illum tanta diſtrictionis diem, quo iudex veniet, &c. Ecce in maieſtate terribili inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit apparebit Ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens Ibi Andreas poſt ſe Achaiam; ibi Ioan-*

pulis qui procul ab ipsa Sanctitatis Sede remoti sunt. *Nam nec loca nec ordines nos non faciunt proximos Creatori, sed opera bona.* * Can. non loca dist. 40. Vnde, *loci qualitas non potest damnare nec saluare homines sed gratia.* Can. quælibet ead. dist. Quamobrem parùm, vel prorsùs nihil refert ad Diuionensium salutem, si eorum fiat ciuitas Episcopalis, cùm mediante ea quam Diœcesanus Præsul Lingonensis Antistes, hactenus eis impendit curâ ac solicitudine Pastorali, beatitatem æquè benè consequi possint ac Lingonenses, qui sita suo in solo Matrice Ecclesia, & Episcopali Cathedra perfruuntur. *Locus enim non sanctificat hominem, sed homo locum*, glos. Sedem, in extrauag. *ad onus.* Ioan. 22. & glos. fi. in can. *Presbyterorum*, dist. 56. Et verò qui Catalogum Sanctorum Diœcesis Lingonensis superiùs concinnatum attentiùs perlegerit, Diuionensem ciuitatem vix minori Sanctorum copiâ, quàm Lingonensem refertam & præditam comperiet. Nam si Tergeminorum Martyrum Desiderijque Antistitis sociorúmque eius triumphis, Sanctíque Vrbani Episcopi & Confessoris, necnon Ceolfridi Abbatis gloriosis obitibus ac tumulis Lingonensis est ciuitas nobilitata. Certè Diuio non inferiori est sanctitatis gloria illustris quæ S. Benigni martyrio ac trophæo celebris, Gregorij Lingonensis incomparabilis Antistitis, Hilariíque Senatoris meritis ac præsidijs ditata; sanctarúmque Virginum Floridæ & Paschasiæ perenniter virentibus decorata palmis ac exuuijs purissimis cumulata, eximium inde ac perpetuum retinet pietatis decus. Vnde est quod fatearis à loci dignitate Animarum salutem non pendere, Diuionenséque, etsi Sede Episcopali vt Maiores sui

nes Asiam; ibi Thomas Indiam, in conspectum sui iudicis conuersam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, &c. Cùm igitur tot Pastores, cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominũ nostrum post negocium vacui redimus, qui Pastorũ nomen habuimus, & oues quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus.

** Nota. *Omnes.* Nam nõnulli sunt, qui loci ipsius sanctitate quam Apostolorum & Martyrum memoria, Pontificis præsentia, curiæ Apostolicæ decus conciliant, plurimùm iuuantur & meliùs ad salutem excitantur.

* Id etiam videtur Seneca agnouisse: ait enim epist. 28. *Omni loco benè viuere positum est.* At concinniùs ac magis piè S. Gregorius in lib. 1 Reg. *Locus*, inquit, *iustorum bona est conuersatio.*

ſemper careant, non minùs quàm Lingonenſes poſſe, auxiliante gratia, meritorum cumulos per bona opera congerendo, gloriam ſanctitatis promereri, ac æternam beatitudinem adipiſci, piéque factorum ſplendore, & religioſi nominis memoriâ, ſuæ ciuitati maiorem eo quem ambiunt poſſe conciliare honorem, ac vberiorem gloriam comparare.

2. Pet. 1. 10.

Sed tamen (inquiet quiſpiam) *Ipſum Epiſcopale decus, ſi non ſaluti Diuionenſium plurimùm conferet, ſaltem vrbi impertiet multùm commodi, ornamenti, ac ſplendoris.* Sed hæc obijcienti eleganter grauitérque Caſſiodorus reſpondebit: *Commodum debere eſſe cum modo tantùm, quoniam ſi menſuram æqualitatis æquitatiſve exceſſerit, vim ſui nominis non habebit.* Porrò ſi Epiſcopalem Cathedram Lingonenſem, Diuionem traducat Antiſtes, nulla erit in eo quod futurum exinde fingitur commodo æquitas, quia ex Lingonenſis Eccleſiæ ac Vrbis diſpendio, imò exitio, eiuſmodi incrementum honoris Diuio ſibi vendicabit: ſicque rapinâ non iuſtitiâ, decus Eccleſiaſticum, quod Lingonibus proprium eſt, ſibi aſcribens & aſtruens, potiùs vituperium ex ſurreptione ſibi pariet, quàm honorem ex commoditate parabit: Itáque magis vtile fuerit Diuioni ab eiuſmodi prærogatiua ſibi quærenda abſtinere, quàm ex Lingonenſis vrbis vel Eccleſiæ adeò graui, illam ſibimet adciſcere detrimento & iniuriâ: *Præcipua enim vtilitas eſt* (vt cenſuit priſcus Sapiens) *non iniuſtè agere.* Quæ ratio etiam Epiſcopo, ex nouæ Sedis inſtitutione, accrementum dignitatis & gloriæ appetenti, vt priuato commodo non adeò ſtudeat, debet omninò perſuadere. Nec enim vt monet Philoſophus, *Vtilitatem vbique quærere congruit magnanimo*

In Summa diuinæ Scripturæ ſuper illud Matth. 5. *Beati qui ſitiunt iuſtitiam.*

Thucidid. lib. 1.

Ariſtot. Polit. lib. 8. c. 3.

& ingenuo homini: quoniam in omnibus est iustitia & honestas anteferenda. Verùm si & vtilitatis ab Episcopo aliqua ratio habenda sit, publicæ certè habenda est non priuatæ consideratio: vtilitas enim maior debet præferri minori, *cap. bonæ. & ibi glos. communem de postulatione Prælat.* Vnde & vtilitas communis propriæ præferri debet, quando in communi vtilitate includitur priuata, sicut in Prælatura. *Ibid. & cap. licet de regul.* Qua ex norma Pontificia debet Episcopus Ecclesiæ cui præsidet potiùs vtilitati quàm suo commodo aut oblectamento prospicere. * Proindéque cùm ex geminatione Sedis Lingonensis, Antistes solus commodum percepturus sit, nempe honoris, quod ex splendore vrbis Diuionensis consequetur incrementum: Inde verò non leue dispendium si non totale excidium Lingonensis Matrix Ecclesia perpessura sit: Debet potiùs ab hac amplificatione propriæ dignitatis quærenda abstinere, quàm comparatione eiusdē, suæ Ecclesiæ perenne dedecus & ingens adeò damnum vt grauius cogitari non possit, inferre. Nec quis pro ipso D. Antistite respondere potest, illum sua cum vtilitate publicam etiam quærere: cùm vtráque Ecclesia sua sit: hincque fieri vt cùm vnius commodum curet, communi etiam vtilitati prospiciat. Responsio enim ista rationi haud æquiponderat præinductæ. Siquidem Cassiodorus insigni quod prælibatum est documento, rectè monet, commodum sic cum modo debere quæri vt æqualitatem retineat, nam si eius mensuram excesserit, *vim sui nominis ampliùs non seruabit.* Porrò si Episcopus Diuionem vt proueharvrbem, Lingonensem depresserit, modum commodum illud non habebit: omnem enim tran-

* Ideò Paulum Apostolum Animarum salutem & lucrum tanti fecisse legimus, Philipp. 1. 23. 24. vt proprio etiam cum dispendio optarit diutiùs viuere ad salutem proximorū promouendam, quàm mori & esse cum Christo. Quo pietatis prodigio stupefactus Chrysostomus, miram hanc in vocem erumpit serm. 4 in ep ad Phil. c 1 sub initium. *Quid ais? Cùm hinc abiens in cælum sis migraturus, & cum Christo futurus, ignoras quid eligas? Neque hoc tantùm, sed hic etiam manere eligis manere in quam in carne. Quid ita? nonne acerbam vitam ducebas in vigiliis, in naufragiis, in fame & siti & nuditate in curis & solicitudinibus: cum iis qui infirmabantur infirmabaris, propter eos qui in scandalum incidebant vrebaris. In multa inquis patientia in tribulationibus, in angustiis, in plagis in carceribus, &c. Quid adhuc igitur non ibi iam hanc vitā desiderras? &c. Et quis mercator nauim vectus innumerabilium thesaurorum plena si liceret subire portum ac requiescere, mari adhuc ... mallet? Et quis Athleta*

ſiliet æquitatis menſuram. Tùm quod nonniſi ex imminutione alterius, altera Eccleſia accrementum ſortietur; tùm quod iure diſpertitô Epiſcopalis Cathedræ, potiores ſacræ auctoritatis partes & præcipuas Pontificalis eminentiæ dotes Diuio ſibi conciliabit, tandémque ipſum nomen & vim Epiſcopatus vniuerſam ad ſe pertrahet, atque in proprium traducet dominium. Vnde maxima ſuborietur inter vtrámque Eccleſiam diſparitas, cùm ea quæ Collegiata tantùm fuerat, repentè fiet Epiſcopalis; Illa verò quæ tot ſæculis Pontificio decore enituerat, gradu ſuo deiecta, arcano ſuorum æmulorum molimine, Collegiata duntaxat euadet, infimámque in claſſem ex ſummo faſtigio deuoluetur. Ita demùm quod ait S. Bernardus eueniet: filia nimirum *matrem ſuffocabit.* Diuionenſis certè Ciuitas munificentiâ matris ſuæ Lingonenſis Eccleſię, cuius Antiſtites Abbatias S. Benigni * ac S. Stephani fundauerunt, copioſíſque latifundijs dotauerunt, ac prærogatiuis cumulauerunt maximis, ad ſplendorem quo hodie fulgere cernitur potiſsimùm prouecta eſt. Nam quæ ab eius liberali manu recepit beneficia, Eccleſiaſticæque pulchritudinis ornamenta, ac incrementa, illam ſenſim ad ſęcularis amplitudinis & magnificentiæ, qua hodie promicat, ſplendorem extulerunt, quo iam non parùm Lingonenſis ipſius Ciuitatis famam extenuat, cui ſola hæc ferè prærogatiua iam ſupereſt, vt Cathedræ Pontificalis ipſimet Diuioni præcellat iure & honore. Hanc igitur vnicam ferè gloriam ſi Reuerendiſſimus Epiſcopus Lingonibus abſtractam Diuioni conferat, nihil prorsùs reliqui eſt, niſi vt ſpoliatâ omni præeminentiâ Eccleſiâ & ciuitate Lingonenſi, perenni ludibrio

cùm liceat corona potiri, adhuc certare poſtules? &c. Ecquis dux qui à bello cum gloria & trophæis liberari queat, & cum Rege in Regia quietus degere ſeque oblectare, adhuc deſudare peroptet, & in aciem prodire? Quomodo igitur adeò acerbam vitam viuens adhuc vis in terris manere? &c Nonne ſi innumerabilibus bonis hæc vita abundaſſet, ab hac tamẽ liberari optandum erat, ob Chriſtum quem deſiderabas? O Pauli animam, nihil illi par fuit aut futurũ eſt, &c Innumeris malis implicatus eſt, ac tamen recuſat apud Chriſtum eſſe? Recuſo inquit, idque propter Chriſtum, vt quos illi paraui ſeruos firmiùs in illius amore ſtabiliã: vt ex agro quem plantaui fructus extare faciam. Non audiſti me non quærere quod mihi vtile eſt, SED QVOD PROXIMIS? Non audiſti mihi in optatis fuiſſe anathema fieri à Chriſto, quo multi ad illum venirent? Qui illud elegi, non multo magis hoc eligam? vt damnũ ipſe ex hac mora faciam quo illis aliqua ad ſalutem acceſſio fiat

* E ;que eſt ratio cur Chronici Mſſ. Diuionẽſis auctor,

ludibrio affecta, omnem quoque præteritæ amplitudinis ac dignitatis memoriam excutiat, ac suæ æmulæ prouectioni acceptam referens causam suę perpetuæ desolationis, in cumulum etiam profusæ amplificationis, nomen ipsum antiquæ non tantùm prærogatiuæ, sed & priscæ famam celebritatis illi concedat, excidiíque etiam sui epigraphen ascribat, lugubri carmine & ignominioso trophæo exaratam. Igitur longè aberit istud commodum ab honesto: * cùm non nisi ex turpi lucro & incremento Diuioni possit ea, quam sine vlla necessitate aut iusta vtilitate exquirit, prærogatiua Episcopalis dignitatis ipsi accedere. Certè Philosophus vtilitatem diuersis expressit descriptionibus: siquidem eam esse docet præsentium bonorum conseruationem, aut absentium comparationem; siue malorum instantium propulsationem, vel futurorum inhibitionem. Verùm nullo modo harum descriptionum aliqua Diuionensium conamini congruit. Non enim Episcopalem honorem sibi conseruare possunt, quem nusquam habuêre; nec, cùm omni iure careant, illum sibi absque iniustitia comparare valent. Cæterùm non opus est, vt ad mala præsentia propulsanda vel futura præpedienda ipsum sibi conciliare nitantur, cùm impendentia discrimina, ex Sedis Episcopalis ea in vrbe defectu, nulla indicari queant; futura verò inde non possint formidari, cùm nec præterita vlla antecesserint, quæ doceant subsequentia pertimeri. Idcircò cùm superflua & inutilis sit ea quæ postulatur erectio: nec peti debet nec concedi, minùs autem (si à quoquã ea flagitari posset) ab Episcopo, eam postulari aut optari decet. Nulla enim in agro Domini à my-

Episcoporũ quoque Lingonẽsium gesta passim recenseat. Sic enim lectorem monet fol. 6. a. *Episcopos quoque Lingonicæ Ecclesiæ qui circa hunc locum munificos se exhibuerunt, nominatim singulos curabimus ostendere, & qui ab vnoquoque eorum collatum sit, in augmentum huius domus singillatim demonstrare.*

* Cicero lib. 2. Offic. *Nostra vtilitates nobis omittendæ non sunt, cùm iis ipsis egeamus: sed sua cuique vtilitati, quod sine alterius iniuria fieri possit, seruiendum est.*

In Rhetor.

Luc. 13. 7.

ſtico colono plantari, aut permitti debet arbor infru-gifera: cùm Dominus ipſe iubeat omnem arborem inutilem, hoc eſt non facientem fructum, eradicari & in ignem proijci, ſatiùs ducens eam redigi in fauillam, quàm agrum ſuum occupare vana & inani pullulatione. Sed ſi geminæ Sedis in diœceſi Lingonenſi excitatio tantùm eſſet ſuperflua ac infructuoſa, nihilominus vtcúmque tolerari poſſet, cùm ipſe Dominus non omnem ſtirpitus euellat arborem fructum non facientem, ſed expectare ſoleat cum patientia, ſi diligentiùs exculta diutinam ſterilitatem copioſa frugum vbertate aliquando compenſabit.
Ibid. ỳ. 8. Verùm illa quæ expoſcitur bifidæ inſtauratio Cathedræ Epiſcopalis, non ſolùm otioſa eſt ac inanis, ſed etiam noxia prorsùs ac multiplici periculo diſcriminíque obnoxia. Præter id enim quod inter ſanctiſſimos Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtites contentiones excitabit, dum Epiſcopatuum diſſectiones, quæ ſine alicuius detrimento fieri nequeunt, procreabit; Reuerendiſſimóque Antiſtiti Lingonenſi conflabit inuidiam, ex eo quod collegis ſuis videbitur ſingulari eminentia duplicatæ Sedis voluiſſe in eorum cœtu inclareſcere: vnde aliqui æmulatione ducti non ſanè omnino incongruâ, ſuo in cuiúſque Epiſcopatu adnitentur ſimili honoris accremento potiri, ſicque in vnaquáque diœceſi multiplicatis Sedibus, rixæ & contentiones paſſim inter populos exorientur; tandémque prorsùs à natiuo trunco auulſis, Gallicanæ antiquæ Hierarchiæ prorsùs immutabitur forma ac ſtatus perturbabitur; vileſcétque ipſum Epiſcopi nomen, quod vt ſacroſanctum eſſet ac venerabile paſſim diffundendum & multiplicandum eſſe, ſapienter

iuxta ac religiosè Patres iteratis sæpius sanctionibus prohibuerunt.* Præter hanc inquam infaustam geminatæ Episcopalis Ecclesiæ vna in Diœcesi Lingonensi consecutionem, alia certè non minoris momenti ex ea erumpent damna & scandala, quæ vix vt possunt eminus prospici, sic minutim nequeunt hoc loco recenseri. Ast duo cætera inter grauissima & quę magis formidari debent maturiúsque præcaueri, necesse est hîc indigitare, vt quàm noxia detrimentosáque futura sit ipsamet noua erectio secundariæ Sedis, magis perspicuè innotescat.

* Anaclet. epist. 3. Leo Magnus ep. 83. c. 2. ad Episcopos Africæ & Concil. Laodicenum c. 57.

Consonant canonicæ leges hinc elicitæ dist. 80. c. Episcopi, & c. Illud sanè, & c. Non debere.

PRIMVM enim est: quod sacri cùm canones iubeant, excedente è Sede sua, quauis occasione Episcopo, siue ob plebis malitiam, siue ob loci desolationem, siue ob hostium incursionem aliò se recipiente, glos. in can. Ecclesias 16. qu. 7. Clerum debere illum comitari, quoniam caput suum membra sequi debent; 12. *dist. c. non decet, & can. celebritatem de consecrat. dist.* 3. Igitur Reuerendiss. Episcopo Sedem suam Diuione figente, Lingonensis Ecclesia non modò Episcopali honore spoliabitur, sed etiam suo vacuata Clero, vt oculorum lumine orbata, prorsùs obscurabitur ac deserta relinquetur; imò vrbs ipsa Pastoris solatio destituta, Cleri, cuius paterna cura fouetur, & facultatibus ferè tota sustentatur (cùm munitior sit quàm apta commercio) præsidio exuta, honore sibi vnico, prærogatiuâ nimirum Cathedræ Episcopalis spoliata, omníque quem inde percipit fructu, commodo & ornamento priuata, statu quo perstat ac promicat, decidet prorsúsque desolabitur; nec ampliùs, ad regni fauces posita, Gallicano Imperio propugnaculum præstabit; neruis etenim qui-

bus constat præcisis, haud poterit assiduè insidiantibus Catholicæ pietatis hostibus, Lemani lacus accolis obsistere, subdoláque eorum molimina elidere, atque hinc impendentia vniuersæ Galliæ discrimina, sicuti fecit hactenus, properè amoliri. At Regis Christianissimi ac optimi potissimùm interest, maiorum exemplo, ciuitatem, tuendo Regno adeò opportunam sibíque fidelissimam, suprema sua auctoritate & potestate protegere: & ne viribus ipsa destituatur, (vt ex Sedis Pontificalis dissectione vel translatione necessariò consequeretur) Regio vt potest vnico nutu iussúque maturè præpedire. Imò non vrbi duntaxat suæ opitulationis præsidium impertiri, verùm etiam & Ecclesiæ repentino conaminis huius impulsu labanti & titubanti defensionis suæ patrocinium exhibere, opem eius intimis etiam gemitibus imploranti. Et Ecclesiarum quidem defensionem ad Regis munus pertinere, lex canonica denuntiat, cuius & potestate quamlibet Ecclesiam decernit muniendam. *Extrau. Copiosius Ioan.22. & ibi glos. Tutorio.* Iusque habet Rex Christianiss. ex suo diademate, Ecclesiasticam disciplinam, ac dignitatem tueri, cùm natiuus sit ac præcipuus defensor iurium Ecclesiæ, canonúmque vindex & Hierarchici status ac ordinis protector. Vnde etiam ea in re Prælatorum, qui Patres Ecclesiæ sunt, negligentiam potest supplere *cap. 2. de supp. negl. Pral. glosa defensionem in 6.* Quæ verò ij minùs prouidè in Ecclesiis suis agunt, vel contra canonicas sanctiones aggrediuntur, potis est etiam reprimere, imò pietatis officio ac vi potestatis Regiæ cohibere sacris ipsis constitutionibus & ipso suæ inunctionis Sacramento obstringitur. Hinc Reges qui

* Vide epist. Fulberti Carnotensis 87. ad Robertum Regem, qua docet ad summum ipsũ Principem pertinere, Episcopos Ecclesiarum commoda vel decora negligentes compellere ad dignè

in veteri testamento vngebantur in capite, post Christi Regum Regis aduentum, inunguntur in brachio vel humero, vt sponsæ consecrentur ipsius Seruatoris, Ecclesiæ nimirum defensores, *cap. fin. in veteri de sacra Vnctione*. Quamobrem eis non tantùm incumbit ipsam Ecclesiam aduersus hostes protegere, * sed ab ipsorum quibus curæ commissa est Prælatorum negligentia, aut excessu vindicare, *glos. Regis in can. filiis vel nepotibus* 16. *q*. 7. Ideóque quod Episcopus Lingonensis in suæ Ecclesiæ dispendium ac depressionem nititur, Regiæ est pietatis ac potestatis coercere, legúmque sacrarum aduersus hunc conatum asserere tenorem. Sacræ equidem leges decernunt Ecclesiarum statum potiùs debere augeri quàm minui, * *glos. confirmatum in cap. cùm accessissent de Const. lib.* 1. *Decret. tit.* 2. Vetant statum Ecclesiarum à quoquam subuerti, *c.* 2. *de suppl. neglig. Prælat. lib.* 6. proh bent quouis colore demutari. *Clem. eiusd. inscript. lib.* 1. *tit.* 5. *c.* Imò vel vnico priuilegio suæ dignitatis spoliari, *can. in Galliarum* 25. *q.* 2. Iubent cuique Ecclesiæ honorem proprium conseruari, *can. mos antiquus. dist.* 65. *& dist.* 99. *c. Ecce*: docent ad Episcopum pertinere, statum Ecclesiæ cui præest antiquum custodire illibatum, *can.* 1. *&* 2. *dist.* 84. *& glos. priuentur in c. cupientes*. §. *vel si persona in* 6. necnon *cap.* 2. *de negl. Præl. eod* Cùm igitur omnia in contrarium Episcopus pertentare videatur, & proprio deesse muneri; tunc equidem Regiæ est potestatis ac iustitię vigorem Canonibus impendere, ac Ecclesiam proprio à Præsule concussam protegendo, ab eo quo impetitur discrimine pro sua pietate liberare, eidémque Regiam clementiam deprecanti suæ opitulationis præsidium auspicatò impertiri.

obeundum officium. Sic & Lupus Ferrariensis Abbas in tractu Senonensi scribens ad Lotharium Augustum epist. 108. Regiæ esse pietatis ac potestatis asseuerat deuios à recto tramite sacros mystas ad iustam instituti rationem reuocare.

* S. Hieron. lib. 4. in Hierem. ad cap. 22. vers. 1. 2. & 3. Leo I. epist 29. ad Pulcheriam Augustam Conc. Turon. 3. c. 41. & Paris. sub Ludouico & Lothario lib. 2. c. 2.

* *Regalis*, sublimitas, *Ecclesiasticam potius seruare consueuit, quàm tollere libertatem.* Arnulph. Lexo. ep. 67. ad Alexand III. PP.

II. Nec enim Episcopali tantùm Ecclesiæ, aut vrbi Lingonensi ex Sedis sæpedicta geminatione desolatio imminet & ruina perennis, sed vniuersæ insuper Diœcesi malum omen ipsa geminatio protendit. Domini enim oraculum est, *Omne regnum in se diuisum desolatum iri.* Quod autem de regno temporali dicitur, de spirituali potiori ratione intelligendum est. Quod vt vnitate constat, sic decidit communis nexus dissolutione. Ideò 7. qu. 1. c. denique, legimus *vnitatis Ecclesiasticæ esse inseparabile Sacramentum*, &c. *Acacius*, dist. 26. ipsam vnitatem Sacerdotij principatus esse fundamentum, ac proprium signaculum Ecclesiasticæ ordinationis. Quod vt sit pulchrè ostendit S. Hieronymus epist. 4. ad Rusticum Monachum paulò post medium. *In apibus*, inquit, *princeps vnus est, grues vnum sequuntur ordine litterato: Imperator vnus, vnus Iudex Prouinciæ. Roma vt condita est duos fratres simul habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ verò vtero Esau & Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi & omnis Ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur, in naui vnus gubernator, in domo vnus dominus, in quamuis grandi exercitu, vnius signum expectatur.* Qua insigni sententia vt vnum in vnaquáque Ecclesia Prælatum debere esse innuit, * vt pax & concordia seruetur vigeátque Ordinis sacrosancti disciplina: sic quemlibet Episcopum vnam Ecclesiam, vnam Cathedram habere subindicat oportere, ipsámque vna in terminatione debere esse vnicam. Nam si vnâ in Diœcesi duæ constituuntur Sedes Episcopales, geminatio ista nonnisi conflictum in Ecclesiæ vtero concitare poterit, vt factum legitur *in vtero Rebeccæ*, quæ gemina prole gra-

* Quamobrem & in singulis Parœcialibus Ecclesijs vnicus præses & rector esse debet. Hinc Innocentius 2. in Synodo Romana c. 10 statuisse refertur 21. qu. 1. c. præcepimus. Ecclesias pluribus Presbyteris minimè committi, sed vt vnaquæque Ecclesia proprium haberet Sacerdotē vbi glos. *Plures possunt quidem esse in Ecclesia: sed vnus erit Prælatus.* Idipsum ibidem legitur Concilium Remense insigni hoc decreto edixisse. *Sicut in vnaquaq; Ecclesia vnus Presbyter debet esse, ita ipsa quæ sponsa vel vxor eius dicitur, nō potest diuidi inter plures Presbyteros, sed vnum tantùm habebit Sacerdotem qui eam castè & syncerè regat. Vnde interdicimus vt nullus præsumat Ecclesiam inter duos vel plures diuidere: quia Ecclesia Christi vxor & sponsa debet esse, non scortum.* Succinunt priscis his Ecclesiæ legibus: noua recentiorum Synodorum à S. Sede approbatarum cōstituta. Rothom. Synod. an. 1581. sub Illustriss. Principe D. Carolo Cardinale Borbonio *Vt ordo in omnibus seruetur in Ecclesia*

uida mutua fœtus collisione intimos dolores quia & extremos perpessa est. Duo autem isti paruuli, ipso Spiritu sancto interprete, (sicut in huius Opusculi limine insinuatum est) duos populos præsignabant, qui sanè sine iurgio & conflictu vno non possunt constricti ambitu consistere. Ex quo sequitur duas plebes distinctas, duas ciuitates ex æquo Episcopales, duo Capitula Cathedratica vni Antistiti obnoxia, vnâ in Diœcesi considentia, vnum Episcopatum non posse sine pugna & colluctatione perenni incolere. Nam v. g. Diuionenses vrbe Senatoria pollentes, præeminentiam Cathedræ Episcopalis ob loci splendorem sibi nitentur adscribere, * quam sibi contendent ex aduerso Lingonenses iure ipso antiquitatis, ac primitiuæ institutionis deberi. Nec modò de honoribus sed de iuribus quoque frequens insurget contentio. Primò siquidem quia Lingonibus hactenus collocata est Ecclesiastica Camera, quæ de totius Diœcesis decimarum pensitatione, ac controuersijs inde suborientibus iuridicè cognoscit: mox ac Diuione statuta fuerit Episcopalis Sedes, Diuionenses vt nihil sibi supersit cum Cathedraticis Lingonensibus commercij, & ne illis quicquam suffragationis videri possint rependere, aut vlla in parte cedere, propriam etiam decimarum Cameram affectabunt. Cui cùm ob Diœcesis communitatem certus non possit assignari districtus, huic erunt qui obtemperent, alij qui detrectent morem gerere. Hinc igitur necesse fuerit diuersas emergere lites, * variósque motus erumpere. Secundò, insuper si vna suboriatur ex maioribus causis, in quibus debet Episcopus Capituli consilium exquirere ac consensum, sicut

omnes Presbyteros Parœcia sicut omnes alios Parœcianos Curatis decet esse obedientes & correctioni eorum ac directioni subditos. Qui si immorigeri sint: *Damus Curato potestatem post trinam admonitionem eos suspendendi à diuinis.* Aquensis anno 1585. idem prorsus iisdem verbis sanciuit. Ita & Ebroicens. an. 1576. *Sicut Curati subsunt Episcopo, ita par est omnes alios Presbyteros habituatos in Parochia, siue aliũde aduenientes subesse Curato vel eius Vicario: ac nisi de eorum assensu quidquam audere in Ecclesia, in pœnam ipsô facto suspensionis à diuinis, vt caueatur schismatis in eadem Ecclesia occasio.*

* *Nobilitatem generis & diuitias, principia & fontes esse dissentionum.* Docet Philos. lib. 5. Politicor.

* *Minores vt fiant æquales: æquales verò vt fiant maiores, tumultum solẽt concitare.* Idem ibidem.

necesse est in bonorum Ecclesiæ alienatione, vix rem poterit Episcopus peragere sine vtriúsque Capituli collisione & conflictu. Etenim quia duo hæc collegia, perpetuâ in inuicem æmulatione æstuabunt, vix Episcopus ex horum discordiâ concentum poterit mutui consensus depromere. Nam facilè Diuionensis Capellæ, quæ tunc Episcopalis erit Ecclesia, Canonici, cùm vt Episcopo de se & Ecclesia sua nuper benè merito gratum faciant, tùm vt, iteratis dispendijs, Ecclesiam Lingonensem viribus extenuent, vltrò consensum in facultatum eius, quæ copiosæ sunt, distractionem, quolibet colore adhibito, præstabunt. At Lingonenses Cathedratici quorum præcipuè interest, refragabuntur, nec enim æmulorum suorum conspirationi in suam perniciem adstipulabuntur, sed Ecclesiæ suæ direptionem zelo feruenti studebunt impedire. Tertiò, si Synodum generalem pro Ecclesiastica sarcienda doctrina & disciplina voluerit Episcopus conuocare, vel saltem ad disponendum Diœcesis emergentia negotia, Cleri conuentum aliquem indixerit solemnem (vti in publicis subuentionibus euenire solet, quas Regni aliquando exigit necessitas,) inter Ecclesiasticos Diœcesis ordines, non ampliùs vigebit vt in corpore mystico mutua artuum & affectuum connexio, sed scissura pudenda apparebit. Quandoquidem vbi perennis de gradu inter Cathedraticos Lingonenses & Diuionenses grassari cœperit contentio, etiam inter inferiorum Ecclesiarum Rectores altercatio non modica insurget, cœtúsque facilè in duas, vt ipse Episcopatus, scindetur partes, quarum altera Lingonensibus adhærebit, altera Diuionensibus adiuncta eorum studijs ac ambitibus

consentiet;

consentiet; sicque huic cœtui nulla inhærebit concordia, sed acris inerit æmulatio ac *zelus* prorsùs *amarus*. Vnde quia ibi non erit pax, nec itidem Dominus ille aderit, *qui Deus est pacis & non diuisionis.** Quinimò nec eo in conuentu Ecclesiastico erit Ecclesia. Quia cœtus vbi est schisma, Ecclesia dici non potest, *can. schisma* 24. *qu.* 1. Ecclesia enim non potest esse nisi in vnitate, *ibid.* Vnitas verò consistere nequit in diuisione. IIII. Præterea Sede vacante grauior exorietur inter vtrúmque Clerum & Capitulum controuersia. Siquidem Pastore orbatâ Sede, ius Capituli Cathedratici proprium est, vniuersam Diœcesim curare, succedit enim Episcopo in administratione, capit. *Coram de elect.* etiámque in Iurisdictione, *cap. de his quæ de maior. & obed.* conseruántque Canonici iura Episcopatus, *glos. Capituli de hæret.* Tunc igitur quæstio suborietur inter Lingonenses & Diuionenses omnium grauissima. Enimuerò contendent Lingonenses natiuâ prærogatiuâ, ius eiusmodi sibi competere, quo tot sæculis nullo refragante tota in Diœcesi potiti sunt: idque astruent Lingonensi Matrici incommutabiliter competere ac medullitùs inhærere. Ast verò Diuionenses ex Sedis noua consecutione, iuris ad se eiusmodi deuolutam asserent fuisse portionem. Vnde regimen Episcopatus Sede vacante diuidendum esse contestabuntur: sibíque saltem dimidiam concedendam esse partem curæ ac auctoritatis affirmabunt. Porrò id Lingonenses inficiabuntur, ius illud indiuiduum esse approbantes; sibíque totum illud vendicantes, non modò ex communi dispositione canonicâ, sed etiam ex speciali Christianissimorum Regum indulto, peculiaríque Ludouici

* S. August. de Ciuit. Dei, *Sicut spiritus humanus nūquam viuificat membra, nisi fuerint vnita: sic Spiritus sanctus numquam viuificat Ecclesiæ membra, nisi fuerint pace adunata.*

XI. concessione. Is enim Galliarum Augustus, anno 1481. 5. Octobris in Regia sua Plessiaci agri Turonensis existens, munifico diplomate, ius regale (Caducaria lex est * qua defuncto cuiúsque Sedis Episcopo, res Ecclesiasticas; (haud sic tamen vt sacra obeat munia,) Rex solet, quasi vacuas, donec de Pastore prouideatur orbatæ Ecclesiæ, manu sua asserere) à suis decessoribus piâ munificentiâ Capitulo Lingonensi concessum, sua auctoritate corroborat, iteratóque collatum munere confirmat: Cùm autem demortuo Reuerendiss. Guidone Benardo, Ecclesiæ ipsius Præsule, Regius Senonensis Prætor cum fisci vindice, administrationem temporalium & spiritualium vacantis Episcopatus, prætextu Regiæ astruendæ, eo in casu, auctoritatis, nisus fuisset extorquere: atque de facto sub Regis custodia, constitutis sequestris, omnia Episcopalia vendicasset: Rex pientissimus intellectâ rerum serie ac iustâ Lingonensis Capituli querimoniâ, Ministrorum suorum acta noluit comprobare: sed ijs prorsùs rescissis & abrogatis, vindiciæ plena remissione Ecclesiæ impertitâ, integram Capitulo restitui iussit vacantis Episcopatus cùm in spiritualibus, tùm in temporalibus administrationem. Cùm autem ob perpessam iniuriam idem Capitulum, à Magistratu Senonensi sibi illatam, ad Senatum prouocasset, intereáque Pontifex Maximus Ioannem Ambosianum de Maleacensi Præsulatu ad Episcopatum nobilissimum transtulisset Lingonensem: (cui nupero suo Antistiti, Cathedraticum Collegium de administratione sua quantula fuerat, rationem reddidisset,) Rex propter eximium deuotionis quem gerebat in S. Mamantem gloriosum Chri-

* D. Ægidius le Maistre quondam Præses summus Senatus Paris. in Opusculo aureo quod de iure Regaliarum contexuit c. 4. antiquam refert ex Cameræ Rationalium scrinijs, constitutionē, qua ius ipsum Regaliarum graphicè expressum prodit luculentiq; dilucidat recensione. Porrò in eadem Camera vetustus asseruatur liber dictus *Cruciatus*, teste Paschasio lib. 3. disquisitionum c. 31. quo hic describitur Ecclesiarum Regaliæ obnoxiarum genuinus Catalogus.

Ecclesiæ cadentes in Regaliam.

Senonensis. Laudunensis. Parisiensis. Ambianensis. Carnotensis. Nouiomensis. Aurelianensis. Siluanectensis. Meldensis. Bituricensis. Trecensis. Claromontensis. Remensis. Cabilonensis. Morinensis. Rothomagensis. Catalaunēsis. Abricensis. Turonensis. Cenomanensis. Constantiensis. Æduensis. Lexouiensis. Tornacēsis. Baiocensis. Suessionensis. Sagiensis. Bellouacensis. Ebroicēsis.

Ex qua serie liquet Lingonēsem Ecclesiam minimè

sti pugilem, Ecclesiæque Lingonensis tutelarem, affectum, ab hac prouocatione in Parlamentario suo Senatu persequenda, idem Capitulum liberauit; Regiáque sua & plenariâ auctoritate quicquid à Prætore Senonensi attentatum fuerat aduersus ipsius Capituli Lingonensis iura & priuilegia, nullum ac inane pronuntians, Actori suo generali silentium perenne super hac re indixit: simúlque ipsi Præfecto Senonensi iniunxit, vt illata Ecclesiæ Lingonensis Decano & Capitulo damna improuidâ suâ impetitione resarciret, atque prorsùs in integrum restitueret. Alijs verò quibúsq; suis Iudicibus ac Officialibus subinde præcepit, vt ipsos Cathedraticos Lingonenses iure Regalium, ipsis à se & suis decessoribus collato & impertito, recentíque hoc suo diplomate confirmato, frui & gaudere pacificè sinerent, imò & eosdem ac ipsorum successores in pleno ac integro regij huius muneris vsu ac possessione custodirent; necnon aduersus quoscúmque impetitores deinceps protegerent, ac sua auctoritate perpetuò tuerentur. Hoc igitur fulti regali priuilegio Decanus, & Canonici Lingonenses administrationem Episcopatus Sede vacante vt in spiritualibus iure communi, sic in tẽporalibus Regum munificâ concessione, sibi meritò, vt hactenus fecerunt (vel facere debuerunt) astruent & vendicabunt: * Nam priuilegium eiusmodi illis ita propriũ est, vt etiam erectâ Diuione Cathedrâ Pontificali manere ipsis debeat illibatum. Est enim reale, locíque contemplatione indultum est: quoniam Ecclesia Lingonensis, S. Mamantis Martyris inclyti enitet patrocinio, in quem speciali ferebatur Rex ipse pientissimus Ludouicus XI. reuerentia & deuotione.

hac lege obstrictã esse: sed communi ferè hoc onere prorsùs immunẽ. Cæterùm de iure Regaliarum copiosè etiam tractauit Choppinus de sacra Politia lib. 1. tit. 7. At regij huius rescripti nõ meminit, quod recens nacti ex Tabulario Ecclesiæ Lingonensis: ad istius operis calcem tandem vt in lucem prodiret, typis ex autographo elicitum verbotenus referimus.

* *Priuilegiati suo debent priuilegia seruare*, glos. 1. in extrauag. super Cathedram inter communes.

Diuionenſes igitur Canonici vel Sede vacante omni Eccleſiaſticâ adminiſtratione carebunt, quod equidem ſuſtinere non poterunt ingenti ſine dedecore; vel iura regia Lingonenſibus conceſſa impugnantes, atque adeò in Pragmatica regia perperam impingentes, litium motus tantò acriùs ciebunt, quantò feruentiùs noua iura ſibi comparare, & antiqua Lingonenſis Eccleſiæ priuilegia pertinaciùs imminuere conabuntur. V. Nec inter duo Capitula vtriúſque Epiſcopalis Eccleſiæ duntaxat rixæ & contentiones concitabuntur: verùmetiam, inter vtriúſque municipij ciues & accolas, iurgia exorientur ac ſuccreſcent frequentia. Narrat Leo Oſtienſis lib. 1. Caſinenſis
c. 33. & 43. Chronici, diſſecto Epiſcopatu Capuano in duas Sedes, ſic vt antiquæ Capuæ relictô proprio ſoliô, nouæ apud Pontem Caſulinum conditæ, Cathedra altera fuiſſet attributa, inter plebes tot ac tanta emerſiſſe diſſidia, vt parum abfuerit quin Saraceni Siciliam infeſtantes, ciuilem ob eiuſmodi diſcordiam, ac perpetuam incolarum inuidiam, vtróque oppido, improuisâ occupatione potirentur. Ideóque neceſſe
Circa annum 876. fuit, Summum Pontificem, bis illuc ſe conferre, vt ſua auctoritate ſuccreſcentes motus ſedaret, contentionéſque adeò exitioſas ſua præſentia reprimeret: quod vix multo labore obtinuit. *Hac* (ſcribit auctor ille) *ciuili diſcordiâ Saraceni opportunitatem nacti rurſus vniuerſa diripiunt, iterum cuncta populantur. Cuius rei gra-*
*Is erat Ioannes 8. *tia Apoſtolicus* bis eſt Capuam venire coactus.* Nec pacem potuit ſtatuere, niſi proprio cuíque Epiſcopali Cathedræ aſſignato diſtrictu, & diuiſæ æquis partibus Diœceſi, peculiari ordinato Antiſtite. Vnde ſubdit præfatus hiſtoricus. *Videns igitur ſibi contigiſſe quæ noſter*

illi prædixerat Abbas; (nempe quòd nisi ambitum Capuanorum ab initio reprimeret, grauis populi ruina suboriretur & multa sanguinis effusio consequeretur) *indoluit animo, ac pœnitentia ductus Landulfum, quem suprà depulsum commemorauimus, in Ecclesia beati Petri Apostoli Capuæ veteris ordinauit Episcopum: Landenolfum verò Capuanæ Ecclesiæ praeesse constituit, cunctúmque Episcopatum inter vtrúmque mandauit æqua sorte distribui.* Hæc ille celebris scriptor. Ex quibus meridianâ luce clarius fit geminationem Sedis vna in Diœcesi, rixas ingenerare crebras & iurgia inter populos periculosissima: adeóque, vel omnimodam diuisionem inducere, vel extremam protendere vtríque Episcopali municipio cladem. Porrò id etiam ostendit & probat Sacerdotij inter Iudæos & Israëlitas geminatio, atque duplicis templi in monte Syon, & monte Garizim infausta oppositio, * quæ schisma grauissimum excitauit inter Hebræos & Samaritanos, quorum plerúmque simultates & odia ipso in Euangelio legere est apud Luc. 9. 52. & Ioan. 4. à 5. ad 25. VI. Sed non tantùm inter vtriúsque ciuitatis populos, ob Sedis Episcopalis duplicationem & æqualitatem Ecclesiasticæ dignitatis, perennis inuidia vigebit ac maleuolentia simultásque pullulabit perpetua: verùmetiam intra eiusdem ciuitatis Diuionensis mœnia, iugis quæ suborietur æmulatio, crebras excitabit inter Clerum & populum contentiones ac conflictus. Namque cùm septem Diuione hactenus numerentur Ecclesiæ Parœciales, quarum vna duntaxat Episcopo Lingonensi suffragatur, cæteræ eius Pontificali imperio & cura Pastorali submotæ, Summi Pontificis indultô & statutô, clientelæ Abbatum S. Benigni & S. Stephani

* Templum simile Hierosolymitano ædificatum fuit in monte Garizim à Sanabalete Darij Persarum Regis satrapa, genere Cutheo, qui vxorem duxerat ex familia Eliazib Sacerdotis magni. Is cùm à Domino suo defecisset, assumptis de Prouincia sua octo millibus virorum ad Alexandrum se contulit, eidemq; seipsum & totam Samariam cui præerat. tradidit: At non multò post conflato etiam in sacris schismate, exclusus à Nehemia 2. Esd. c. 13. ỳ. 28. licentiam ab Alexandro deprecatus, ædificauit in

addictæ ſunt: erectâ certè in Diuionenſi regia Capella Paſtorali ſpeculâ, Clerus huius nouæ Cathedralis, ad Eccleſiæ ſuæ iura, ſex illas Parœcias haud ſecus ac ſeptimam S. Ioannis, quæ Epiſcopo paret contendent pertinere, huícque vt ſubiaceant efficere, omnibus modis connitentur. Aſt Clerus & populus ſubeſſe recuſabit: nec patietur ſe à ſuo trunco diuelli. Porrò Abbates, quibus competit has in Parœcias ſuperior poteſtas atque iuriſdictio Epiſcopalis; ipſarúmque ſunt Eccleſiarum Patroni ac primarij Curatores, has gemmas à ſuo auelli pedo, nouo hoc ambitu & conatu Diuionenſium Canonicorum minimè ferent, ſed iura ſua eo propugnabunt quo decet Sacerdotali vigore. Verùm & aliam ob cauſam, quàm aſſerendarum ſibi ſubiacentium Parœciarum, cum ipſis Canonicis colluctabuntur. Siquidem ex vna parte, ob nuper adeptam prærogatiuam Epiſcopalem, Canonici Regij Sacelli primas in omni Clero tenere, & in Supplicationibus ac publicis conuentibus ſemper præeminere tentabunt: id ex Pontificijs decretis paſſim depromentes, quòd Eccleſia Cathedralis excedit omnes alias Eccleſias Ciuitatis & Diœceſis in honore, *cap. quamuis de præb. lib. 6.* Verùm ex aduerſo titulum antiquitatis obtendent Abbates S. Benigni & S. Stephani, quo eorum Baſilicæ & ſodalitia longè præſtant Diuionenſi Capellæ. Antiquitati enim reuerentia debetur, *gloſ. antiq. in cap. Clerici de immunit. Eccleſ.* maximéque eſt in rebus & gradibus Eccleſiaſticis attendenda. *Clem. Romani & ibi gloſ. antiq. de Iureiurando.* Inſuper erectionem eiuſmodi Capellæ Regiæ in Eccleſiam Cathedralem ſuis iuribus & honoribus Præſules illi aſtruent nihil poſſe inferre de-

prædicto monte qui Samariæ imminet, templum ad Hieroſolymitani formam inſtructum, in quo Manaſſen gentiũ ſuum Pontificem conſtituit: vnde iugis æmulatio, acriſque contentio inter Iudæos & Samaritanos exorta eſt: quæ ad Chriſti vſque Domini tempora perdurauit, vt ex citatis Euangelij locis conſtat. De hac tota hiſtoria lege Ioſephum lib. 11. Antiq. Iudaic. c. 8. lib. 12. c. 1. & lib. 13. c. 6.

crementi: cùm pridem omni iurisdictione Episcopi Diœcesani Apostolicâ auctoritate exempti fuerint, eâque, sæcula quæ nonnulla exsuperat, eiusmodi priuilegij possessione insuper fulciantur. Porrò Pontificia est regula, exemptos Diœcesano Episcopo præstare obedientiam & reuerentiam non teneri, cùm illud sit libertati contrarium, *glos. professionem in cap. antiqua, & cap. cùm olim* 14. *de priuileg.* quam habere asseruntur exempti, *cap. cùm persona* 7. *de priuileg.* Quamobrem cùm Abbates prælibati, Episcopum non teneantur sibi superiorem agnoscere, huícque nec morem gerere, certè nec Clerum eius Cathedraticum obstringuntur colere & reuereri, ideóque honoris præeminentiam iure abnuent illis impendere. Sed longè grauior inter Abbatem conuentúmque Benignianum, & ipsum Episcopum Diuione nouo solio insidentem Clerúmque Cathedraticum insurget simultas acriórque contentio, ex quo surrepta fuerit ab sacellanis illis Canonicis, Episcopalis Cathedræ gloria, quæ equidem ex Burgundiæ Procerum arbitrio, * (si vnquam Diuione collocanda fuisset) Benigniano templo concilianda erat. Tunc enim nobilis illius Asceterij Archimãdrita, meritò non solùm conquereretur honoris prærogatiuam sibi communibus votis addictam, dolo ac ambitu Canonicorum recentioris illius delubri, fuisse præreptam vendicatione iniustâ: verùmetiam hac haud obstante nuperæ Sedis institutione, primas sibi & Ecclesiæ suæ, honoris ac dignitatis competere asseuerabit, idque ex antiquo & pridem constitutò iure. Nam ab initio S. Benigni Ecclesia, Diuione, cæteris præcelluit: hôcque sacræ præeminentiæ intuitu, eiusdem

* In Comitijs anno 1578.

Ecclesiæ Cœnobiarcha in Burgundiæ Senatu natiuus, vt aiunt, Consiliarius est. Qui cùm sit Cleri Senatoriæ huius vrbis Coryphæus, etiam solemni ritu excipit Principem Ducatus Burgundici habenas capessentem, atque in Beati Burgundiæ Apostoli Ecclesiam aduentantem, necnon ab eodem Sacramentum seu iusiurandum benè gerendi Principatus & Religionis propagandæ, Iustitiæque colendæ, recipit ac annulum desponsatæ ditionis signaculum * eiusdem digito immittit, ex prisco probatóque ipsis Christianissimis Regibus iam Ducatus illius possessoribus, more. Quo in casu non putandum est, illum hoc iure suo cessurum, ipsique Episcopo, cui nihil obnoxius est, sua in Ecclesia potiores has proprij muneris & honoris partes vllo modo delaturum. Vnde necessariò adigetur Episcopus, Rege in vrbem solemni aditu ingrediente, vel loco properè excedere, vel de ipso iure Regiæ exceptionis, prærogatiuáque Ecclesiastici honoris cum Abbate indecorè conflictari. Igitur suo ipsemet conatu sibi molestias conflabit Episcopus: cùmque honoris incrementum ex duplicatione Sedis sese putauerit consecutum, pro rosis spinas colliget; etenim pro cultu ampliori quem affectat, nonnisi ludibrium metet & contemptum. Ipsi quoque Diuionenses, qui ex suæ Ciuitatis ad Episcopalem dignitatem prouectione sibi fausta & inclyta omnia pollicentur, ex hac nonnisi inauspicatos & probrosos consequentur euentus, aduersósque casus plurimos inde experientur. Porrò vniuersa Diœcesis hac imminutione concussa, motibus diuersis agitata, conflictationibúsque assiduis quassata, infortunijs ac calamitatibus innumeris subiacebit, intestinísque odijs

* Robertus in sua Diuione, ex actis rationalium vrbis pag. 82.

odijs ac contentionibus dilacerata, * tandem prorsùs corruet ac dissipabitur, demúmque ruinis suis consepulta, funestæ suæ diuisionis monumentum, posteris exhibebit. Verum est siquidem quod priscus sapiens docuit; * quemadmodum vnitas bona omnia suo è sinu depromit, dat enim cælo temperiem; animis virtutem, corporibus sanitatem, cordibus concordiam, domibus & ciuitatibus pacem; sic dualitatem è conuerso, mala omnia suo è penu efferre; aëri etenim ingerit tempestatem, animis vitia, corporibus ægritudines, cordibus odia, domibus discordias, ciuitatibus dissidia: omnem denique infert cuíque rei & cœtui perniciem & desolationem. Porrò munus proprium Episcopi est, semina tot dissensionum non serere sed euellere, horúmque malorum germina non fouere, at præcidere & amputare, diuisionésque resarcire non conciere. Nam pacis nuntius, charitatis nutritius ac syncerus vnitatis amator & assertor Antistes esse debet. Ideóque, ait S. Ambrosius, * illum sedere in puppi Ecclesiæ, non tantùm vt clauum teneat, sed vt fluctus comprimat, procellásque & scopulos declinans, mysticam nauem pacifica quietáque remigatione cælestem in portum salutis subuehat. Inde verò quia incumbit ex officio Antistiti pacem & concordiam in Ecclesia prædicare ac astruere: sicut Apostolorum locum obtinet, ita eorum more, Christíque imitatione & præcepto, Ecclesiam sacris dum operatur pacis imprecatione salutat: * quam & cœtus fidelium deuotè ab eo suscipit, vt ramum oliuæ virentem ad se cælitus delapsum mysticæ ore columbæ. Extat verò inter Ecclesiasticas sanctiones integra canonum series & præci-

* Liuius Decad. 4. lib. 9. *Discordiarum fraternarum horrendi euentus, fratres ipsos, stirpemque suam, domos, regna, fundum euerterunt.*

* Pythagor. apud Plutarchum in Placitis.

* Epist. 1. ad Constant. Episcop. Arausicorum lib. 3. tomo 5. vide & serm. 13. S. Aug. de verb. Domini sec. Matth. qui secund. est in append. & S. Chrysost. homil. 3 in Acta Apostol. At maximè legenda est epist. 1. Clementis ad Iacob. frat. Domini, qua is siue quilibet alius sub eius nomine elegãtem, Nauis cum Ecclesia, & Episcopi cũ proreta, texit cõparationem.

* De hoc ritu post priscos diuinorum Officiorum explicatores, quos citatos indicat Durantus lib. 2. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ c. 15. §. 2. & 3. nuper scripsit ex

pua inſcriptio de diſcordia ab Epiſcopo depellenda & colenda pace d.91. Ibi verò c.1. ex 4. Concilij Carth. can. 59. diſertè habemus, *Diſcordantes Clericos*, *Epiſcopum, vel ratione vel poteſtate debere ad concordiam reuocare.* Et c. 7. *Studendum eſſe Epiſcopis vt diſſidentes fratres*, hoc eſt fideles ſiue Clericos, ſiue Laicos, *ad pacem magis quàm ad iudicium compellat.* Et S. quidem Auguſtinum, qui ipſimet Synodo interfuit, huic curæ aſſiduè incubuiſſe, teſtis eſt in eius vita Poſſidonius: vbi narrat, vſque ad horam paſtus, quandóque tota die ieiunum vacaſſe audiendis dirimendíſque Chriſtianorum litibus. Id autem præſtitit operæ, non ex Concilij huius peculiari inſtituto, ſed ex ipſo Epiſcopatus officio: res enim explorata eſt, ab ipſis Apoſtolorum temporibus morem in Eccleſia inualuiſſe, vt Præſules controuerſijs Chriſtianorum componendis, cauſíſque dijudicandis pacis amore ac iuſtitiæ cultu inſiſterent, diſſidentéſque ſuâ auctoritate & prudentiâ, ad concordiam reuocarent. Anacl. PP. ep. 1. in fine, cui aſtipulatur Iulian. Nou. 69. vid. S. Aug. in Pſal. 118 ep. 147. & in coll. 3. Carth. Leo in ep. 96. Sidon. lib. 6. ep. 2. & 4. S. Greg. Proëm. in Ezech. &c. Hinc in Concilio Toletano 12. c. 8. præcipitur Epiſcopis paci etiam priuatarum familiarum ſedulò proſpicere, obſtaréque omnino ne viri ab vxoribus diuortium faciant: quod & in Concilio 3. Aurelian. iteratur c. 10. Nec modò Epiſcopum ſacræ leges iubent pacem & concordiam in Clero & populo ſua opitulatione ſarcire: ſed etiam proprio exemplo eam commendare, non verbis ſolùm, ſed & factis oſtendens ſe eius eſſe omnino ſtudioſum. Hinc Apoſtolus vetat litigioſum quempiam ad Epiſcopatum promoueri. *Oportet*

proprio inſtituto, Reuerendiſſ. D. Gab. Albaſpinæus lib. 2. de Antiqua Eccleſiæ Politia in adminiſtratione Euchariſtiæ c. 12.

Ex eod. Concil. c. 16.

enim, inquit, *seruum Dei* (qualem imprimis Episcopum, quem & informat, esse decet) *non litigare, sed mansuetum esse ad omnes*, 2. ad Timoth. 2. 24. * Adeò vt doceat S. Thomas 2. 2. qu. 184. a. 5. Episcopum etiam pro salute ouium, cum gaudio debere suorum bonorum rapinam sustinere. Ideóque nullatenus quæ in suum honorem & commodum conferunt appetere aut quærere, cum gregis offendiculo & perturbatione debet. * Scitè igitur ac piè S. Hugo Lincolniensis Episcopus, Archiepiscopo Cantuariensi hoc consilium dedit ne litigaret cum subditis suis, Clero potissimum Ecclesiæ suæ Cathedralis, * *Quia*, inquit, *ex infausta eiusmodi contentione, vigor disciplinæ emarcescet, & dissoluetur, & quanta successura sint animarum pericula, nullus poterit existimare.* Ex litibus enim innumera mala oriuntur l. properandum, C. de iudicijs. Quæ Episcopi ex officio debent impedire. Quod si non præstiterint: sed dissensionibus causam dederint & fomitem, dignos Pontificij Canones denuntiant grauissimâ censurâ & coercitione, *can. præcipimus, & can. perlatum est, dist. prænotata.* Nec enim sufficit vt Episcopus bonorum operum exemplis populo sibi commisso præluceat, nisi etiam vnitatem seruet, pacémque amet & tueatur. Enimuerò quamquam ieiunijs & vigilijs ac orationibus Episcopus se atterat, parum sibi & gregi proderit, * si interea concordiam negligit, sed vel serit per se iurgia, vel sinit in Ecclesiam diuisiones, rixas & contentiones aliorum dolo irrepere. Pulchrè enim S. Hieronymus illud explicans Propheticum. * *Laudent nomen eius in choro*, hoc monimentum suggerit æternâ memoriâ retinendum. *Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum qui-*

* Vide Gratianũ dist. 46. & Espencæi digressiones in Apostoli epist. 2. ad Timoth. lib. 2. c. 8. quod *de Clerico Litigioso* inscriptum omni, hac de doctrina refertum est.

* Idipsum docere videtur Apostolus 1. Cor. 6. 7. cuius loci sensum exprimit genuinum Grat. 14. qu. 1.

* In vita eius c. 12. apud Surium tom. 6. die 17. Nouemb.

* S. Aug. tract. 13. in Ioan. *Teneamus vnitatem charitatis, præterquam qui etiam facit miracula nihil est.*

* In comment. sup. epist. ad Rom. necnon in epistola ad Dardanum de diuersis generibus musicorum quę inter addititi[as]

extat ſerie 28. Idē fere ex eodem loco elicit & docet S. Gregorius lib. 6. epiſt. 29. ad Anaſtaſium Presbyterum de contentione tollenda inter ipſum & Hieroſolymit. Epiſcopum.

dem laudat in tympano, ſed non laudat in choro. Vbi enim diſſenſio eſt, ibi inuidia eſt, ibi chorus non eſt. Igitur etiamſi Dominus Lingonenſis Epiſcopus puriſſimis piiſſimíſque moribus eniteat, omníque pietatis ſtudio deditus, gregi ſuo in ſeipſo exhibeat formam eximiæ virtutis & Iuſtitiæ: ſi tamen conſilio nuper ſuſcepto inſiſtat, conatúmque ſuum perſequatur, perfectam non poterit ſuis ex præcordiis dignæ Deo laudis perſonare harmoniam: nam ex geminatione Sedis quam poſtulat, excitabit ſuo in grege diuiſionem, diſcordiam prouocabit, auferet pacem, ac varia, quæ ipſe etiam, pro ea qua pollet pietate & prudentia exhorreſcit, ſcandala, pericula & animarum diſpendia procreabit, ingenti ſuorum meritorum & gloriæ, tot partæ virtutibus, decremento. Scribit enim verè ac ſapienter Caſsiodorus, Principi nihil eſſe indecentius quàm pacem & concordiam ſui populi non curare: nihil magis indecorum quàm conciere inter ſubditos motus, ingerere iurgia, fouere ſimultates: porrò è contra nihil glorioſius quàm concordiam inter eos alere. *Decet*, inquit, *regalis apicis curam generalitatis cuſtodire concordiam, quia ad laudem regnantis trahitur, ſi ab hominibus pax ametur. Quid enim eſt quod Principem melius prædicet, quam quietus populus, concors Senatus, & tota Reſpublica morum honeſtate veſtita.* Quæ de Rege autem ab eo dicuntur, de Epiſcopo ſanè nobiliſsimæ Eccleſiæ ſummo moderatore & perdigno rectore, ipſiúſque vrbis Domino, meritò vſurpari poteſt. Nihil enim eſt quod de eo queat honorificentius prædicari, quàm ſi concordiam, quam hactenus ferè cum ſuo Clero & plebe ſibi commiſſa coluit, curet ac prouehat, geminationem Sedis, quæ infauſtam gregis

Lib. 1. epiſt. 22.

ſciſſuram ac diuiſionem parturit, non promoueat, ſed initum de ea conſilium maturè reuocet, vnitatem cuſtodiat, pacémque ſtudioſè amplectatur. Sic enim glorioſè, vt antea, & quietè ſuæ Diœceſi præſidebit; concors fiet Clerus, tranquillus populus, & Hierarchia florebit Lingonenſis vniuerſa, vni ſponſo iuncta, vni Paſtori ſubdita, vnicæ matri addicta, vni ſcilicet Eccleſiæ, vni Cathedræ innixa, denique vna fide, vna ſpe, vna charitate copulata.



CAVSA OCTAVA.

EPISCOPALIS FIDEI OPPIGNEratio publica, Apoſtolicæque prohibitionis ſacroſancta auctoritas.



EA eſt Epiſcopalis dignitatis præſtantia, vt culmen omnis excellentiæ & honoris obtinere, ſancti Patres, piíque Principes vnanimi ſententiâ prodiderint: vnde ſummis vt ſemper encomijs Epiſcopatum extulerunt, ſic Epiſcopos quibúſque cultus ac reuerentiæ officijs, voluerunt à cunctis fidelibus obſeruari. * Hanc ob cauſam S. Ambroſius, qui vt celebris eius diſcipulus, ** obſeruandum monet, de humilibus rebus ſubmiſsè, de mediocribus temperatè, de magnis ſublimiter, conſueuit agere: librum *de Sacerdotio* eleganti ſtylo contexuit, * vt Epiſcopatu nihil ſub cælo dignius aut præſtantius indicaret. Cùm enim primis inſignis huius opuſculi capitibus, cun-

* Inſignis eſt hac in re canon 14 Synodi 8. Oecumenicæ, quo habem*, Epiſcopalem qui dignitatem ſortiti ſunt, cæleſtis Hierarchiæ in terris ordinem referre. Quare ſanciũt Patres, digno illos honore tã à Principibus quàm cæteris proſequendos. Quod ſi qui Epiſcopi gradum ſuum non retineant, delatumque & debitum ſibi ſacris legibus honorem non tueantur, ſed abiectè & agreſtè viuant: hos Synodus à Pontificio munere in annum ſuſpendit: illos vero quicunq; cultum debitum iiſdem impendere detrectârint, ſed contemptus cauſam præſtiterint, communione Eccleſiaſtica per biẽnium fore decernit excluſos.

** S Aug. lib. 4. de Doct. Chriſt. Qui

ꝯta latius exposuisset quæ ad auctoritatem & dignitatem Episcoporum spectant: sic demum subiunxit, cap. 3. *Hæc cuncta nos præmisisse debetis cognoscere, vt ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri.* Nec enim Episcopi in Ecclesia *Apostolorum* tantum gradum & honorem sortiuntur, cùm in eorum locum suffecti sint, vt docet ipsemet S. Ambrosius in epist. ad Ephes. 4. S. Hieronymus in Mich. c. 2. S. August. in Psal. 44. Leo PP. ep. 66. Paulinus epistola ad Alelhium. Cassiod. in Psal. 108. probátque Balsamo in Nomocan. Photii tit. 8. c. 1. ex Concilio 3. Carthag. can. 46. cui consonat can. Dominus dist. 93. ex S. Cypriano elicitus epist. 9. lib. 3. & cap. 1. §. *per frontis, de sacra vnct.* Verùmetiam *Angelorum* officio funguntur * & nomine honorantur, Apocalyp. 2. Vnde & S. Gregor. hom. 5. in Ezech. commemorans illud Daniel 7. *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus*: Episcopos Thronis ipsis similes esse dicit. *Hi enim*, inquit, *qui animarum custodes sunt & pascendi gregis onera susceperunt, MVTARE LOCA MINIME PERMITTVNTVR; sed quia VNO IN LOCO POSITI Diuinitatis in se præsentiam portant & ardent, Thronus Dei, flamma ignis dicuntur.* Quin & Christi ipsius Episcopum perferre imaginem, imò Dei, passim docet S. Ignatius primarius Apostolorum symmysta, Christíque athleta inclytus. Nam in epistola ad Smyrnenses docet Hierarcham duplicem referre imaginem, vnam quidem Christi, quatenus sacrificat & Sacerdotio perfungitur, Ecclesiámq; pascit & protegit: alteram Dei, in quantum iubet ac imperat. In epistola autem ad Magnesianos iam non se-

& eumdem Euangelicum disputatorem & venerandum suum Doctorem appellat lib. 1. cont. Pelag. tomo 7.

* Extat tom. 4. S. Ambros. lib de Sacerdotio tom. 4.

* Id proprijs documentis insinuat S. Dionysius lib. de cælesti Hierarchia c. 12. Tertull. lib. de Veland. Virginib S. Ambros. in 1. ad Corinth c. 11. vers. 10 S. Hieron. in com. ad Malach. c. 2. vers. 7. & S. Greg. l. 34. Moral. in Iob. c. 7.

mel laudata, eumdem aſſerit præſidere εἰς τόπον θεοῦ, in locum Dei. In quantum ſcilicet omnia luſtrat, regit, paſcit ac gubernat. Quamobrem Pius Papa & Martyr epiſt. 1.* Epiſcopos *Dei oculos* eleganter appellat, vt refertur c.6.qu.1.c. *oues*. Quod & ipſi nomini congruit: nam vt cuique notum eſt ἐπίσκοπος Græcè, Latinè ſonat inſpectorem, ſpeculatorem, curatorem: quod Epiſcopi munus graphicè exprimit. Epiſcopus enim *qui pro Deo legatione fungitur*, ouium ſaluti paterno amore proſpicit, omnium actus conſiderat, omnibus ſpiritualis vitæ ſubſidia ſuppeditat: eáque ratione S. Dionyſius Epiſcopum dictitabat diuinorum oraculorum interpetem, nuntium, caduceatorem, itinerıſque noſtri ducem, qui ex his inferioribus ad cæleſtes nos dirigat ſupernæ Ieruſalem manſiones. Ob quæ ſalutaria munera eximiis præconiis, ſupremiſque honoribus Epiſcopi habiti ſunt ſemper in Eccleſia digniſſimi. In Concilio 1. Matiſcon. c. 11. dicuntur, *ſublimis dignitatis apice ſubleuari*. A Damaſo autem Chriſti Vicario Oecumenico, epiſt. ad Proſp. Epiſcopum Numid. habere *dignitatis faſtigium, eminentiſſimæ dignitatis apicem*. Imò in Concilio Aruernenſi, ipſi nuncupantur *apices & principes omnium*. Sed & à ſancto Hieronymo vocantur *Reges & Principes Eccleſiarum*.* Quapropter & mos olim viguit* eorum coronam honorare, per coronam ſacram ipſos adiurare, ſalutare: ſed & obuios adorare, manúſque imò & pedes eorum oſculari. Quo ex more ſic Venantius Fortunatus Martinum Epiſcopum Galliciæ ſalutabat epiſtola, loco proëmij lib. 5. poëmatum præfixa *Quapropter ſacratiſſimæ, ſynceriſſimæque atque amantiſſimæ Apoſtolicæ coronæ veſtræ plantas ſupra*

* Inſcripta eſt, *ad vniuerſos Chriſti fideles*. Extat quæ integr. tom. 1. Conc. p. 1.

2. Cor. 5. 20.

* In Iſa. l. 17. c. 61. & in Hierem. lib. 5. c. 13.

S. Auguſt. epiſt. 147. S. Hieronym. epiſt 81. Item Epiſcopi Metropoleos Arelatenſ. in epiſt. ad Leonem PP. Vide Sauaron. in Sidonij lib. 4. epiſt. 5. & lib. 7. epiſt. 8.

meum pectus stratas imponens, & vltimus ego membra subdita, vel pedum vestrorum recubatorium faciens * *ita vestræ pietati auido desiderio me commendo.* Nec sic verò putes infimæ tantùm classis viros Episcopis detulisse: plura sanè & maiora deuotionis indicia ac reuerentiæ obsequia eis & pij Imperatores ac Reges impenderunt, atque impendi eisdem ab omnibus, sancitis etiam legibus, præceperunt. Eusebius Cæsariensis lib. 1. de vita Constantini scribit ipsum Augustum dicere solitum, se honorare Episcopos, non tanquam homines, sed quia in eorum animis Deus insideret. Cui astipulatur Ruffinus lib. 10. Eccles. histor. c. 2. vbi narrat, eumdem Constantinum noluisse Episcopos inter se contendentes & libellis etiam se inuicem apud ipsum accusantes, iudicare, sed traditis igni libellis, abs se omnem eiusmodi iudicij abiecisse potestatem, adductóque 1. psalm. 81. versiculo: qui sic habet, *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat,* piè & sapienter subintulisse. *Vos* (Episcopi) *nobis à Deo dati dij estis. Non est autem conueniens vt homo deos dijudicet.* Nec Regum nostrorum minor fuit ea etiam in parte religio: qui non modò Episcopos summo semper honore habuerunt, * sed & colendos præ omnibus districtis sanctionibus statuêre. Ita enim edicit Carolus Magnus Capit. lib. 5. c. 163. *Præcipimus atque iubemus ne fortè, quod absit, aliquis circa Episcopos leuiter aut grauiter agat. Quod ad periculum totius Imperij nostri pertinet, & vt omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem & dignitatem Sacerdotalem.* Tùm commemoratâ eâ quam in B. Petro vt membra in capite acceperunt, ligandi atque soluendi potestate, necnon Constantini Magni quæ supra insinuata est sententia, addit capit.

* Ex his deprehẽdis hæreticorum petulantiam, qui Episcoporũ Principis, Apostolorũ hæredis, Christi Vicarij, Pastoris Occumenici pedes deosculari pro summo scelere ducunt, idololatriamq; appellitãt: cùm olim cuiusuis Episcopi, tanta reuerentia fideles vestigijs sese prosternerent, pedésq; ipsorum osculis infixis summo amore & honore cõplecterentur. Cæterùm hæreticos, aduersus Christi Vicarij, Apostolici Põtificis maiestatẽ, 1. falsè quin & impiè blaterantes, bino opusculo confutauit Iosephus Steuanus Valentinus, qui eruditissima scripsit apologetica pro adoratione pedum Romani Pontificis: & eiusdem eleuatione & coronatione. Edita primùm prodiere Venetijs an. 1579. & subinde Romæ an. 1584.

* Ea pietate imbutus Robertus Frãcorum Rex Christianissimus, Lamberto Episcopo Lingonensi mole carnis grauato suppedaneum ministrauit, in solemni Episcoporum consessu: prout narrat Helgaudus Floriac. Monachus in vita eiusdem, quæ incipit, *Cælestis imperij dignitas*, &c.

dit capit. 170. *Igitur quia constat Religionem Christianam per successores Apostolorum salubriter administrari, populisque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere: primò necessarium iudicauimus omnibus præcipere, vt honorem debitum venerabiliter Episcopis absque vlla simulatione, aut detractione impendant, iisque in omnibus vt Patribus obediant, & quicquid pro salute animarum monuerint, prout meliùs potuerint adimplere satagant, si Dei & nostram gratiam habere voluerint. Nam Dominus ait, Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Et iterum. Si te non audierit dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et alibi. Si quis scandalizauerit vnum ex pusillis istis, id est ex meis discipulis & Apostolis, quorum locum Episcopi nunc in Ecclesia tenent, melius est ei vt suspendatur molla asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, quàm scandalizet vnum de istis minimis. Hæc omnia fidelibus admonenda & perpendenda sunt, ne in hoc, quod absit, incidant scandalum: sed magis Episcopis obediendo, non filij perditionis, sed filij Dei efficiantur, & non cum stultis pœnam, sed cum iustis præmia percipiant sempiterna. Nam Episcopos & Sacerdotes quibus omnis terra caput inclinat,* * *per quos & nostrum pollet imperium, admodum honorari & venerari omnes monemus, nec eos lacerari aut blasphemari, vel detrahi a quoquam volumus, quia detractio Sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice legatione funguntur in Ecclesia,* &c. Hæc ille Carolus nomine Magnus, re autem ipsa maximus Rex noster & Imperator: cuius certè pia hæc sanctio non chartæ inscribi debebat, sed cedrinæ tabulæ, calamóque exarari, non atramento, sed puro auro, intincto. Sub eius autem filio Ludouico Pio habita est Parisiensis Synodus VI. In qua cùm de morum reformatione tractaretur, ordi-

Audiant, quæso, si non Pontificis saltem Principis sæcularis religiosa monita ex Euangelio deprompta Nouatores Acephali, qui Episcoporum dignitatē impiè contemnūt perpetuumque illudunt sacræ eorum coronæ.

* Mutuatus videtur Carolus M. hæc ipsa verba ex lege Theodosij & Valētiniani Augg. ad Verum Præfectū Prętorij, quam refert ex peruetusto codice R. P. Iac. Sirmondus in notis ad lib. 4. ep. 11 Sidonij Apoll. His enim verbis concepta est ipsius legis notatu digna de Sacerdotum vtriusque gradus dignitate Præfatiuncula. *Audemus quidem sermonem facere, solito plus timore capti, de sanctis & Venerabilibus Sacerdotibus, & secundis Sacerdotibus, vel etiam Leuitis: & eos cum omni timore nominare: QVIBVS OMNIS TERRA CAPVT INCLINAT*, &c. Et sub o-tam: *Quoniam in Sacerdotibus Ecclesia constat.*

Ecclesiæ Cœnobiarcha in Burgundiæ Senatu natiuus, vt aiunt, Consiliarius est. Qui cùm sit Cleri Senatoriæ huius vrbis Coryphæus, etiam solemni ritu excipit Principem Ducatus Burgundici habenas capessentem, atque in Beati Burgundiæ Apostoli Ecclesiam aduentantem, necnon ab eodem Sacramentum seu iusiurandum benè gerendi Principatus & Religionis propagandæ, Iustitiæque colendæ, recipit ac annulum desponsatæ ditionis signaculum * eiusdem digito immittit, ex prisco probatóque ipsis Christianissimis Regibus iam Ducatus illius possessoribus, more. Quo in casu non putandum est, illum hoc iure suo cessurum, ipsique Episcopo, cui nihil obnoxius est, sua in Ecclesia potiores has proprij muneris & honoris partes vllo modo delaturum. Vnde necessariò adigetur Episcopus, Rege in vrbem solemni aditu ingrediente, vel loco properè excedere, vel de ipso iure Regiæ exceptionis, prærogatiuáque Ecclesiastici honoris cum Abbate indecorè conflictari. Igitur suo ipsemet conatu sibi molestias conflabit Episcopus: cùmque honoris incrementum ex duplicatione Sedis sese putauerit consecutum, pro rosis spinas colliget; etenim pro cultu ampliori quem affectat, nonnisi ludibrium metet & contemptum. Ipsi quoque Diuionenses, qui ex suæ Ciuitatis ad Episcopalem dignitatem prouectione sibi fausta & inclyta omnia pollicentur, ex hac nonnisi inauspicatos & próbrosos consequentur euentus, aduersósque casus plurimos inde experientur. Porrò vniuersa Diœcesis hac imminutione concussa, motibus diuersis agitata, conflictationibúsque assiduis quassata, infortunijs ac calamitatibus innumeris subiacebit, intestinísque

* Robertus in sua Diuione, ex actis rationalium vrbis pag. 82.

odijs

odijs ac contentionibus dilacerata, * tandem prorsùs corruet ac dissipabitur, demúmque ruinis suis consepulta, funestæ suæ diuisionis monumentum, posteris exhibebit. Verum est siquidem quod priscus sapiens docuit; * quemadmodum vnitas bona omnia suo è sinu depromit, dat enim cælo temperiem; animis virtutem, corporibus sanitatem, cordibus concordiam, domibus & ciuitatibus pacem; sic dualitatem è conuerso, mala omnia suo è penu efferre; aëri etenim ingerit tempestatem, animis vitia, corporibus ægritudines, cordibus odia, domibus discordias, ciuitatibus dissidia: omnem denique infert cuíque rei & cœtui perniciem & desolationem. Porrò munus proprium Episcopi est, semina tot dissensionum non serere sed euellere, horúmque malorum germina non fouere, at præcidere & amputare, diuisionésque resarcire non conciere. Nam pacis nuntius, charitatis nutritius ac syncerus vnitatis amator & assertor Antistes esse debet. Ideóque, ait S. Ambrosius, * illum sedere in puppi Ecclesiæ, non tantùm vt clauum teneat, sed vt fluctus comprimat, procellásque & scopulos declinans, mysticam nauem pacifica quietáque remigatione cælestem in portum salutis subuehat. Inde verò quia incumbit ex officio Antistiti pacem & concordiam in Ecclesia prædicare ac astruere: sicut Apostolorum locum obtinet, ita eorum more, Christíque imitatione & præcepto, Ecclesiam sacris dum operatur pacis imprecatione salutat: * quam & cœtus fidelium deuotè ab eo suscipit, vt ramum oliuæ virentem ad se cælitus delapsum mysticæ ore columbæ. Extat verò inter Ecclesiasticas sanctiones integra canonum series & præci-

* Liuius Decad. 4. lib. 9. *Discordiarum fraternarum horrendi euentus, fratres ipsos, stirpemque suam, domos, regna, funditus euerterunt.*

* Pythagor. apud Plutarchum in Placitis.

* Epist. 1. ad Constant. Episcop. Arausicorum lib. 3. tomo 5. vide & serm. 13. S Aug. de verb Domini sec. Matth. qui secund. est in append. & S. Chrysost. homil. 3 in Acta Apostol. At maximè legenda est epist. 1. Clementis ad Iacob. frat. Domini, qua is siue quilibet alius sub eius nomine elegãtem, Nauis cum Ecclesia, & Episcopi cũ proreta, texit cõparationem.

* De hoc ritu post priscos diuinorum Officiorum explicatores, quos citatos indicat Durantus lib. 2. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ c. 15. §. 2. & 3. nuper scripsit ex

proprio instituto, Reuerendiss. D. Gab. Albaspinæus lib. 2. de Antiqua Ecclesiæ Politia in administratione Eucharistiæ c. 12.

pua inscriptio de discordia ab Episcopo depellenda & colenda pace d. 91. Ibi verò c. 1. ex 4. Concilij Carth. can. 59. disertè habemus, *Discordantes Clericos, Episcopum, vel ratione vel potestate debere ad concordiam reuocare.* Et c. 7. *Studendum esse Episcopis vt dissidentes fratres,* hoc est fideles siue Clericos, siue Laicos, *ad pacem magis quàm ad iudicium compellat.* Et S. quidem Augustinum, qui ipsimet Synodo interfuit, huic curæ assiduè incubuisse, testis est in eius vita Possidonius: vbi narrat, vsque ad horam pastus, quandóque tota die ieiunum vacasse audiendis dirimendísque Christianorum litibus. Id autem præstitit operæ, non ex Concilij huius peculiari instituto, sed ex ipso Episcopatus officio: res enim explorata est, ab ipsis Apostolorum temporibus morem in Ecclesia inualuisse, vt Præsules controuersijs Christianorum componendis, causísque dijudicandis pacis amore ac iustitiæ cultu insisterent, dissidentésque suâ auctoritate & prudentiâ, ad concordiam reuocarent. Anacl. PP. ep. 1. in fine, cui astipulatur Iulian. Nou. 69. vid. S. Aug. in Psal. 118 ep. 147. & in coll. 3. Carth. Leo in ep. 96. Sidon. lib. 6. ep. 2. & 4. S. Greg. Proëm. in Ezech. &c. Hinc in Concilio Toletano 12. c. 8. præcipitur Episcopis paci etiam priuatarum familiarum sedulò prospicere, obstaréque omnino ne viri ab vxoribus diuortium faciant: quod & in Concilio 3. Aurelian. iteratur c. 10. Nec modò Episcopum sacræ leges iubent pacem & concordiam in Clero & populo sua opitulatione sarcire: sed etiam proprio exemplo eam commendare, non verbis solùm, sed & factis ostendens se eius esse omnino studiosum. Hinc Apostolus vetat litigiosum quempiam ad Episcopatum promoueri. *Oportet*

Ex eod. Concil. c. 16.

enim, inquit, *seruum Dei* (qualem imprimis Episcopum, quem & informat, esse decet) *non litigare, sed mansuetum esse ad omnes*, 2. ad Timoth. 2. 24. * Adeò vt doceat S. Thomas 2. 2. qu. 184. a. 5. Episcopum etiam pro salute ouium, cum gaudio debere suorum bonorum rapinam sustinere. Ideóque nullatenus quæ in suum honorem & commodum conferunt appetere aut quærere, cum gregis offendiculo & perturbatione debet. * Scitè igitur ac piè S. Hugo Lincolniensis Episcopus, Archiepiscopo Cantuariensi hoc consilium dedit ne litigaret cum subditis suis, Clero potissimum Ecclesiæ suæ Cathedralis, * *Quia*, inquit, *ex infausta eiusmodi contentione, vigor disciplinæ emarcescet, & dissoluetur, & quanta successura sint animarum pericula, nullus poterit existimare*. Ex litibus enim innumerá mala oriuntur l. properandum, C. de iudicijs. Quæ Episcopi ex officio debent impedire. Quod si non præstiterint: sed dissensionibus causam dederint & fomitem, dignos Pontificij Canones denuntiant grauissimâ censurâ & coercitione, *can. præcipimus, & can. perlatum est, dist. prænotata*. Nec enim sufficit vt Episcopus bonorum operum exemplis populo sibi commisso præluceat, nisi etiam vnitatem seruet, pacémque amet & tueatur. Enimuerò quamquam ieiunijs & vigilijs ac orationibus Episcopus se atterat, parum sibi & gregi proderit, * si interea concordiam negligit, sed vel serit per se iurgia, vel sinit in Ecclesiam diuisiones, rixas & contentiones aliorum dolo irrepere. Pulchrè enim S. Hieronymus illud explicans Propheticum. * *Laudent nomen eius in choro*, hoc monimentum suggerit æternâ memoriâ retinendum. *Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum qui-*

* Vide Gratianũ dist. 46. & Espencæi digressiones in Apostoli epist. 2. ad Timoth. lib. 2. c. 8. quod *de Clerico Litigioso* inscriptum omni, hac de doctrina refertum est.

* Idipsum docere videtur Apostolus 1. Cor. 6. 7. cuius loci sensum exprimit genuinum Grat. 14. qu. 1.

* In vita eius c. 12. apud Surium tom. 6. die 17. Nouemb.

* S. Aug. tract. 13. in Ioan. *Teneamus vnitatem charitatis, præterquam qui etiam facit miracula nihil est.*

* In comment. sup. epist. ad Rom. necnon in epistola ad Dardanum de diuersis generibus musicorum quęinter addititias

extat ferie 28. Idē fere ex eodem loco elicit & docet S. Gregorius lib. 6. epist. 29. ad Anastasium Presbyterum de contentione tollenda inter ipsum & Hierosolymit. Episcopum.

dem laudat in tympano, sed non laudat in choro. Vbi enim dissensio est, ibi inuidia est, ibi chorus non est. Igitur etiamsi Dominus Lingonensis Episcopus purissimis piissimisque moribus eniteat, omníque pietatis studio deditus, gregi suo in seipso exhibeat formam eximiæ virtutis & Iustitiæ: si tamen consilio nuper suscepto insistat, conatúmque suum persequatur, perfectam non poterit suis ex præcordiis dignæ Deo laudis personare harmoniam: nam ex geminatione Sedis quam postulat, excitabit suo in grege diuisionem, discordiam prouocabit, auferet pacem, ac varia, quæ ipse etiam, pro ea qua pollet pietate & prudentia exhorrescit, scandala, pericula & animarum dispendia procreabit, ingenti suorum meritorum & gloriæ, tot partæ virtutibus, decremento. Scribit enim verè ac sapienter Cassiodorus, Principi nihil esse indecentius quàm pacem & concordiam sui populi non curare: nihil magis indecorum quàm conciere inter subditos motus, ingerere iurgia, fouere simultates: porrò è contra nihil gloriosius quàm concordiam inter

Lib. 1. epist. 22.

eos alere. *Decet*, inquit, *regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam, quia ad laudem regnantis trahitur, si ab hominibus pax ametur. Quid enim est quod Principem melius prædicet, quam quietus populus, concors Senatus, & tota Respublica morum honestate vestita.* Quæ de Rege autem ab eo dicuntur, de Episcopo sanè nobilissimæ Ecclesiæ summo moderatore & perdigno rectore, ipsiúsque vrbis Domino, meritò vsurpari potest. Nihil enim est quod de eo queat honorificentius prædicari, quàm si concordiam, quam hactenus ferè cum suo Clero & plebe sibi commissa coluit, curet ac prouehat, geminationem Sedis, quæ infaustam gregis

ſciſſuram ac diuiſionem parturit, non promoueat, ſed initum de ea conſilium maturè reuocet, vnitatem cuſtodiat, pacémque ſtudioſè amplectatur. Sic enim glorioſè, vt antea, & quietè ſuæ Diœceſi præſidebit; concors fiet Clerus, tranquillus populus, & Hierarchia florebit Lingonenſis vniuerſa, vni ſponſo iuncta, vni Paſtori ſubdita, vnicæ matri addicta, vni ſcilicet Eccleſiæ, vni Cathedræ innixa, denique vna fide, vna ſpe, vna charitate copulata.



CAVSA OCTAVA.

EPISCOPALIS FIDEI OPPIGNERATIO publica, Apoſtolicæque prohibitionis ſacroſancta auctoritas.



EA eſt Epiſcopalis dignitatis præſtantia, vt culmen omnis excellentiæ & honoris obtinere, ſancti Patres, piíque Principes vnanimi ſententiâ prodiderint: vnde ſummis vt ſemper encomijs Epiſcopatum extulerunt, ſic Epiſcopos quibúſque cultus ac reuerentiæ officijs, voluerunt à cunctis fidelibus obſeruari. * Hanc ob cauſam S. Ambroſius, qui vt celebris eius diſcipulus, ** obſeruandum monet, de humilibus rebus ſubmiſsè, de mediocribus temperatè, de magnis ſublimiter, conſueuit agere: librum *de Sacerdotio* eleganti ſtylo contexuit, * vt Epiſcopatu nihil ſub cælo dignius aut præſtantius indicaret. Cùm enim primis inſignis huius opuſculi capitibus, cun-

* Inſignis eſt hac in re canon 14 Synodi 8. Oecumenicæ, quo habem*, Epiſcopalem qui dignitatem ſortiti ſunt, cæleſtis Hierarchiæ in terris ordinem referre. Quare ſanciũt Patres, digno illos honore tã à Principibus quàm cæteris proſequendos. Quod ſi qui Epiſcopi gradum ſuum non retineant, delatumque & debitum ſibi ſacris legibus honorem non curantur, ſed abiectè & agreſtè viuant: hos Synodus à Pontificio munere in annum ſuſpendit: illos vero quicumq; cultum debitum iiſdem impendere detrectârint, ſed contemptus cauſam præſtiterint, communione Eccleſiaſtica per biẽnium fore decernit excluſos.

** S Aug. lib. 4. de Doct. Chriſt. Qui

ćta latius expoſuiſſet quæ ad auctoritatem & dignitatem Epiſcoporum ſpectant: ſic demum ſubiunxit, cap. 3. *Hæc cuncta nos præmiſiſſe debetis cognoſcere, vt oſtenderemus nihil eſſe in hoc ſæculo excellentius ſacerdotibus, nihil ſublimius Epiſcopis reperiri.* Nec enim Epiſcopi in Eccleſia *Apoſtolorum* tantum gradum & honorem ſortiuntur, cùm in eorum locum ſuffecti ſint, vt docet ipſemet S. Ambroſius in epiſt. ad Epheſ. 4. S. Hieronymus in Mich. c. 2. S. Auguſt. in Pſal. 44. Leo PP. ep. 66. Paulinus epiſtola ad Alelhium. Caſſiod. in Pſal. 108. probátque Balſamo in Nomocan. Photii tit. 8. c. 1. ex Concilio 3. Carthag. can. 46. cui conſonat can. Dominus diſt. 93. ex S. Cypriano elicitus epiſt. 9. lib. 3. & cap. 1. §. *per frontis, de ſacra vnct.* Verùmetiam *Angelorum* officio funguntur * & nomine honorantur, Apocalyp. 2. Vnde & S. Gregor. hom. 5. in Ezech. commemorans illud Daniel 7. *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accenſus*: Epiſcopos Thronis ipſis ſimiles eſſe dicit. *Hi enim*, inquit, *qui animarum cuſtodes ſunt & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, MVTARE LOCA MINIME PERMITTVNTVR; ſed quia VNO IN LOCO POSITI Diuinitatis in ſe præſentiam portant & ardent, Thronus Dei, flamma ignis dicuntur.* Quin & Chriſti ipſius Epiſcopum perferre imaginem, imò Dei, paſſim docet S. Ignatius primarius Apoſtolorum ſymmyſta, Chriſtíque athleta inclytus. Nam in epiſtola ad Smyrnenſes docet Hierarcham duplicem referre imaginem, vnam quidem Chriſti, quatenus ſacrificat & Sacerdotio perfungitur, Eccleſiámq; paſcit & protegit: alteram Dei, in quantum iubet ac imperat. In epiſtola autem ad Magneſianos iam non ſe-

& eumdem Euangelicum diſputatorem & venerandum ſuum Doctorem appellat lib. 1. cont. Pelag. tomo 7.

* Extat tom. 4. S. Ambroſ. lib de Sacerdotio tom. 4.

* Id propriis documentis inſinuat S. Dionyſius lib. de cæleſti Hierarchia c. 12. Tertull. lib. de Veland. Virginib S. Ambroſ in 1. ad Corinth c. 11. verſ. 10 S Hieron. in com. ad Malach. c. 2. verſ. 7. & S. Greg. l. 34. Moral. in Iob. c. 7.

mel laudata, eumdem asserit præsidere εἰς τόπον θεοῦ, in locum Dei. In quantum scilicet omnia lustrat, regit, pascit ac gubernat. Quamobrem Pius Papa & Martyr epist. 1.* Episcopos *Dei oculos* eleganter appellat, vt refertur c. 6. qu. 1. c. *oues*. Quod & ipsi nomini congruit: nam vt cuique notum est ἐπίσκοπος Græcè, Latinè sonat inspectorem, speculatorem, curatorem: quod Episcopi munus graphicè exprimit. Episcopus enim *qui pro Deo legatione fungitur*, ouium saluti paterno amore prospicit, omnium actus considerat, omnibus spiritualis vitæ subsidia suppeditat: eáque ratione S. Dionysius Episcopum dictitabat diuinorum oraculorum interpetem, nuntium, caduceatorem, itinerísque nostri ducem, qui ex his inferioribus ad cæleste nos dirigat supernæ Ierusalem mansiones. Ob quæ salutaria munera eximiis præconiis, supremísque honoribus Episcopi habiti sunt semper in Ecclesia dignissimi. In Concilio 1. Matiscon. c. 11. dicuntur, *sublimis dignitatis apice subleuari*. A Damaso autem Christi Vicario Oecumenico, epist. ad Prosp. Episcopum Numid. habere *dignitatis fastigium, eminentissimæ dignitatis apicem*. Imò in Concilio Aruernensi, ipsi nuncupantur *apices & principes omnium*. Sed & à sancto Hieronymo vocantur *Reges & Principes Ecclesiarum*. * Quapropter & mos olim viguit * eorum coronam honorare, per coronam sacram ipsos adiurare, salutare: sed & obuios adorare, manúsque imò & pedes eorum osculari. Quo ex more sic Venantius Fortunatus Martinum Episcopum Galliciæ salutabat epistola, loco proëmij lib. 5. poëmatum præfixa *Quapropter sacratissimæ, syncerissimæque atque amantissimæ Apostolicæ coronæ vestræ plantas supra*

* Inscripta est, *ad vniuersos Christi fideles*. Extat quæ integr. tom. 1. Conc. p. 1.

2. Cor. 2. 20.

* In Isa. l. 17. c. 61. & in Hierem. lib. 5. c. 13.

S. August. epist. 147. S. Hieronym. epist 81. Item Episcopi Metropoleos Arelatens. in epist. ad Leonem PP. Vide Sauaron. in Sidonij lib. 4. epist. 5. & lib. 7. epist. 8.

meum pectus stratas imponens, & vltimus ego membra subdita, vel pedum vestrorum recubatorium faciens * *ita vestræ pietati auido desiderio me commendo.* Nec sic verò putes infimæ tantùm classis viros Episcopis detulisse: plura sanè & maiora deuotionis indicia ac reuerentiæ obsequia eis & pij Imperatores ac Reges impenderunt, atque impendi eisdem ab omnibus, sancitis etiam legibus, præceperunt. Eusebius Cæsariensis lib. 1. de vita Constantini scribit ipsum Augustum dicere solitum, se honorare Episcopos, non tanquam homines, sed quia in eorum animis Deus insideret. Cui astipulatur Ruffinus lib. 10. Eccles. histor. c. 2. vbi narrat, eumdem Constantinum noluisse Episcopos inter se contendentes & libellis etiam se inuicem apud ipsum accusantes, iudicare, sed traditis igni libellis, abs se omnem eiusmodi iudicij abiecisse potestatem, adductóque 1. psalm 81. versiculo: qui sic habet, *Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat*, piè & sapienter subintulisse. *Vos* (Episcopi) *nobis à Deo dati dij estis. Non est autem conueniens vt homo deos dijudicet.* Nec Regum nostrorum minor fuit ea etiam in parte religio: qui non modò Episcopos summo semper honore habuerunt, * sed & colendos præ omnibus districtis sanctionibus statuêre. Ita enim edicit Carolus Magnus Capit. lib. 5. c. 163. *Præcipimus atque iubemus ne fortè, quod absit, aliquis circa Episcopos leuiter aut grauiter agat. Quod ad periculum totius Imperij nostri pertinet, & vt omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem & dignitatem Sacerdotalem.* Tùm commemoratâ eâ quam in B. Petro vt membra in capite acceperunt, ligandi atque soluendi potestate, necnon Constantini Magni quæ supra insinuata est sententia, addit capit.

* Ex his deprehẽdis hæreticorum petulantiam, qui Episcoporũ Principis, Apostolorũ hæredis, Christi Vicarij, Pastoris Oecumenici pedes deoscolari pro sũmo scelere ducunt, idololatriamq; appellitãt: cùm olim cuiusuis Episcopi, tanta reuerentia fideles vestigiis sese prosternerent, pedésq; ipsorum osculis infixis summo amore & honore cõplecterentur. Cæterùm hæreticos, aduersus Christi Vicarij, Apostolici Põtificis maiestatẽ, infulsè quin & impiè blaterantes, bino opusculo confutauit Iosephus Steuanus Valentinus, qui eruditissima scripsit apologetica pro adoratione pedum Romani Pontificis: & eiusdem eleuatione & coronatione. Edita primùm prodiere Venetijs an. 1579. & subinde Romæ an. 1584.

* Ea pietate imbutus Robertus Frãcorum Rex Christianissimus, Lamberto Episcopo Lingonensi mole carnis grauato suppedaneum ministrauit, in solemni Episcoporum consessu: prout narrat Helgaudus Floriac. Monachus in vita eiusdem, quæ incipit, *Cælestis imperij dignitas*, &c.

dit capit. 170. *Igitur quia constat Religionem Christianam per successores Apostolorum salubriter administrari, populisque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere: primò necessarium iudicauimus omnibus præcipere, vt honorem debitum venerabiliter Episcopis absque vlla simulatione, aut detractione impendant, iisque in omnibus vt Patribus obediant, & quicquid pro salute animarum monuerint, prout meliùs potuerint adimplere satagant, si Dei & nostram gratiam habere voluerint. Nam Dominus ait, Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Et iterum. Si te non audierit dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et alibi. Si quis scandalizauerit vnum ex pusillis istis, id est ex meis discipulis & Apostolis, quorum locum Episcopi nunc in Ecclesia tenent, melius est ei vt suspendatur molla asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, quàm scandalizet vnum de istis minimis. Hæc omnia fidelibus admonenda & perpendenda sunt, ne in hoc, quod absit, incidant scandalum: sed magis Episcopis obediendo, non filij perditionis, sed filij Dei efficiantur, & non cum stultis pœnam, sed cum iustis præmia percipiant sempiterna. Nam Episcopos & Sacerdotes quibus omnis terra caput inclinat, * per quos & nostrum pollet imperium, admodum honorari & venerari omnes monemus, nec eos lacerari aut blasphemari, vel detrahi a quoquam volumus, quia detractio Sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice legatione funguntur in Ecclesia*, &c. Hæc ille Carolus nomine Magnus, re autem ipsa maximus Rex noster & Imperator: cuius certè pia hæc sanctio non chartæ inscribi debebat, sed cedrinæ tabulæ, calamóque exarari, non atramento, sed puro auro, intincto. Sub eius autem filio Ludouico Pio habita est Parisiensis Synodus VI. In qua cùm de morum reformatione tractaretur, ordi-

Audiant, quæso, si non Pontificis saltem Principis sæcularis religiosa monita ex Euangelio deprompta Nouatores Acephali, qui Episcoporum dignitatẽ impiè contemnũt perpetuòque illudunt sacræ eorum coronæ.

* Mutuatus videtur Carolus M. hæc ipsa verba ex lege Theodosij & Valẽtiniani Augg. ad Verum Præfectũ Prętorij, quam refert ex peruetusto codice R. P. Iac. Sirmondus in notis ad lib. 4. ep. 11 Sidonij Apoll. His enim verbis concepta est ipsius legis notatu digna de Sacerdotum vtriusque gradus dignitate Præfatiuncula. *Audemus quidem sermonem facere, solito plus timore capti, de sanctis & Venerabilibus Sacerdotibus, & secundis Sacerdotibus, vel etiam Leuitis: & eos cum omni timore nominare: QVIBVS OMNIS TERRA CAPVT INCLINAT*, &c. Et sub otam: *Quoniam in Sacerdotibus Ecclesia constat.*

néque & disciplina Ecclesiastica nonnihil ex Sacerdotum contemptu laxata & ferè dissoluta ageretur, intra sacrarum regularum fines reuocanda: in primis visum est Episcoporum dignitatem & auctoritatem populis commendare, eamdémque Synodico præconio declaratam, astruere & tueri. Placuit igitur Concilio proprium hac de re Canonem ex B. Prosperi Aquitanici verbis, quo pondus suo Decreto maius accederet, concinnatum, promulgare, hac inscriptione prænotatum n. XI. *De non contemnendo Episcoporum ministerio. Sed & hoc illis, filijs vtique & proceribus vestris* (siquidem Ludouicum & Lotharium Imperatores alloquuntur, deprecantúrque, vt sacram Episcoporum auctoritatem & dignitatem vindicent) *ad memoriam reducendum est, qualiter B. Prosper in libro quem de contemplatiua & actuali vita scripsit, laudem Sacerdotum comprehenderit. Ipsis enim, inquit, id est Sacerdotibus propria animarum curandarum solicitudo commissa est, qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium velut pro suis infatigabiliter supplicant Deo, ac velut quondam Aaron incensum contriti cordis, & humiliati spiritus offerentes quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduersionis à populo. Qui post Dei gratiam diuinæ voluntatis fiunt indices, Ecclesiarum Dei post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, prauæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & malè sibi conscijs etiam ipso visu terribiles: vindices oppressorum, Patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cælestium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt decus Ecclesię, in quibus ampliùs fulget Ecclesia. Ipsi columnę firmissimę, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi ianuę ciuitatis*

Lib. 1. c. 4.

Vt Episcopi dicti etiam Presbyteri sub ipso exorientis Christianæ religionis articulo comperiuntur, 1. Pet. 5. 1. Tit. 1. Irenæi aduers. hæres. lib. 3. c. 2. lib. 4. c. 43. & 44. Euseb. lib. 5. hist. Eccles. c. 26. Ita & Sacerdotes per excellentiam apud veteres passim appellantur, S. Clem. ep. 3. Const. Apost. lib. 7. c. 42. & 43. S. Dionys. Eccles. Hierarch. cap. de Sacram. illust. S. Cypr. ep. 10. ad Clerum, 40. ad plebem. Item ep. 70 ad Ianuar. & 72. ad Steph. PP. S. Ambros. lib 1. Off. c. 41. Aurel. Prud. Peristeph. hym. 14. Leon. M. epist. 96. Patres Concilij Turonici 1. c. 12. & 13. Agath. c. 49. Sed distinctionis causa, vt Sacerdotij binus gradus ostéderetur, *summi Sacerdotes* itidem nuncupati leguntur apud Tertull. lib. de Baptis. c 17. Euseb. PP. in epist. ad Episcopos Tusciæ & Camp. sub finem. S. Aug. in q. 10. ex vtroq. mixt. vbi ait. *Quid est Episcopus nisi primus Presbyter, hoc est summus Sacerdos?* Concil. 3. can. 26. Côcil. Cart. 1. c. 7. Agath. c. 6. Atque ad idem discrimen insinuandum Pres-

æternę, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum. Ipsi ianitores quibus claues datę sunt Regni cælorum. Ipsi etiam dispensatores regię domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus & officia singulorum. Licet enim sanctorum præcedentium Sacerdotum vita & meritis longè inferiores simus, idem tamen sacrum ministerium quod indigni suscepimus, non minoris auctoritatis & dignitatis existit. Et quamquam tanto ministerio indigni, propter illum tamen cuius ministerium gerimus in nobis non est contemnendum. Hæc illi Patres prudentissimè & pulcherrimè Episcoporum dignitatem ac potestatem, calamo veraci depingentes, & honorem ipsis debitum, non hominum merito, sed Dei muneri ac gratiæ ascribentes, astruentésque religiosissimè.

byteri, secundi ordinis pridem dicebantur Sacerdotes: cuius denominationis auctoritates suprà à nobis inductæ sunt. Qua ex praxi Vigilius PP. epist. 1. ad Auxanium Arelat. Episcop. Presbyteratum appellat, *sequentem Sacerdotij ordinem* At subinde Episcopi propriè dici cæperunt Pontifices, Presbyteri Sacerdotes: maximè qui Ecclesiæ cuiusdam regimen tenerent, & Pastorali officio perfungerentur: hinc tituli Ecclesiastici cæperunt *Sacerdotia* appellari, quibus annui reditus fructuarij primùm attributi feruntur à Gregorio Papa 1. *Plat. in vita eiusd.* Cùm diu antea Parœciæ fuissent erectæ ac distinctæ, singulisque Presbyteri ascripti: sed qui ab Episcopo sacrarum facultatum dispensatore, ex communi Cleri consilio necessaria percipiebant subsidia, Cypr. epist. 34. & 66. Certè post institutionem Parœciarum à Dionysio PP factam, *epist. 1. ad Seuer. Episc. quam allegat Grat. 13 qu. 1. c. Ecclesias.* Presbyteri Parœcialis occurrit passim mentio apud veteres. S. Cypr. epist. 28. meminit Gaij Presbyteri Diddensis in Episcopatu Carthagin. eiusque Diaconi, & S. August. epist. 212. ad Pancarium, Secundini Presbyteri Germanicensis in Hipponensi Diœcesi plebem & propriam Ecclesiã habentis. Vide de Parœciali sub Episcopo Ecclesia ep Synesij 96.

Ex quibus documentis cùm Sole clarius euadat, nullum posse cultum indebitum Episcopis rependi: hinc etiam habent ipsi Episcopi vnde Deo, à quo sublimem hanc potestatem maximúmque dignitatis decus consecuti sunt, gratias referant vberiores, suæque, hoc est mortalis conditionis memores, caueant sibi ex sacri apicis quo fulgent in Ecclesia fastigio, Hierarchicæque potestatis imperio, nimis complacere, plusque æquo sese extollendo (quod vetat Apostolorum Princeps*) in Clero, profuso sacræ feréque supremæ auctoritatis vsu, vísque potiùs quàm amore, dominari. Et verò non absque causa decreuit Ecclesia, vt pro Episcopis tremendo in Missæ my-

* 1. Petr. 5. 3.

Cui quadrat illud Hieronymi ad Nepotian. de vita Clericorum ep. 2. post med *Episcopi se esse Sacerdotes nouerint non dominos: honorent Clericos quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitij: cur ego te, inquit, habeam vt principem, cùm tu me non habeas vt Senatorem? Quod Aaron & filios eius, hoc Episco-*

sterio quotidie à Sacerdotibus oraretur: nempe vt non tantùm maximæ quæ Papæ & Regibus ea in re defertur reuerentiæ ac amoris, illis communicatio impertiretur; verùm etiam vt illis benè se gerendi, & subditos feliciter regendi ipsius sacrificij Christianæ redemptionis merito, & virtute concederetur gratia. Enimverò quantò maiori in honore constituitur Episcopus, tantò grauiori deprimitur onere, vt non dubium sit eum dum omnium curat salutem, in maximo propriæ periculo versari.* Onus enim Episcopo incumbit Angelicis, vt aiunt, humeris formidandum: vni siquidem Angelo traditur fortè vna anima custodienda, sed Episcopo innumerabiles committuntur. Quibus vt ouibus Pastor præire, eásque verbo & opere docere tenetur omnia virtutum genera: iuxta illud Ioann. 10. *Pastor ante eas vadit.* Vnde militantis Ecclesiæ Princeps, Episcopos obtestatur, *vt formam sese præbeant gregi ex animo.* 1. Petr. 5. Quilibet igitur Episcopus meritò à SS. Patribus & piis Doctoribus appellatur, exemplar probitatis, Doctor, Pastor, Rector & dux in cælum tendentium; Nauta, cuius est conducere nauim fidelium, per mare periculosum huius mundi, ad portum felicitatis æternæ; Signum ad sagittas omnium in se sustinēs impetus; Speculum in quod omnes conijciunt oculos; Præfectus vigilum, miles, agonotheta, Pater, nutrix, agricultor, corrector, Iudex, vindex, patronus, medicus, oeconomus: Is enim *est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram.* Ad quam Euangelij sententiam rectè hoc monimentum quidam Doctor attexuit, * *Qui tantam familiam regendam & alendam suscipit, benè ante*

pum & Presbyteros esse nouerimus. Vnus Dominus, vnum templum, vnum sit etiam ministerium. Postque S. Petri citatum monimētum Episcopos quosdam redarguit qui se præsentibus Presbyteros loqui non sinebāt, quasi inuiderent, aut audire non dignarentur: aduersus quos inculcat S. Pauli documentum, 1 Cor. 14 v 30. vid. c. Episc. d. 95.

* Lege homilias duas S. Augustini, de anniuersario Episcopalis ordinationis tom. 10.

S. Ioan. Damasc. lib. 2. Parallellorum.

* Antonius in c. quamuis de regul. Iuris.

omnia præmeditari debere, vtrum habeat vnde ei prouidere poßit. Et verò Episcopus sua in consecratione, solemni se sponsione obstringit, ad perfectionis statum, cuius finis est proximus animas sibi creditas illuminare, instruere & ad perfectionem eas perenni cura & opera adducere: itavt pro ipsis omnia sua contemnat, sique opus fuerit propriam vitam profundat, vt ex Euangelicis institutis S. Thomas docet & conuincit, illud præterea subiiciens, si à sola intentione tendendi ad perfectionem, & cæteros ad eam perducendi destiterit Episcopus, grauiter peccare eumdem, quoniam finem ipsum suscepti officij, quem perpetim respicere debet, non attendit: sicque, dum à scopo præfixo aberrat, nec sibi, nec aliis ad finem vltimum prouehendis vt tenetur prospicit. Quæ perpendens alta mente S. Augustinus scribebat ad Valerium epist. 148. nihil esse miserius Episcopatus officio si perfunctoriè agatur: si verò vt decet exerceatur nihil periculosius. Idipsum docuit S. Chrysostom. lib. 3. de Sacerdotio, vbi ait: *Fluctus Episcopi animum concutientes ventis mare conturbantibus, & crebriores, & infestiores esse solere.* Et lib. 6. *Si difficultates*, inquit, *eas omnes recensere vellem* (expertus autem vt omnibus constat loquitur) *quas Episcopum tolerare oportet, nihil aliud est quàm maris altitudinem emetiri.* Nihil enim verius est quàm Episcopum procellis vndique impeti, negotiorum ferè mole obrui, diúque noctúque in magno labore versari. Ideóque B. Carolus Borromeus, cùm Episcopus scribens ad eum significasset sibi parum esse negotij, eam vocem, vt Episcopo prorsùs indignam, grauibus ad illum datis literis acriter reprehendit. Verè igitur iuxtà ac cordatè S. Ber-

2. 2. qu. 184. a. 5. & quodlib. 3. qu. 6. a. 17. necnon Opusc. 18. c. 17. 18. & 19.

Concil. Paris. 6. lib 1 c 12. *Grandis dignitas Sacerdotũ, sed grandis ruina si peccent, latemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quàm mœroris de sublimibus corruisse*, &c.

nardus, qui Episcopatus oblatos non semel recusauerat, Episcopi cuiusque periculum censebat metuendum, intiméque eidem dicebat condolendum. * *Quoniam*, inquit, *considero gradum, at casum vereor; considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi iacentis deorsum; attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido.* * Et quis equidem hoc fastigio euectus non formidabit? cùm vas ipse electionis, qui tertium cælum peruaserat, & ingressus in Paradisum ad diuinam sapientiæ æternæ Cathedram ascenderat, videratque arcana, quæ nec licet homini loqui; qui quasi Christum cælo detraxerat, & sibi intimè coniunxerat (vnde in hanc erumpebat vocem, *Viuo ego iam non ego, viuit in me Christus*: * Quapropter & Chrysostomus, *cor Christi, cor Pauli*, fuisse dicebat, *mentémque eiusdem tabulam S. Spiritus ipsiusque librum gratiæ.*) * Hic inquam si talis ac tantus Apostolus, Pastorali deuinctus officio, sibimet etsi nihil conscio plurimùm metuebat, *Ne*, ait, *cùm alijs prædicauero ipse reprobus efficiar.* Quis vnquam & vsquam Antistes vel Pastor poterit esse securus? Quis itidem sensatus non magno versari in periculo ipsum fateatur? Quis pius ei non ex animo condolebit? cùm pro communi salute rationem de commissis omnibus sibi animabus in Dei iudicio redditurus inuigilet, cùm omnium portet onus, aliorúmque vt dispendia auertat, proprij aleam discriminis subeat, * & sicut mater quæ filios parturit, eos vt in vitam prouehat, de propria periclitatur salute, intensissimis concussa doloribus, mortísque imminenti periculo obnoxia. Hoc enim est quod innuit Apostolus Pastoris dum munus exequens & affectum exerens, sic percharas ouiculas

* In epist. ad Eugen. PP.

2. Corinth. 12. 3.

* Ideò S. Fulbert. Carnot. Episcopus Leuthericum Senonensem Archiepiscopum Præsulatum ineuntem hac sagaci præmonitione compellabat. *Proreta nauis Regiæ, cautus & circumspectus esto. Terreni spiritus insolēter assibilant. Fluctus huius sæculi intumescunt. Promentoria mundanæ potestatis pericula minantur, & more piratarum insidiantur hypocritæ. Inter hæc omnia tendendum ad portum cælestis Patriæ. epist. 27.*

* Galat. 2. 20.

* In encomio à Theodoro Daphnato ex eiusdem Chrysostomi de S. Paulo dictis collecto & concinnato, quod ex Simeone Metaph. Moys. Lippom. latinè expressum retexuit.

* Sanguis ouium de manu Pastoris requiretur, Ezech 3. 18. 34 2. hoc est de manu Episcopi perditio animarum, *cap irrefrag. de off. ordin.*

compellat atque hortatur. *Timeo vos ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Estote sicut ego, &c. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et rursus: innumeris ferè commemoratis periculis, quæ obeundo fidelium salutis opus, perpessus fuerat; ijsque tamen interioris angustiæ comparatione parui habitis: *Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantiam suam quotidianam* insinuat, *Ecclesiarúmque omnium solicitudinem*, qua vbíque & semper angitur, vrgetur & stimulatur: túmque omnium non modò perferre gemitus, sed & singulorum sese affirmat casus dolere. *Quis*, inquit, *infirmatur & ego non infirmor, quis scandalizatur & ego non vror?* Alibi verò hos quomodo experiretur aculeos aperiens, scribit se foris pugnas subire, intus pati timores, omni tribulatione vexari; nulla requie frui. Ideóque vt tot scopulos possit elidere, tot anfractus superare, cursum suum implere, officióque suo dignè ac vtiliter perfungi, ad fidelium confugit preces, ipsorúmque obnixè efflagitat pijs orationibus iuuari. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad prædicandum mysterium Christi.* Col. 4. 2. 3. & ad Ephes. 6. 18. *Vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me vt detur mihi sermo, in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij pro quo legatione fungor.* Et rursus ad Thess. epist. 2. c. 3. vers. 1. *De cætero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud nos, & vt liberemur ab importunis & malis hominibus.* Ex quibus Apostolicis interpellationibus liquet; etiam ipsis Apostolis fidelium orationes obeundo feliciùs Pastorali muneri vtiles fuisse: proin-

Gal. 4. 11. 12. 9.

2. Cor 11. 29.

2. Corinth. 7. 5.

déque magis esse ipsis Episcopis necessarias, qui sanè cùm Apostolorum locum teneant, officióque defungantur, minori gratia potiuntur, magísque periculis vndique imminentibus obnoxij sunt. *Non est facilè* (scribit S. Hieronymus ad Heliodorum) *stare loco Pauli, tenere gradum Petri cum Christo regnantium.* Quæ verba vt insignia sacros in Canones relata sunt, dist. 40. c. non est, & 2. qu. 7. c. non omnes: vbi glossa, hæc addit: *Non est facilè loco Pauli stare, dignè scilicet & sicut exigit dignitatis eminentia.* Quapropter hanc difficultatem Ecclesia maternâ prouidentiâ perpendens, tenerrimis affectibus Præsulum laboribus, periculísque commiserata, lege latâ constituit, preces & vota, ipsis in tremendis mysteriis singulis diebus pro Episcopi cuiúsque Diœcesani salute, * Deo præpotenti per Iesum Christum vnigenitum eius filium, Sacerdotémque maximum, offerri atque impendi: rata hoc pro eis subsidium tantò maiori iure deberi, quantò grauiora pro toto ipsius Ecclesiæ corpore subeunt discrimina, sicut duces videlicet in acie totius militiæ constituti, suoque etiam periculo pro omnium securitate, cum truculentis hostibus dimicantes, consertísque cum inferorum copiis manibus quotidie colluctantes.

Epist. 1. inter medium & fin. tom. 1.

* In Octaua Synodo can. 10. Tamen id antea ex præcepto Apostoli 1. Timoth 2. & Heb. 13. vsu obtinuisse prodit, S Chrysostom. hom. 69. ad populum. S Aug. ep. 110. & S Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. quamquam non ita disertè.

AST alia ratio est cur Ecclesia solemnes preces pro Episcopis Diœcesanis passim exsoluit, persoluendásque præcipit: nempe vt can. 6. dist. 40. legitur, quia gregis pendet à Pastore tota salus & felicitas: *Pro eius igitur perpetuo statu, vniuersitas fidelium tantò instantius orare debet, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensiùs pendere.* Hoc enim licet de Pontifice summo potissimùm dictum

sit:

ſit: * etiam ad Epiſcopum quoque Diœceſanum (qui ſecundum tenet poſt Papam gubernationis locum, ** vt ex verbis S. Auguſtini elicit gloſſa 4. in can. ante omnia, diſt. 40.) referri poſſe & debere, canon Liturgicus præcipuè declarat, vbi poſtquàm pro Pontifice Maximo oratum eſt, tùm etiam pro Antiſtite proprio Sacerdos preces profundit. Cuius ritus rationem Durantus non incongruam expromit, lib. 2. c. 33. de Eccl. Cathol. Ritib. §. 16. *Vt ſicut* (ait) *vniuerſalis Eccleſiæ commemoratio, propter vnitatem ſocietatis & pacis, coniungitur commemorationi Apoſtolici Pontificis: ita dignum & religioſum eſt, vt ſingulæ Eccleſiæ commemorationem ſuorum ſubiungant Antiſtitum, probantes ſe per illam orationem ſeruare cum eis Vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quam rationem verbatim ex dictis Alcuini, lib. de Diuin. off. c. de celeb. Miſſæ deprompram, etſi Eccleſiæ intentioni conſentaneam fateamur, non tamen vnicam eſſe arbitramur neque præcipuam. Nam communis eſt Patrum ſententia, Eccleſiam in Miſſæ ſacrificio, ſolemnia Deo vota offerre pro Pontifice, pro Antiſtite, pro Rege, ex Apoſtoli præſcripto, qui ſcribens ad Timotheum epiſt. 1. c. 2. iubet orationes, obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones offerri *pro Regibus*, ideſt, non tantùm pro Monarcha ſeu Imperatore, ſed etiam pro vtriuſque ſtatus ſacri & politici ſummis rectoribus, ſicut innuit continuò ſubijciens, *pro ijs qui in ſublimitate ſunt.* Id verò fieri docet duplici fine: primò pro eorum ſalute, vnde ſubdit: *Hoc eſſe bonum & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri:* deinde pro noſtra etiam vtilitate, quia ab his ſtatus noſtri felicitas dependet, quamobrem ſubnectit: *Vt quie-*

* Ritum orandi pro ſummo Pontifice, induxit Fabianus PP. & Martyr epiſt. 1. dilectiſſimis ſuis vbique Catholicæ Eccleſiæ comminiſtris inſcripta. Quem Galli Antiſtites tempore Leonis magni receperunt ſeruandumque decreuerunt in Concil. Vaſenſi c. 4. Nota hęreſeos aut ſchiſmatis inde fuit manifeſta, in ſacris myſteriis pro Pontifice Apoſtolico in quo viget Eccleſiæ ſublimitas & vnitas, non orare. Sic edixit Pelag. PP. ep. 2. idipſumque teſtatur Alcuinus c. de celeb. Miſſæ circa medium.

** Hinc à Papa Epiſcopi appellãtur fratres & Coepiſcopi, licet enim non in plenitudinem poteſtatis, tamen in partem vocati ſunt ſolicitudinis vt docet Leo PP. ep. 84. Vnde quamquã Hierarchia Eccleſiaſtica Præſules ſub Pontifice quadripartitos cõtineat; nẽpe Patriarchas, Primates, Metropolitanos ac Epiſcopos, vnus tamen eorum eſt ordo: nam quæ inter hos & illos cernitur maioritatis vel minoritatis diſtinctio, non eſt de ratione ordinis, ſed duntaxat iuriſdictionis.

tam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate: quia ſicut corpora ſuperiora influunt in inferiora; ſic ſacræ & politicæ poteſtates, in ſubiectos populos ſuæ virtutis diffundunt effectus: cùm enim penes eos ſit omnis auctoritas, * Eccleſiæ etiam & Reipublicæ pax & tranquillitas ab ipſis dimanat: qui ſi poteſtate qua pollent non recto fine vtuntur, vel quas tenent publici regiminis habenas, non vt conuenit moderentur: dici non poteſt quàm grauis inde immineat ſubditis calamitas. Orat igitur vt pro Pontifice & Rege, ** ſic pro Epiſcopo Eccleſia in Miſſæ ſacrificio, quia poſt ſupremos hos Hierarchiæ & Monarchiæ vertices, in quibus generis humani vniuerſa conſiſtit ſalus & tutela, vniuſcuiuſque Eccleſiæ particularis Epiſcopus caput eſt, à quo omnis ſtatus illius pendet felicitas: * vt in quo omnia ferè ſunt ſacræ poteſtatis organa & actus, & in cuius manu omnia penè videntur poſita. Etenim Eccleſiæ ſuæ regendæ poteſtas cuilibet Epiſcopo dicitur eſſe plenaria. *Can. per ſingulas 9. qu. 3.* Qui ideò dicitur Eccleſiæ columna, clypeus & gladius, lux & decus, Pater, Magiſter, ſponſus, dux, Rector, Paſtor, Oeconomus; imò Princeps & Dominus, qua & ratione perſonam totius Eccleſiæ gerit, eiúſque fert titulum ac tenet exerítque principatum. Hincque eſt quòd ſolus Epiſcopus vniuerſæ Diœceſi dicitur præeſſe, *cap. cùm cunct. de elect.* Quòd ſine eius licentia nullus Presbyter in ſua Diœceſi poteſt offerre vel baptizare, 16. *qu. 1. c. cunctis, & c. nullus.* Nec ſine eius conſenſu Monaſterium conſtrui debet aut Oratorium, 18. *qu. 2. c. quidam.* Solus inſuper Sacerdotibus honorem dare poteſt, 67. *d. c. Epiſcopus.* Porrò eius eſt omnes Parœcialium Eccle-

Ideò Anacletus PP. & M epiſt. 3. ad omnes Epiſcopos & reliquos Chriſti Sacerdotes, qua docet Sacerdotum ordinem Domini conſtitutione bipertitum eſſe, Epiſcoporum nempe & Presbyterorum, bino gradu conſiſtere: notanter declarat, *Non ampliùs quàm iſtos duos in Eccleſia eſſe Sacerdotum ordines: quia* (ſubdit) *licet alij Primates vel Patriarchæ, alij Metropolitani dicantur: ordo tamen vnus eſt. Sed ipſa diſcretio nominum, diſcretionem indicat maiorũ in Prælatione indicij non in poteſtate Pontificij.* Refert Luitprand. Ticinenſ. in Opuſc. de vitis Rom. Pontif. in ipſo Anacl. c. 5.

* Quàm arctis nexibus ſpiritualis ac ſæcularis poteſtas inuicem copulentur, quàmque neceſſariò ſibi mutuo ſuffragentur, memorandâ prorsùs docuit ſententiâ Arnulphus Epiſcopus Lexouienſis epiſt. 58. ad Alex 3. Pont. Max *Quaſi quibuſdam,* inquit, *complexibus dignitas Eccleſiaſtica & Regalis occurrunt: cum nec Reges ſine Eccleſia ſalutem, nec Eccleſia pacem ſine protectione Regia conſequatur.*

** De ritu orandi

siarum Rectores suæ Diœcesis instituere, seu vt habent sacra decreta, *inuestire*, 16. *qu.* 7. *c. sanè*, *&* *cap. nullus* Auctoritatem autem solus habet transferendi Prælatos inferiores. * *Iuo Pan. lib* 3. *c.* 70. ex Concil. 6. Carthag. c. 27. Præterea excommunicatione omnes (non exemptos à potestate ordinaria) potest ferire, 11. *qu.* 3. *c. si autem*. Denique ipsius Canonicæ potestati de iure communi subiacent omnes suæ Diœcesis Presbyteri & Clerici, 18. *qu.* 2. *c. quidam*: ac in eius manu sunt omnes Ecclesiæ, 18. *qu.* 7. *c. omnes Basilicæ*. Imò & res Ecclesiasticæ, 12. *qu.* 1. *c. Episcopus*. Nec mirum si Ecclesiasticarum facultatum dispensatio Episcopo commissa est, cùm & illius curæ, animæ hominum, quæ multò sunt pretiosiores, sint creditæ, *can. Apostol.* 41. Imò & Ecclesia, quam Christus *acquisiuit sanguine suo*, eius tutelæ sit relicta: Act. 20.

pro Rege Espencæus consule in comment. in epist. 1. ad Timoth. c. 2. vbi profusè Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ pium, ea in commonitione Apostolica seruanda, studium commendat, praximq; perennem, solerti in dagine demonstrat.

*Lege totam Epistolam S. Gregorij ad Clerum Mediolanensem lib. 2. ind. 11. n. 29.

† Parœci Prælatorum titulo honorantur ab Alexandro 3. in rescripto pro Rectore S. Pancratij Florentiæ, quod extat append. 11. Concilij Lateran. 3. p. 31. c. 7. & l. 1. Decret. tit. 1. c. 31. Cuius tenore declarat Parœcum sententiam interdicti & excommunicationis in Clericos & Laicos ferendi ius habere, quam, si rationabiliter lata sit obseruari præcipere Episcopo mandat: eamque sine congrua satisfactione & absque conscientia ipsius Plebani vetat relaxari. Idem eadem appellatione Parœcos cohonestat in decretali ad Episcopum Lingonẽsem, lib. 5. decret. titulo 30. c. 1. necnon Clemens 3. cap. Tua nos, de Clerico ægrotante lib. 3. Decret. tit. 6 Sunt tamen qui simplices Ecclesiarum Rectores. Prælatos propriè dici non solùm negant, sed esse vllo modo, etiam inficiantur, hac ratione ducti quod in iure, *Clem. fin de procuratoribus*, *&* *glos. Prælati in Clem. Dudum de sepult.* Prælatus & Rector distinctè nominentur. At rationem non aduertunt, cur hîc eiusmodi adhibeatur distinctio: nimirum quia Parœcus cum Episcopo cui subest illic commemoratur. Porrò comparatione Episcopi, Parœcum esse Prælatum, vt nemo sanus dixerit: sic Cleri & populi curæ suæ subiacentis cõsideratione, Prælatum esse ac dici debere ipsum Parœcum, nullus est qui iure possit abnuere. Sanè Apostolus docet *Presbyteros præesse*, 1. Timoth. 5. 17. Idque Ecclesia in eorum ordinatione profitetur. Quia scilicet ad hoc destinantur, vt Episcoporum facti adiutores, onere eos subleuẽt, & populum qui sibi committendus est regant & doceant. Vnde patet, si qui post Episcopos in Ecclesia Prælati nomine censendi sint, eos esse potissimum Presbyteros, qui sibi creditæ Ecclesiæ & populo præsunt, postq; Episcopum præcipuam humanæ salutis procurationem, ex suscepti ordinis officio exequuntur. Certè in liturgia S. Chrysost. inq; ipsius homilia de Adam & Heua pro Presbyteris orandum in tremendis mysteriis, docetur, qui Ecclesiæ post Episcopos præsident. Sed & Tertullianus Presbyteros qui cœlesti alimonia pascunt fideles & sacros regunt cœtus, ex vsu Ecclesiæ florenti probato, Præsidentes appellat, lib. de coron. milit. vbi etiam nominatim Episcopum ab his distinguit. Vide eumdem in Apolog. c 39. & in præf. c, 41. atque ad calcem lib. de Ieiuniis.

At Episcopus homo est, etsi Dei legationem obeat, *c. In nouo dist.* 20. proinde sicut ob collatum sibi honorem potest plus æquo gloriari, sic & potestate

ſuſcepta vti immodicè, & ſibi etiam in Eccleſiæ regimine & ſacrarum rerum adminiſtratione plus quàm par ſit tribuere.* Nam & in fide errare poteſt: ſolus enim eſt Petri ſucceſſor, cuius ex ſpeciali indulto Saluatoris, *fides* nequit vſquam *deficere*. Qui ideò ſolus ex conceſſo diuinitus officio, *fratres* ſuos, hoc eſt Orbis Epiſcopos vniuerſos *confirmare*, & ſicut *agnos*, ſic *oues* ipſas vbique & ſemper paſcere & regere poteſt, regali fungens ſacerdotio, & monarchico pollens ſub cæleſtis regni, Chriſti vice, imperio. Et hæc ratio eſt cur ſacra Concilia, & SS. Patres paſſim doceant, Summi ſolius Pontificis poteſtatem eſſe plenam, abſolutã, & vniuerſalem: Epiſcoporum autem omnium limitatam & certis terminis circumſeptam. Non autem hoc Apologetico declarare congruum duximus, quibus ſit Epiſcopi poteſtas circumſcripta limitibus, ni ex contentione & inuidia Antiſtitis, cuius votis & niſibus pro communi Eccleſiæ tutela, obuiare obſtringimur, obſcurare videamur dignitatis decus & ſacræ auctoritatis imminuere honorem. Conſultius fore cenſemus, pictorum induſtriam, qui addendo effigiem genuinè & nitidè exprimunt, imitari, quàm ſculptorum, qui decerpendo eliciunt, efformantque imaginem, hac in re æmulari artem. Prætermiſsâ igitur eorum caſuum recenſione, in quibus coarctatur Epiſcopalis iuriſdictio & poteſtas, operæ pretium fuerit duntaxat oſtendere, Eccleſiam noluiſſe vt ſupremi ſibi Pontificij iura quiſque Antiſtes vindicaret. Sed ne Diœceſani Epiſcopi poteſtas in immenſum deflueret, ex immoderato vſu, vergeretque in gregis vniuerſi detrimentum, ſtuduiſſe eum ſolemni Sacramento conſtringere, deuincireque vinculo ar-

* Hinc titulus prodiit *de exceßibus Prælatorum.* lib. 5. Decret. Et cap. vnicum eadem prænotatione inſcriptum in 6. lib. 5.

ctissimo canonicæ disciplinæ. Etenim publicis Ecclesiæ legibus constitutum est, vt electus in Episcopum minimè consecretur, * nisi Canonum voluerit obedientiam profiteri. Et ita viguit ab initio hæc regula, vt praxis eius præfixa sit in antiquo Ordine Romano, propriâ verborum serie concepta. Sic enim legere est in prima consecrandi interrogatione, art. 3. *Vis traditiones Orthodoxorum Patrum, ac decretales sanctæ Apostolicæ Sedis constitutiones*, * *reuerenter suscipere, docere atque seruare?* Respon. *Volo.* Sequitur. *Vis Beato Petro suæque Ecclesiæ, cui à Deo data est potestas ligandi atque soluendi, eiusque Vicario, successoribúsque eius, fidem & subiectionem per omnia exhibere?* Respon. *Volo. Vis sanctæ Ecclesiæ* (Metropolitanæ) *mihique* (eius Antistiti) *successoribúsque meis fidem & subiectionem exhibere?* Respon. *Volo.* Ex qua quidem formula quæ ferè ad verbum in Pontificali moderno præscribitur: cernere est quàm prudenti cautione voluerit Ecclesia Episcopum obligare, ne in gregis dispendium & proprium etiam damnum suam potestatem exereret, *vltrà mensuram quam illi mensus est* Deus, immodico affectu *dominandi in Clero* abreptus, sese, vt ait Apostolus, *superextenderet.* Ideóque etsi ex Canonica constitutione Episcopus Archiepiscopo subsit, eique suffragetur: ex diuina autem institutione Christi Vicario vniuersali, Petri successori, Episcoporum Episcopo, plenariæ subiectionis vinculo sit obstrictus: atque itidem, ex ipso cui consecratur Episcopali officio, legem Dei & Ecclesiasticas sanctiones non debeat ignorare, * quas & scire & prædicare omninò tenetur, seruaréque sedulò ipse debet ac tueri. Nihilominus Ecclesia in ipsa Episcopali initiatione, ab eo & subiectionem ac suf-

* Concil. 7. can. 2. Tom. 3. Concil. p. 1.

* In antiqua formula professionis quam Metropolitano Episcopus sua in ordinatione exhibebat, vt legitur apud Hincm. Remensem Archiepiscopum in Adalberti Morinensis Episcopi persona sic legitur. *A sacris Canonibus & Regularibus decretis Apostolicæ Sedis de Ecclesiasticis ordinationibus ac disciplinis promulgatis, seu à Synodalibus constitutionibus, quas Catholica Ecclesia ad auctoritatem recepit, me per contemptum pertinaciter non deuiaturum profiteor.*

2 Cor. 10. 13. 14.

* Dist. 36. & 38. per tot.

fragationem prælibatam exigit, ſpeciali ſponſione promitti, atque Canonum obſeruationem ab eo curat ſacroſancta hac profeſſione aſtrui atque obfirmari, perenni ſtudio & reuerentiâ colendam. Nempe vt nuncupati ſolemniter voti religione conſtrictus, ea quæ ipſo iure officij præſtare debet, ſtudioſiùs impendat, atque grauiſſimum ſibi imminere intelligat reatum, ſi præfixas ſibi metas tranſilire præſumpſerit, aut his quæ ſanctè iurauit, compertus ſit vllo modo refragari. Porrò ex hac Eccleſiaſtica praxi ac ſponſione Epiſcopali, duo elicimus notatione digniſſima. Epiſcopum ita eſſe ſuæ Eccleſiæ præpoſitum, vt tamen ipſe ſubditus ſit, non ſolùm ſummo Pontifici, quem in Petro Apoſtolorum Principe, Chriſtus Dominus, omnium Antiſtitum Primatem conſtituit, rectorémque ſupremum ac iudicem: ſed etiam Metropolitano Præſuli,* quem fulciendæ vnitatis causâ, & tuendæ doctrinæ ac diſciplinæ gratiâ, in vnaquáque Prouincia Sedes Apoſtolica præſidem Hierarchicum inſtituit:* cui omnes alios tanquam Principi, ſummíque Pontificis Vicario, Diœceſanos Epiſcopos voluit ſuffragari, necnon congruam reuerentiam ac obedientiam exhibere. Canonicis inſuper legibus ipſum ita eſſe Epiſcopum mancipatum, vt nihil debeat ſibi tribuere, faceréque aut decernere, quod ipſis non ſit Eccleſiaſticis legibus maximè conſentaneum, tantùm abeſt vt fas illi ſit quicquam aggredi, quod ipſis aduerſetur & repugnet. Enimverò ſi id auſus fuerit, quicquid ſit, Eccleſiaſticæ leges ſanciunt omni carere firmitate, *cap. fin. de poſtulatione Prælator.* Nec id modò inane erit: verùmetiam ipſe Antiſtes hoc præſumendo graui piaculo ſubiacebit, nam qui ſcienter ve-

* Vide Hildebert. Cænom. epiſt. 9. & 81. Leo Mag. ep. 84. & 89.

* S. Gregor. lib. 2. ind. 11. epiſt 29. & 30. lib. 3. ep. 26. 32. 35. 37 & lib. 4. epiſt. 56. Necnon Honorius 1. in conſtitutionibus quas refert Luitprand. Ticinenſis in Opuſc. de vitis Pontif. c. 72. & Silueſter 2. in epiſt. ad Aſcelinum Laudunenſem Epiſcopum increpatoria, quæ extat in limine epiſtol. eiuſdem Pontificis à Papirio Maſſonio editarum. Lege Auguſt. Triumphum in ſumma de poteſtate Eccleſiaſtica qu. 65. a. 1. ad 3.

nit contra Canones, peccat mortaliter, *can. ſi Romanor. diſt.* 19. Ideóque & ſeueræ prorsùs ſit animaduerſioni obnoxius, *can. Epiſcopus* 7. *qu.* 1. *& can. violatores* 5. *qu.* 1. *& ibi gloſ. fin. ac gloſ. inhibemus, in cap. generali de electione, lib.* 6. 2.

HAC verò ex inſinuatione elicimus Reuerendiſſ. Epiſcopum Lingonenſem à conatu ſuo geminandæ Sedis, perſequendo, ipſo ſuæ initiationis Sacramento præpediri: cùm enim ſolemni voto profeſſus ſit, Canones ſacros illibatè cuſtodire, pollicitus eſt ex conſequenti ſe nihil vnquam, contra eorum præſcriptum, pertentare aut moliri. Verùm ex tota defenſionis huius ſerie perſpicuum ſit, nihil magis quàm quæ optat & nititur ipſis Canonicis inſtitutis aduerſari: cùm nihil reperire ſit frequentiùs diſtrictiúſque in Pontificiis Decretis Synodalibúſque ſanctionibus prohibitum, quàm Epiſcopum Eccleſiam ſponſam ſuam ſine cauſa legitima deſerere, de loco ad locum, amplioris gloriæ & decoris appetitu tranſire, Sedem ſuam ſine publica neceſſitate aut vtilitate mutare, propriam principalémque Cathedram deſerere, & ad aliam in Diœceſi ſe conferre, ius & honorem Epiſcopatus abrogare antiquæ Matrici Eccleſiæ, diſtractúmque nouæ adſcribere, vel certè ipſum decus Epiſcopale diſpertiri, & geminam ſibi Sedem, (quaſi vir ſecundariam vxorem ſibi adciſceret) ſua in Diœceſi conſtituere: idque proprio nutu, ſine Capituli, cuius præcipuè intereſt, Cathedratici aſſenſu; abſque Metropolitani, cui honorem & obedientiam ſpopondit, conſilio, quin & contra Pontificis Maximi (à quo vt à Sacerdotij fonte, honorem ipſum Epiſcopatus habet, & à quo dependet prorsùs vt membrum

à capite) ſpecialem quæ infrà inſinuabitur prohibitionem adoriri. Cùm igitur è diametro hæc omnia ſacris Canonibus refragentur, quos ipſemet Antiſtes ipſo voto ſuæ ordinationis, nunquam temerare, ſed obſeruare omni ſtudio profeſſus eſt: hoc ſolum ſupereſt, vt memor ſacroſanctæ iſtius ſponſionis, ab his quæ contra ſuſcepit conſiliis * protinus reſiliat, vel certè non modò ſe contra Canones agere, ſed etiam aduerſus oppigneratam ſua in conſecratione fidem, (quod pium adeò Præſulem nunquam facturum credere eſt) hac noua contentione venire fateatur.

* Qui Epiſcopis conſilia ſuggerunt noxia, canonicis fiunt pœnis obnoxij. Ideóque S. Gregorius conſiliarios Epiſcopi Caralitani à ſacris per duos menſes excommunicauit, quod facti illegitimi fuiſſent ſuaſores: venia Epiſcopo ob ætatem, & minimè malam intentionem impertitâ, lib. 7 ind. 2. epiſt. 1. ad Ianuar. Epiſc. Caralit.

Nec verò ſola promiſſione editâ, in ſua ordinatione, qua canonum (ea quæ nunc optat, vetantium) inuiolatam obſeruationem pollicitus eſt; ab Epiſcopalis Sedis Lingonenſis diſſectione & duplicatione coercetur. Verùm etiam aliis deuinctus nexibus cohibetur, municipalibus ſcilicet vrbis Lingonenſis legibus, * quas anteceſſorum ſuorum exemplo, ipſo in ingreſſu Pontificatus ſanctè iurauit ac promiſit ſe perenniter ac intemeratè ſeruaturum. Quoniam enim Epiſcopus Lingonenſis, enſe potens gemino, duplicis poteſtatis imperio, ea in vrbe præeminet: nempe ſacroſancto Præſulatu, & nobiliſſimo ciuitatis principatu (quæ titulo pollet Ducatus & Patriciatus Franciæ) copioſíſque vt opibus ea ratione fruitur, ſic vtróque iure maxima auctoritate & potentiâ eſt præditus, quibus ſi pro libito vteretur, poſſet Eccleſiam & Ciuitatem magna in diſcrimina conijcere, iuráque communia infringendo Clerum & populum ſibi penitus mancipare: ſurſque déque vertere Eccleſiaſticum ac politicum ſtatum. Inde eſt quod, præter fidelitatis Sacramentum, quod Chriſtianiſſimo Regi,

* S. Hieronym. lib. 3. aduerſ. Ruffinum c. 10. poſt med. celebre illud dictum Pythagoræ, cuius ænigmata commemorat: *Coronam minimè carpendam*, ſic explicandum cenſet vt moneat; *Leges vrbium conſeruandas eſſe.*

Regi, ſupremo vrbis Principi, ac ſpeciali Eccleſiæ Patrono & tutelari,* antequàm Pontificatus poſſeſſionem capeſſat, de more præſtare debet: inſuper tenetur priuſquàm ſacrum limen attingat, & in Eccleſiam Cathedraticam admittatur, ipſo in vrbis ingreſſu, ex Maiorum inſtituto, vrbíſque municipali lege, de ſeruandis Eccleſiæ & vrbis priuilegiis ac immunitatibus iuſiurandum exerere, inuiolabilíſque fidei pignore palam edito polliceri, ſe Epiſcopatus iura integra & intemerata vrbi conſeruaturum, nec Pontificiæ iuriſdictionis tribunal vnquam diſtracturum, vel aliò traducturum. Extant certè in vrbicis archiuis ſyncera auitæ huius obſeruationis, Epiſcopalíſque ſponſionis monimenta, quorum ſummam, *diurnorum actorum* inſcriptam Codici, in piæ & neceſſariæ defenſionis ſubſidium hîc intexere operæ pretium cenſuimus, verbatim ex autographo deprómptam, atque ex patrio idiomate, latio quàm fideliter potuimus ſermone, expreſſam.

* Vide Choppinũ lib. 1 de ſacra Politia, tit. 7. §. 1. & 14. Et D. le Bret, nuper Regiarum cauſarum in ſupremo Galliarum Senatu Patroni diſertiſſimi ac eruditiſſimi Deciſiones Forenſes part. 2. lib. 2. Deciſ. 1. Qua de Christianiſſimi Regis ſacris prærogatiuis luculenter diſſerit, iuſque Regaliæ (ſic paſſim ſcriptum apud Iuriſperitos legim') Regiæ maieſtati aſtruit, *Ex ſacra Vnctione, fundatione Eccleſiarum & protectione concurrẽtibus*, iuſtè competere. Porrò hac formula, Epiſcopus dudum in verba Regis iurabat, quæ præſcripta fuit ſub Carolo Caluo in conuentu ſeu placito apud Gundulfi villam anno 873. ind. 5. *Quantùm ſciero & potuero, adiuuante Domino, conſilio & auxilio ſecundùm meum miniſterium fidelis vobis adiutor ero, vt Regnum quod vobis Deus donauit vel donauerit ad ipſius voluntatem & ſancta Eccleſia, ac debitum regium honorem veſtrum, & veſtram veſtrorumque fidelium ſaluationem, habere & obtinere poſſitis.* At notanda, quæ illic inter Præſules & Proceres adhibita fuit diſtinctio: ſiquidem inſcribitur hæc formula, *Profeſſio Epiſcoporum:* quæ verò ſubſequitur: *Sacramentum* dicitur *Laicorum*. Cuius diſcriminis cauſam copioſè & eleganter habes expreſſam in epiſtola Epiſcoporum Prouinciarum Remenſis & Rothomagenſis miſſa è Carſiaco Palatio ad Ludouicum Regem in Attiniaco Palatio cõſiſtentem, anno Inc. Dom. 858. cap. 15. Extat inter Capitula Caroli Calui à R. P. Sirmondo edita n. 23.

TABVLA DIARIA, EX COMMENtarijs Cameræ vrbicæ Lingonenſis elicita, de ſolemni iureiurando, ab Epiſcopis vrbem ineuntibus, ab annis ſupra 400. antiqua ex formula præſtito.

ANno ſalutis 1205. menſe Ianuario, Robertus Epiſcopus & Dux Lingonenſis, ipſo ſuo in vrbem ingreſſu,

editô iureiurandô promisit, Ciuium & incolarum vrbis Lingonensis priuilegia ac immunitates, se sarta tecta habiturum.

Anno 1398. Ludouicus Cardinalis Barrensis, Episcopus Lingonensis, vrbem itidem ingressus, mox apud Hugonem Gardon Consulem popularem, iurauit, quascumque immunitates & libertates Ciuibus ab antecessoribus suis indultas, omniáque eorum priuilegia, sese rata habere; spopondit que perpetuò se eadem omni studio & affectu conseruaturum.

Anno 1413. vndec. Calend. Martij, Carolus de Pictauia Pontifex Lingonensis, vrbem ineundo, eodem se Sacramento obstrinxit, in manibus Petri de sancto Audoëno Ciuium ac incolarum Tribuni, seu publici Procuratoris.

Anno 1436. Philippus à Vienna Lingonensis Antistes, eamdem sponsionem fide interposita præstitit; atque insuper pollicitus est Curiam Ecclesiasticam se nunquam Lingonibus detracturum: sed fixam & plenariam ibidem semper conseruatum iri. Hocque iusiurandum vt inuiolabile foret bis emisit, anno scilicet prænotato, publica Ioannis de Guy vrbici Maioris instantia: anno autem 1438. solemni Ioannis Pigneret, populi Lingonensis successiuè Curionis, interpellatione.

Anno 1452. Ioannes d'Auxy, infulis redimitus Ecclesiæ Lingonensis per Procuratores suos Magistrum Ioannem de Chamone Canonicum Lingonensem, & D. Matthæum d'Auxy nobilem scutarium suum germanum, eamdem pollicitationem, excipiente prædicto Ioanne de Guy iterum Decurione vrbico, solemni formula exeruit.

Anno 1481. Ioannes de Ambosia è sede Maleacensi ad solium Lingonense Apostolica auctoritate transuectus: ipso in vrbis aditu substitit: atque commonente Raymbaldo de alba Petra, Actore plebis Lingonensis, data fide, se omnia Ciuium iura ac priuilegia non modò tutaturum sed & amplificaturum promisit. Idem verò Reuerendissimus Antistes, (qui ob

eximia in Clerum & populum collata beneficia, Patris patriæ, ac protectoris Ecclesiæ titulum tandem promeritus est gloriosum) diplomate suo munifico Ciuibus impertito, Calend. Septemb. an. 1489. edixit, ne Ecclesiastica Sedes iudiciaria, seu Officialatus Curia, vllo in Diœcesis suæ oppido vel loco constitueretur: sed tantùm in Lingonensi ciuitate Episcopali consisteret: si qua verò ex decessorum suorum indulgentia alibi fuisset statuta, deinceps pro reuocata censeretur. Iterum verò anno 1502. Calend. Iunijs Pontificio decreto prorsùs reuocauit, suppreßit & extinxit quascumque audientias seu inferiores Curias Officialatus Lingonensis, quocumque loco suæ in Diœcesi instauratas, quas omnes, ad Sedem vnicam vrbicæ Præfecturæ Ecclesiasticæ reduxit: atque de cætero huic vni incorporatas esse, & ab ea indiuisibiles fore declarauit; Curiámque ipsam hinc vnquam tranferri, vel diuidi lege perpetua ac inuiolabili prohibuit. Quam sanctionem Ciuium efflagitatione Decanus & Capitulum Ecclesiæ Matricis laudauerunt, suaque astipulatione vnanimi obsignatam, perenni obseruatione colendam & propagandam, Capitularibus tabulis inscripsere.

Anno autem sequente, Christi nimirum 1503. Pontificatus autem sui primo, Iulius Papa II. prælibati Antistitis, ac populi Lingonensis supplicationibus annuens, reductionem iuridicæ Episcopatus Curiæ ad Sedem vnicam Lingonensem, ab ipsomet Præsule nuper Capitulo consentiente factam, laudauit, approbauit, confirmauit; alijsque omnibus Ecclesiasticis sedilibus abrogatis, decreuit Lingonibus hanc vnam perpetuis temporibus statam fixam, & inconcussam permanere, Apostolicis tabulis Romæ exaratis, apud S. Petrum 17. Cal. Aprilis.

Anno autem 1512. Michael Boudet ex Senatore Parisiensi creatus Episcopus Lingonensis, possessionem personaliter a-

dipiscens suæ Pontificalis præfecturæ , ex more auito , hæc omnia Ecclesiæ vrbisque iura ac priuilegia se rata habere, sartáque tecta velle tueri , solemniter præstito Sacramento in manibus Philippi Thiery Magistratus vrbici , spopondit: atque vt magis animi candorem , & singularem in suum Clerum ac populum affectum proderet; præter ea quæ conceptâ formulâ Lingonenses Episcopi Præsulatum auspicãtes iurare consueuerunt, addidit : se non eò venisse , vt Ecclesiæ vel ciuitatis prærogatiuas, immunitatésque infringeret vel minueret, sed magis vt antecessorum collata in Clerum & populum beneficia ampliaret , atque his etiam vberiora Deo aspirante impertiretur.

Idem anno 1574. die 4. Iulij , Reuerendus D. Carolus Descars , ex Pictauiensi Cathedra ad Lingonensem , Christianissimô Rege Henricô III. annuente, & Gregoriô XIII. dignissimo Apostolorum principis successore decernente, translatus , rituque Pontificio in vrbem exceptus , promisit ac professus est , iureiurando more Maiorum edito, atque in manibus Ioannis Iauarnaut Vrbici Consulis, quem Maiorem appellitant, religiosè deposito.

Cæterùm & qui huic successit meritissimus Antistes D. SEBASTIANVS ZAMET, is ipse cuius nunc illustri præsulatu, Cathedra Lingonensis tot post laudatissimorum Pontificum seriem & consessum, ornata nitet: cùm primùm ad hoc solium, meritis suffragantibus, prouectus fuit, nihil habuit antiquius quàm desponsatæ sibi Ecclesiæ amorem sanctum, quo tunc feruebat, patentibus indicijs prodere. Omnem igitur curam & affectum vt in ipsam conuertisse demonstraret, cùm Episcopatus per se adhuc non posset possessionem adire, Dominum Nicolaum Facenet Lingonensis ipsius Ecclesiæ Canonicum &

maiorem Archidiaconum, suum destinauit Vicarium, Procuratorémque constituit specialem, qui suo nomine non ipsam modò possessionem Episcopatus capesseret, sed insuper, vt municipales ferunt leges ciuitatis, solemni more interposito iureiurando, sponderet ac polliceretur se, (cuius ille personam sustineret) omnia singuláque iura, prærogatiuas, immunitates, priuilegia, à suis decessoribus Clero & populo Lingonensi concessa, siue ab alijs quibuscúmque indulta & impertita, prorsùs integra & illibata habiturum, eáque sine vlla imminutione conseruaturum, asserturum, propagaturum, perenni studio & assidua opitulatione. Fretus igitur prædictus Archidiaconus authentica syngrapha ipsius Domini Reuerendissimi Antistitis, procuratorio, vt aiunt, nomine, possessionem Episcopatus die 28. Iulij, anni 1615. adeptus est. At cùm operiente Sacerdotio in valuis Matricis Ecclesiæ sacris insignibus vallato, ipsemet Reuerendiss. Antistitis Vicarius generalis primùm comparuisset, cinctus Episcopalis Curiæ temporalis Iuridicis, aliisque D. Episcopi Officialibus: mox astitit Procerum stipatus vrbicorum coronâ, Decurionúmque consortiô D. Christophorus Delecey Ciuitatis Maior, qui publico nomine eundem D. Vicarium affatus, ipsum simul interpellauit ac contestatus est, vt non priùs ius possessionis apprehenderet, quàm ex more Maiorum, atque ex statuti municipalis præscripto, de seruandis vrbis priuilegiis, Ciuiumque immunitatibus præstitisset ipsius Reuerendissimi Præsulis nomine, sibi, qui personam publicam referebat, inuiolabile Sacramentum. Cuius cùm seriem ex recepta formula, eidem Vicario ver-

bo tenus intimasset: tùm ille nomine Episcopi, cuius specialis mandati litteris fretus erat, manum, vt ritus fert Sacerdotalis,* pectori admoués respondit: *Se sanctè iurare ac seriò promittere,* eidem Domino Maiori, eiusque collegis vrbis Lingonensis Decurionibus, ipsos aliosque ciues & incolas Lingonenses conseruare in omnibus suis iuribus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus & priuilegijs, cùm per Christianißimum Regem Dominum nostrum, sceptra nunc gerentem, eiusque prædecessores, supremos vrbis sæpedictæ Principes, tùm per antecessores Episcopos illis concessis & impertitis: absque vlla eorumdem iurium detractione vel imminutione. Polliceri insuper se nunquam passum iri, vt quicquam contra seriem & in præiudicium ipsorum priuilegiorum, exemptionum, immunitatum, libertatum, fiat aut pertentetur, quin potiùs ea exquisito studio se amplificaturum. Denique nunquam translaturum, nec vt quouis modo distrahatur vel diuellatur se permissurum, Iustitiam & Sedem Officialatus in toto vel in parte, ab ipsa vrbe Lingonensi: Ast sub eodem Sacramento promittere illam intra vrbis septa asserere, sustentare & perpetuò conseruare.* Quas quidem singulas sponsiones, stipulationes & promissa peculiari fideiussione pollicitus est ipsemet Dominus Facenet, *operam se daturum & reipsa effecturum, vt per eundem Reuerendiss. Antistitem, cùm primùm vrbem ingredietur propriâ astipulatione & speciali iureiurando approbentur, iterentur & obfirmentur.* Et verò quæ Procurator pepigerat efficaciter præstitit & penitus adimpleuit Reuerendissimus Antistes. Nam eodem anno, die penultima Octobris, possessionem ineundo sui Episcopatus personalem, ratum habuit quicquid vice sua & nomine præfatus Archidiaconus egerat & spoponderat. Cùm enim esset in aditu vrbis,

* Episcopi manu pectori admotâ iurare debent ex more probato in Cõcilio 6. Mediolan. S. Carolo Præside titulo de his quæ ad Cleri disciplinam pertinent. Sed & Presbyteris vbi Superior non adest eodem modo iurare permittitur.

* Verbum pro verbis reddimus.

atque ei ex more & officio occurrissent * (licet de eius aduentu haud præmoniti) Maior & Decuriones spectabilésque Ciues, plebe ferè confluente vniuersa; exhibitis debitæ reuerentiæ & obsequij primitiis, Maior publico nomine ipsum obtestatus & deprecatus est, vt memor eorum quæ per procuratorem iurato promiserat esse dignaretur: vestigiísque illustrium decessorum suorum inhærens secundùm leges auitas, Ciuium iura & priuilegia rata se habere fixaque velle perpetuò & inconcussa seruare & tenere iterato iureiurando profiteretur. Cui obnixæ interpellationi sereno vultu respondens pijssimus ac benignissimus Antistes, palàm protestatus est, *Se eô votô in vrbem Lingonensem venisse, quin & cor amore plenum huc se attulisse, vt charis cum ciuibus viueret & moreretur*: tumque sacram dexteram apponens purissimo pectori, & hinc submotam in manum Maioris immittens, fidê datâ Episcopali subintulit; *Præcordiis suis nihil magis infixum esse, quàm Ciues incolásque omnes in ipsorum iuribus, priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, fouere ac tueri: Pollicerique se illa nulla in parte vnquam innouare, infringere, vel tantillùm imminuere: sed potiùs ipsa omnia & singula iura & priuilegia, tam personalia quàm realia semper seruare, ac etiam pro viribus ampliare.* Iurauit insuper, *se nunquam Curiæ spiritualis iuridicæ & Sedis Officialatus translationem aggressurum, neque passurum vt vspiam aliò transferatur. Porrò nec eandem distractum iri in toto vel in parte, sed plenam & intemeratam se ibidem relicturum ac iugiter conseruaturum: eô planè modô & tenore, quo in sua procuratoria syngrapha Domino Facenet pridem tradita expressum erat, & eâ prorsùs forma & serie, qua idem, vice sua defungens, sub iureiurando spo-*

* De vetusto more Episcopis, honoris gratiâ obuiam prodeundi, S. Augustinus testis est, epist. 213. *Transit*, inquit, *honor huius sæculi*, & c. *In futuro Christi iudicio, nec absida gradata, nec Cathedra velata, nec sanctimonialium occursantium, atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem. Quæ hic honorant, ibi onerant.*

Notat Panormit. *in c. Solita de Mai. & obed.* Episcopatum propriè esse dignitatum culmen: potestatibusque temporalibus ita præcellere, vt de iure debeant Principes assurgere in aduentum & occursum Episcoporum, dextramq; in consessibus partem ipsis esse deferendam. Vide acta Synodi Tricassinæ cui præsedit Ioannes PP. 1. Sanè Episcopi sunt Regũ ac Principum Patres, ac præceptores in Christo venerandi, c. *Quis dubitet*, dist. 96. & c. si Imperator ead. dist. lege quæ scribit S August. & Arnobius in Psalm. 44 ad hæc verba *pro Patribus*, & c. *Constitues eos Principes*, & c. Attamen Episcopos Regibus alio iure subiacere, ijsque honorem ac fideli-

ponderat ac promiſerat. Demùm pro cumulo cautionis atque fiduciæ, ſub eadem obteſtatione pollicitus eſt, res omnes eodem in ſtatu quo mortalitatem exuens Reuerendiſſ. Dominus Carolus Scarſius proximus deceſſor ſuus, eas reliquerat, ſe velle in poſterum cuſtodire, nec vnquam aliquid directè vel indirectè in contrarium adoriri. Hæcque omnia promiſſa, etiam cùm primùm Pontificali apparatu vrbem ingrederetur, paratum ſe dixit iterum aſſerere ac corroborare, repetitâ, ſi opus fuerit, religioſâ numinis obteſtatione; necnon de ijs omnibus & ſingulis acta & inſtrumenta authentica, quæ libuerit ipſis Decurionibus & Ciuibus quoties rogatus fuerit concedere, & vt in præſentiarum conficiantur permittere, ijſque lubentiſſimè aſſentiri. Quæ omnia cùm à publicis actuariis, ipſorum Maioris & Decurionum flagitatione, fuiſſent verbotenus excepta & ſcripto exarata, Illuſtris admodum Præſul ſub expreſſis conditionibus vrbem (mox ſibi à Maiore reſeratô aditû) ingreſſus eſt. Eademque die, recitato in domo Epiſcopali præſtiti eiuſmodi Sacramenti inſtrumento, cum actis poſſeſſionis initæ & fideiuſſionis exhibitæ per Dominum Facenet procuratorio nomine, Reuerendiſſimus ipſemet Epiſcopus, grata rataque omnia quæ in his continentur ſe habere teſtatus, ſeſe ex animi ſententia dictis inſiſtere aſſeuerauit, ac impreſſo chartæ chyrographo, iteratoque iureiurando ſe initis pactis contrariis votis numquam refragaturum, at inuiolabili fide ſingula obſeruaturum profeſſus eſt.

Verùm non hac modò publica ſacræ fidei oppignoratione ſeſe deuinxit D. Epiſcopus ciuibus ſuis, ſed & Eccleſiæ ſuæ Cleroque arctiori longè vinculo ſe obſtrinxit,

tatem debere, S. Bernardus præclarè inſinuat & grauiter inculcat epiſt 42. ad Henricum Senonẽſem Archiepiſcopum. Qua ratione etiã docet S Gregor. ſummum Principem non militibus modò, ſed & Sacerdotibus dominari, lib. 2. ind. 11. ep. 62. Ad iuſtum diſcrimen interponendum, regula hæc quam præfixit ipſemet Sanctus Pontifex eſt obſeruãda, Principes ſic terrena poteſtate Sacerdotibus dominari, vt in ſalutis negotio penitus ſubiaceant, & iiſdem, excellẽti conſideratione, propter eum cuius & ſerui ſunt, & angeli, reuerẽtiam ſtudeant religioſè impendere, lib. 4. ind. 13. epiſt. 31. ad Mauritum Auguſt. Sanè Deum & Sacerdotali habitu & Regio ornatu in ſacris paginis apparuiſſe comperitur, ad vtriuſque dignitatis excellentiam demonſtrandam; id eliciunt diuinorum oraculorum interpretes, præſertim ex 6. Iſaiæ, & 1. Apocalyp. Pulchrè de vtraque ſacra & propè diuina poteſtate Lupus Ferrarienſis Abbas ep. 81. ad Amulum Archiepiſc. Lugdun. ex parte Caroli

obſtrinxit, præſtitô de ſeruandis eorum iuribus ac priuilegiis vniuerſis, planè memorabili ac inuiolabili Sacramento: ritu etenim adeò ſancto & ſolemni id edidit, vt vix religioſiori more à quoquam anteceſſorum Antiſtitum fuerit exhibitum. Sic enim habet ad verbum ipſius iuriſiurandi ſchedula, quę in rei monimentum perenne, pignuſque datæ Pontificiæ fidei illibatum, hactenus ſeruata extat in chartophylacio Lingonenſis Eccleſiæ.

Calui Regis. *Præcepit Rex vt eius vobis ſermonibus diceremus, quod Rex Regum, idemque ſacerdos ſacerdotum, qui ſolus potuit Eccleſiam regere quam redemit, poſtquam humanitatem ſuam in cælum erexit, ſemper cum ſuis futurus diuinitate, poteſtatem ſuam ad eamdem gubernandam Eccleſiam, in Sacerdotes diuiſit & Reges: vt quod ſancti docerent Pontifices, & ipſi implerent & impleri facerent deuotiſſimi Reges.* Idipſum inſinuant in epiſtola ad Ludouic. Regem Epiſcopi Prouinciarum Rementis & Rothomagenſis, iam ſemel laudata c. 15. vbi tamen ſic dicta attemperant, vt Epiſcopi ſint ſoli Eccleſiarum rectores: Reges verò ipſarum proprij defenſores. *Tales enim*, inquiunt, *vos debemus & volumus credere, vt nec vos Regni augmentum cum animæ veſtræ detrimento velitis habere: neque nos cum tali dedecore ad adiutorium Eccleſiaſtici regiminis & gubernationis recipere* (ſic loquuntur quoniam Rex ex indulto Apoſtolico, auo ſuo Carolo Magno, ab Adriano PP. impertito deſignabat Præſules) *vt ſine Sacerdotio ſimus, quo priuati erimus, ſi contra Deum & rationis auctoritatem, nos Eccleſiaſque noſtras vobis ſtuduerimus committere.*

CAPITVLVM.

Die Dominica prima Nouembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto, hora circiter octaua matutina. Coram Dominis venerabilibus, comparens Dominus Reuerendus Epiſcopus Lingonenſis manu ſuper caput ſancti Mammetis impoſita: ſolemne præſtitit iuramentum vt ſequitur.

Nos SEBASTIANVS ZAMET miſeratione diuina Epiſcopus & Dux Lingonenſis, & Par Franciæ, iuramus primò fidelitatem Eccleſiæ ſancti Mammetis Lingonenſis.

Secundò iuramus nos ſeruaturos conſuetudines & ſtatuta prædictę Eccleſiæ antiqua, & noua approbata.

Tertiò iuramus nos defenſuros terram Capituli, etiam

manu armata, * *si necesse fuerit, nec aliquid per nos seu suffraganeos nostros, quod in præiudicium bonorum & iurium ipsius Capituli vergat facturos*, (& c. quæ vsque ad septimum postremumque articulum, nihil ad præsentem attinent quæstionem.)

Vltimo iuramus quod eosdem Dominos Decanum, Capitulum & Canonicos dictæ Ecclesiæ, in suis iuribus, franchisiis, libertatibus, iurisdictionibus, exemptionibus, * *priuilegiis antiquis conseruabimus, manutenebimus, defendemus, ac pro posse nostro conseruari, manuteneri & defendi curabimus, atque ita iuramus & promittimus.*

Insuper, me supradicta iuramenta iteraturum, ceremonias etiam & ea omnia, quę in solemni Episcoporum receptione assueta sunt, pleniùs impleturum, post bellorum incendia quibus hodie tota vexatur Gallia, dum primum commodiùs fieri poterit, Deo optimo maximo auxiliante, promitto. In quorum fidem hîc propria manu subscripsi, die 1. Nouemb. anno millesimo sexcentesimo decimo quinto. Sic signatum: SEBASTIANVS ZAMET EPISCOPVS DVX LINGONENSIS.

* An arma tractare possit Episcopus, propria dissertatione expendit Claud. Espencæus Theol. Paris. lib. 2. digress. in 1. ad Timoth. c. 6. cuius inscriptio est. *De Clerico milite, siue bellatore.*

* Ecclesia siquidem Lingonensis est exempta: cuius Capitulum immediate à Romana Ecclesia pendet. Videtur S. Bernardus, tametsi exemptiones parum gratas habuerit, huius fuisse nihilominus immunitatis auctorem. Scribens enim pro Ecclesia Lingonensi, varijs motibus iactata, ex dissidio in electione Episcopi suborto, ad Innocentium 2. Pontificem maximum, sic sanctitati eius Archidiaconum Lingonensem, ac Bonumamicum eiusdem Ecclesiæ Presbyterum seu Canonicum, commendat *vt ipsos & res eorum*, sub Sedis Apostolicæ patrocinio recipi deprecetur, epist. 169. Cuius votis sic annuisse Pontificem credere est, ob eximium suum in sanctum virum amorem, vt hos Apostolica benignitate complexus, sua sub tutela non solùm receperit, sed & Ecclesiam ipsam, cuius negotium apud Sedem Apostolicam procurabant Pontificiæ opitulationis beneficio communiuerit. Hinc qui subsecuti sunt Pôtifices patrocinij specialis non modò priuilegium confirmarunt, sed & plenam ab Episcopi iugo libertatem Capitulo concesserunt. Cui etiam Præbendarum conferendarum ius antiquum, sacris rescriptis asseruêre. Antistites Summorum Pontificum placita, qua dignum erat obseruantia habuerunt, piaque inuicem æmulatione, ipsa Capituli priuilegia propriis quique gratificationibus adauxerunt, potioraque in dies cathedraticis sodalibus impenderunt beneficia. Cuius rei cùm exemplis obruamur, marginisque huius angustia coarctemur, necesse est annotamenta specialia prætermittere. Est tamen quòd hic excidere non patiamur, insignem ex præcitata S. Bernardi epistola obseruationem. Solitos nimirum fuisse tunc Episcopos Lingonenses Ecclesiæ possessiones defendere. *Ausus sum* (inquit ibidem) *retinere Clericos Lingonenses, &c. erat autem pernecessarium eos hac vice remanere propter terras & possessiones Ecclesiæ, quæ data sunt prædæ & direptioni, dum non est qui custodiat & defendat.* Orbata enim tunc erat Ecclesia Præsule, cui id muneris incumbebat.

Ex qua Episcopalis sponsionis syngrapha actorumque initæ possessionis prælibatorum serie omnino

perspicuum sit, Reuerendiss. Dominum Antistitem non semel præstiti cum Ecclesiæ & Vrbi, tum Clero & populo, de sacris ac ciuilibus seruandis priuilegiis, iurisiurandi constringi nexibus, atque his prorsùs ab ea intentione, & conatu quem nunc vrget instantius promouendis vndequáque præpediri. Stantibus etenim sacris his pollicitationibus, nihil eorum potest quæ nunc contendit expetere vel aggredi. Nam è diametro repugnant omnia eiusmodi promissa, recens susceptis consiliis & moliminibus. Siquidem præcipua vrbis Lingonensis iura & priuilegia, quæ sanctè iurauit Episcopus integra astruere & tutari hæc sunt. 1°. Vt in vniuersa diœcesi Episcopalis sit ciuitas, hôcque honore quo præcipuè pollet nunquam exuatur: vtque status eius spiritualis & terrenus sit prorsùs incommutabilis, quem nec Episcopus concutere, nec Rex ipse, (vt ex diplomate liquet munifico Ludouici VII.) mutare aut distrahere possit, cùm flosculum hunc immarcessibilem, liligero diademati (nunquam decerpendum) inseruerit ipsa Maiestas Christianissima. * Igitur Episcopus suis conatibus efficere nequit, vt ipsum decus Episcopale vrbs illa amittat, hocque quo potissimum floret ornamento, fulciturque ac fouetur præsidio, in toto vel parte destituatur. Secundò Ecclesiasticæ Curiæ Sedem iudiciariam piè ac religiosè promisit nunquam se in toto vel parte distractum, vel aliò traductum ire. Multominus igitur potest aut debet Sedem ipsam Episcopalem, quæ Curiæ Ecclesiasticæ centrum & basis est, proprio è solo euellere, aut detruncare & partim transferre dissectam. Tertio, fidelitas quam debet vir vxori hoc exigit, vt vnicè eam vir ip-

* Leo M. ad Leon. Aug. epist. 75. c. 3. *Regiam potestatem non modo ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, diuinitus Principi docet esse collatam: vt ausus noxios comprimat, quæ bene statuta sunt defendat, & veram pacem his quæ turbata sunt restituat:* idcirco Episcopi duarum Prouinciarum Remensis & Rothomag. sic Ludouicũ Regem, vt officij hac in re memor esset piè adhortabantur. *Sicut Dominus sub potestate constitutos, ex tentatorum tentatione docuit reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo: ita & vos qui sub Deo estis, & super homines estis, reddite quæ sunt Dei Deo: quæ subditorum sunt subditis reddite. Reddite Deo puram & immaculatam fidem & sincerissimum cultum in Sacerdotibus, in Ecclesiarũ priuilegiis, in sacris locis, in Ecclesiasticis & religiosis, viris ac fœminis, in defensione Ecclesiæ & Christianitatis, in æquitate & iustitia populi Christiani, in subleuatione & tranquillitate & consolatione omnium indigentium: Reddite illi quotidianum pensum in*

se diligat, ac complectatur, atque indiuisibiliter eidem adhæreat. Cùm igitur speciali iureiurando Lingonensis Episcopus Ecclesiæ suæ fidelitatem sponderit, ipsi non licet eam deserere, vel aliam secundariam sibi copulando, prouehere ad Episcopalis honoris consortium: illiusue nobilissimæ coniugis cui primùm fide deuinctus est, hierarchicæ efferre dignitatis paritatem. Decernunt Pontificiæ constitutiones eum qui fidelitatem iurat, illi cui eam debet consilium & auxilium præstare teneri: *can. de forma* 22. *qu.* 5. tantùm igitur abest vt Episcopus Lingonensis iustè valeat Ecclesiæ suæ statum imminuere, & eius in aliam prærogatiuas transcribere: quin potius ipso spiritualis coniugij nexu ac officio debet, fideique præstitæ Sacramento obstringitur, aduersus eos qui hæc aggrediuntur strenuè insurgere, *Omnem*, vt aiunt, *contra lapidem mouendo*, & totis nisibus obsistendo, ne quam incutiant Ecclesiæ suæ iniuriam vel iacturam. Canonica enim iubet prætexata auctoritas, eum qui fidelitatem professus est, incolumitatem illius cui eam deuouit, debere sedulò procurare ac astruere. Ideóque Lingonensis Episcopus Ecclesiæ S. Mammetis Cathedraticæ, cui hoc vinculo sese deuinxit, decrementum & scissuram cohibere tenetur, omnique studio & opera procurare perennem ac perfectam eius incolumitatem. Quartò Ecclesiæ Lingonensis consuetudo præcipua hæc est, vt sola in terminatione hierarchica præsideat, solio sacri principatus vnico eniteat, matris honore sola inter cæteras perfruatur, vnicaque coniux vni viro iuncta permaneat. Cùm igitur Episcopus consuetudines Ecclesiæ suæ diuina sub inuocatione* se pollicitus sit seruatu-

quotidiana oratione, in iustis & assiduis eleemosynis: offerte illi deuotionem vestram in sacris oblationibus & lachrymis, &c. Reddite subditis iudicium cum misericordia, iustitiam cum æquitate, studete exaltare humiles & Deum timentes, & debellare ac humiliare superbos: studete à bonis plus diligi quam timeri, &c. Similia suggerit Hincmarus Remens. epist. 2. ad Carolum Crassum c 5 ex dictis S. Cypriani, seu cuiusuis sub eius nomine auctoris libelli de 12. abusionibus sæculi c 9. Porrò eiusd. epist. in limine primarium ostendit esse Christianissimi Regis officium, *Ecclesiasticam libertatem vindicare, dignitatem ampliare, priuilegia spiritu Dei condita, & totius mundi reuerentia consecrata seruare & tueri.*

* Iurans dicitur vocare Deum in testem super eo de quo iurat, c. *quantumlibet*, dist. 47.

rum, hanc vtique debet potiſſimum colere, è qua pendet, non tantum omnis huius Eccleſiæ dignitas & gloria, ſed & cui omnis ſacri eius imperij vis ac ſubſiſtentia inſita eſt. Præterea cùm Eccleſiæ eiuſdem iurauerit conſtitutiones antiquas & nouas approbatas fixas tenere & cuſtodire illibatas: neceſſe eſt imprimis, hanc quæ anteceſſorum Epiſcoporum auctoritate edita, & ſpeciali cuiuſque eorum Sacramento firmata eſt, illum reuereri ac illæſam aſſerere, qua nimirum diſertè ac diſtrictè cautum eſt, ſtatum vrbis aut Eccleſiæ tantillum ab Epiſcopo immutari, iuraque ac priuilegia ſacra vel politica vllatenus conuelli vel diminui: plura autem tribunalia Eccleſiaſtica hac in diœceſi inſtitui vel permitti, ſeu illud vnicũ quod in Epiſcopalis vrbis meditulio & Matricis Eccleſiæ conſiſtit ſacrario, alibi vnquam traduci conſtat prorsùs eſſe vetitum. Approbata verò eſt eiuſmodi inhibitoria conſtitutio, vetuſtiſſimo vſu, publicæ rei ſtatu, Epiſcoporum longa ſerie ſuccedentium conſenſu, Antiſtitis meritorum laude clariſſimi ſpeciali ſanctione, * Apoſtolicæ Sedis oraculo, decreto, ſolemnique & religioſa ipſius moderni Præſulis ſponſione ac ſtipulatione. Quintò territorium Capituli, Senatus ſcilicet Sacerdotalis temporale dominium, obſtrictus eſt Sacramento Epiſcopus protegere, quin & id *manu armata defenſare* promiſit. Potiori itaque ratione aſtringitur, ſacrum Eccleſiæ principatum Pontificio vigore aſſerere, iuſque & titulum Epiſcopatus conſeruare indiuiduum ac intemeratum. Enimuero ipſo ex Paſtorali officio illi competit, diuinus vti docet Ignatius, *locum cui præpoſitus eſt cuſtodire*, ac *incorruptam*, quam tutelæ eius diuina pietas concredidit, *ſeruare*

* Succeſſor eadem perſona cenſetur cum eo cui ſucceſſit, *gloſ. in §. reſeratio in proem Decretal.* Eodemque iure fruitur quo prædeceſſor, *gloſ. 1. in regul. is qui in ius inter regul. Iuris l. 6.* At ſicut ſuccedit in honore, ſic etiã in onere *gloſ. 1. in regul. rationi, quæ 77 eſt eod lib.* Vnde & tenetur ad id quod prædeceſſor facere aut ſoluere conſueuit cap. 1. de ſolutionib & *cap. ex parte 18. de Cenſib.* Ideóque debet anteceſſorum veſtigiis inhærendo, *Clem Romani §. porrò de iureiurando.* facta eorum adimplere, *gloſ. fin. in cap. literis 33. de reſcriptis: & gloſ. debemus in proem. Clement.* Tenetur que ad ſeruanda pacta licitè à deceſſore vel prædeceſſoribus inita, *gloſ Anteceſſoribus in cap fi. de pactis lib 6* *Cui concinit can non eſt facile d. 40. & c. Adrianus diſt 63.* Quamobrem aſtringitur Præſul ſtare contractui qui à prædeceſſore pro Eccleſię vtilitate initus eſt, *gloſ 2 in c. fin. de Simonia.* Rectè igitur monet Antiſtitem Iuo Carnotenſis epiſt. 60. Anteceſſorum ſic memoriam colere, vt nihil magis curet & conten-

dat *quam* ipsorum *sequi ac honorare vestigia*; ea porrò omni studio & reuerentia obseruare, *quæ antiquitas sancit; consuetudo seruauit & venerabilium Patrum sacra firmauit auctoritas.*

* Ezech. 46 18.

* Nota S. Hieronymum in hunc locum per principem populi intelligere Prælatum Ecclesiæ.

* *Hereditas eius filiorum suorum erit: possidebunt eam hereditarie*, ibid. ℣. 16.

Patrum, hoc est antecessorum suorum, ***hæreditatem.*** Episcopus enim deuinctæ sibi Ecclesiæ non modò sponsus est; sed & Angelus, visibilísque tutelaris, qui vigili solicitudine ac præstanti virtute, eam eiusque iura debet protegere; tantùm abest, vt ipse illius patrimonium vllo possit modo distrahere, aut pro hibitu suo dispertiri. Lex enim diuina est, * ore Prophetæ promulgata. *Non accipiet Princeps* de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum*: sed (si quem beneficiis prouehere voluerit, filiis vtique * non seruis, nec extraneis, quod largiturus est erogabit, adeoque non ex fundo publico, sed suo è patrimonio quicquid ex priuato affectu cuipiam donaturus est:) *de possessione sua*, ait Dominus, hereditatem *dabit filijs suis, vt non dispergatur populus meus, vnusquisque à possessione sua.* Cui cælesti placito alterum illud consonat, quo, viro duas vxores habenti, dilectæ filium, primogenito, quem ex odiosa suscepit præferre prohibitum est: sed prærogatiuam hæreditatis, iubetur illi propriam conseruare, *Si habuerit homo duas vxores, vnam dilectam & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, non poterit filium dilectæ facere primogenitum & præferre filio odiosæ: sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia, ille est enim principium liberorum eius, & ei debentur primogenita,* Deuteron. 21. 15. &c. Qua ex diuina constitutione sensu mystico elicitur non posse Episcopum indulgentem nimiùm affectibus, Matricis Ecclesiæ suæ Cleri, qui filius suus primogenitus est, patrimonium honoremque in alterius quam superinduxerit Clerum transcribere: sed quamquam potiori amore in posteriorem feratur, prioris tamen coniugis liberis, ius prærogatiuam

tiuæ ex primogenitura debitum, seruare teneri illibatum. Nempe, vt *qui priores sunt in donis, maiores* semper *sint in imperio*. Genes. 49. 3.

DENIQVE Reuerendiss. Episcopus Lingonensis iura, immunitates & priuilegia Decani & Capituli sua sub tutela suscepit, eaque dato sacramento promisit syncerè ac strenuè defendere. Atqui eorum præcipua hæc sunt vt vnicæ (cuius obsequiis addicti sunt ipsi Canonici) Matricis Ecclesiæ soli sint alumni, Cleri totius Primicerij, vnici Senatus Ecclesiastici proceres, necnon Sacerdotes principaliores, primi gradus liberi; cùm membra sint capiti proxima, ideoque magis spectabilia, in quibus potissimùm attendenda est sublimitas Ecclesiæ, cuius & grauiora negotia cum Episcopo debent curare & iura defensare; *onera sustinere, demortuóque Episcopo, Pastorali susceptâ solicitudine, vniuersum gregem fouere; auctoritatéque Pontificia, qua tunc defunguntur, Clerum vniuersum in officio, populum in obsequio continere; pietatem colere, Iustitiam ministrare, statum denique, ordinem ac disciplinam Ecclesiarum Diœcesis sustentare, astruere & tutari. Ast verò Sedê Episcopali dissectâ, perinde ac si translata esset, his omnibus prærogatiuis non modò Cathedratici Lingonenses exuentur: verùmetiam iuribus ac muneribus quæ Episcopo vel viuo ad ipsos pertinent, vel defuncto ad eosdem deuoluuntur, penitùs decident ac destituentur, aut certè, nonnisi acri cum æmulis inito conflictu, poterunt vel horum sibi exilem portionem vindicare. Proindéque inficiari non debet Reuerendiss. Episcopus hoc nouo conatu Capituli & Ecclesiæ suæ iacturam iniuriamque grauissimam se inferre,

* Id si pro virili non præstiterint, Leonis Magni decreto, sacris liminibus arcentur, ipsoque ordinis honore priuantur. Sic enim rescribit sanctus Pontifex epist. 104. ad vniuersos Episcopos per Siciliam constitutos. *Sine exceptione decernimus vt ne quis Episcopus de Ecclesia sua rebus audeat quicquam donare, vel commutare vel vendere: nisi fortè ita aliquid horum faciat vt meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atq; consensu id eligat, quod non sit Ecclesia dubium profuturũ. Nam Presbyteri vel Diaconi, aut cuiuscunque ordinis Clerici* QVI CONNI-


quam ſi de facto incutiat non abs re poſteris videbitur ipſius vrbis, cuius ſolemni adeò, multiplicíque fidei oppigneratione, incolumitatem ſeruare iurauit, ruinam ac deſolationem affectaſſe; quin & pacta cum Eccleſia ſua tanta religione inita, non modo contrariis niſibus reſcidiſſe, ſed & ſolemniter præſtita irritaſſe ac temeraſſe, (quod piaculum, nunquam tantæ pietatis Præſulem credere eſt admiſſurum:) de promiſſorum obſeruatione inuiolabili, Sacramenta.

VENTIAM IN ECCLESIÆ DAMNA MISCVERINT, ſciant ſe & ordine & communione priuãdos, quia plenum eſt Iuſtitiæ fratres chariſſimi, vt non ſolum Epiſcopi, ſed etiam TOTIVS CLERI STVDIO, ECCLESIASTICÆ VTILITATIS incrementa ſeruentur, &c.



CAVSA NONA.

IVRISIVRANDI EPISCOPALIS ſanctitas & religio.



INTER diuini cultus officia, iuſiurandum non infimum locum tenere, veteres Sapientes docuerunt. Quamobrem primi Chriſtiani, per genios Cæſarum, (vt teſtis eſt Tertullianus,*) iurare interpellati recuſabant, ne diuinos honores, iis, quæ obteſtari iubebantur, fictitiis numinibus tribuiſſe viderentur. Et rectè quidem, cùm doceat Philoſophus *iuſiurandum nihil aliud eſſe quàm dictionem probationis expertem, cum veneratione* * *diuinitatis*, in Rhet. ad Alex. c. 17. Id idcirco Theologorum Coryphæus, ad religionem refert, actumque eſſe inſinuat latriæ, 2. 2. qu. 89. a. 4. Verùm in ſacris oraculis, non ſolùm proditur eſſe diuini cultus ſpecies, ſed & pro adoratione ipſa, totoque diuino cultu ſumitur Eſa. 19. 18. Ierem.

* In Apolog. c. 32.

* Iurando per Deum, ipſum Deũ confitemur, gloſ. 2. in can. non iurabunt 22. qu. 1. Vide & can. quantumlibet diſt. 47.

5. 7.

5.7.12.16. Soph. 1.5. Ideòque inuiolabile perhibetur, quod sine pietatis deliquio, & graui diuinæ Majestatis offensione, (summo vt absque eiusdem contemptu) temerari non possit. Sapienter propterea monet synceros Dei veri cultores, Eusebius qui dicitur Emissenus, sanctè non modò iuramentum exercere: sed morum probitatem, inito iureiurando firmiorem ostendere, quoniam Dei obtestatio, summæ religionis ac Iustitiæ professio est. Verùmtamen res etsi sacrosancta sit iusiurandum, strictæ adeò non est obseruationis, vt quod eius interpositione obfirmatum est, nunquam posit sine reatu prætermitti: cùm maiori pietate aliquando temeretur, quàm iustitiâ impleatur. *Video Dauid pium hominem & sanctum* (inquit B. Augustinus) *in iurationem temerariam incidisse, & maluisse non facere quod iurauerat, quàm iurationem suam hominis fuso sanguine adimplere.* Cui exemplo sacris in Canonibus probato, 2. 2. qu. 4. c. *quod Dauid*, ipsæ Ecclesiasticæ astipulantur sanctiones, quibus declaratur *iuramentum non fuisse inuentum, vt iniquitatis esset vinculum: ipso iure siquidem decernitur non tenere, si quidquam contineat quod impium vel aliàs illicitum est*, can. *si publicis*, & 16. glos. 1. 22. qu. 4. & glos. fin. in c. dilect. de Cler. non resid. & glos. in c. 3. *de appellat.* & glos. 3. in c. *querelam* 10. *de iureiur. & glos. oculos*, in c. *quemad.* eod. tit. Duplex verò cùm sit iusiurandum *assertorium* scilicet *& promissorium*, vt docet S. Thomas loco citato; sacri Iurisperiti hoc inter vtrumque discrimen esse volunt, quod in assertorio nullæ conditiones subintelligantur, sed nudè & simpliciter exhibeatur, nam qui fert testimonium, rei, quam, sub Dei obtestatione, affirmat ex propria scientia, debet esse certis-

Hom. de iureiur.

Serm. in Decoll. S. Ioan. Baptist. 116. inter nouos.

ſimus: aliàs periurij incurrit reatum. Porrò in promiſſorio hæc limitatio ipſo iure apponitur: modò conditiones ſint poſsibiles & honeſtæ, & immoderatum non ſit, quicquid ei qui iurat, fuerit ab exigente præſcriptum, gloſ. 2. in c. *quemad.* præcit. Ideóque *iurans conſuetudinem, non tenetur ad illicita vel impoßibilia*, gloſ. fin. in c. 1. de iureiur. & c. 1 *de his quæ fiunt à maiori parte Cap.* necnon. c. ad aud. *de ſponſalibus.* Quin Venerabilis Bedæ ſententia eſt, ſi quem aliquid fortè incautiùs iuraſſe contigerit, quod obſeruatum in peiorem vergat exitum, liberè illud ſalubriori conſilio mutari poſſe ac debere. Verùm in caſu qui vertitur, nulla eiuſmodi occurrit ratio, vel exceptio, qua irritum reddatur quod Sacramenti auctoritate confirmatum eſt promiſſum. Nec enim cauſari poteſt Reuerendiſſ. Epiſcopus Lingonenſis ſe fraude Cleri aut populi circumuentum fuiſſe, vt eiuſmodi iureiurando ſeſe inconſultè obſtringeret. Siquidem præter id quod ſtatuit Apoſtolus, *Epiſcopum Neophytum* * *eſſe non debere.* (Vnde de Canonum ignorantia, vel malè actorum imprudentia, qui totus oculus eſſe debet, Præſul, in Pontificiis decretis non ** excuſatur.) Sanè nihil ſub iuramento pollicitus eſt, quod non iurare debuerit & obſeruare teneatur. Hæc certè lex a Deo poſita eſt, vt nemo niſi cum legitimis circumſtantiis ea quæ facere promittit Sacramento obfirmet. *Et iurabis, ait Dominus, in veritate & iudicio & iuſtitia.* * Qua ex cæleſti regula rectè dixit S. Thomas tria iuramenti genera proſcribi. * *Incautum*, (quod vocat) *mendax*, & *illicitum*: nam *incautum* caret iudicio; *mendax* veritate; *illicitum* autem ſeu *iniquum*, iuſtitiâ. Porrò ad iudicium quòd attinet, ſi cui inconſideratè ac temerè iurare

Hom. 43. tom. 7.

* 1. Timoth 3. 6. cuius vocis energiam elicies ex dictis S. Hieron. ep. ad Ocean. S. Greg. epiſt. 50. lib. 4. Iſidori Etymolog. lib. 7. c. 14. & lib. 2. de ſummo bono. Ioan. Diac. lib. 3. vitæ S. Greg. c 1. & 2.

** Diſt. 38. c *Ignorantia*, & c. *ſi in Laicis*, ac c. *Nulli*, necnon c. *Omnes*, ibid.

* Ierem. 4. 2.

* 2. 2. qu. 89. a. 1.

prohibetur, maximè Episcopo id liquet esse ipsa diuina lege vetitum. Cùm enim Deus summo Sacerdoti Leuitico olim varia ornamenta dignitatis insignia ac virtutum symbola & monimenta attribuisset, præcipuísque corporis partibus adaptasset, collo videlicet torquem obedientiæ, auribus fidei inaures, cordi pectorale charitatis, renibus & lumbis cingulum castitatis, capiti soli sacrum nomen suum aurea in lamina exaratum imposuit; *Cùm* (vt notat sanctus Hieronymus*) *totam Pontificis pulchritudinem*, sacrosancta hæc inscriptio *coronaret & protegeret*; tùm vt (quia in capite vigent sensus) Pontifex intelligeret, quanto cum iudicio & maturitate diuinum ab ipso nomen esset, verbum obfirmando, assumendum; à quo & nonnisi summo cum honore & reuerentia semel in anno publicè proferendum erat. Ast verò Reuerendiss. Episcopus Lingonensis nonnisi maturè & reuerenter Dei obtestatione vsus est, in his quæ siue Clero suo siue populo vrbem ineundo spopondit. Nam præterquàm quod singularis quâ viget prudentia, illum quicquam inconsideratè agere non permittit: hac in re summa circumspectione perfunctus est. Etenim non repentè, quæ exigi solent à Præsule, Episcopatum auspicante, se obstrinxit iureiurando seruaturum: sed primùm per procuratorem possessionem capessentem perdidicit, quid sacram exordiendo præfecturam fide datâ ciuibus promittere teneretur: tùm verò re bene intellectâ, atque etiam cùm personalem possessionem adeptus est semel & iterum pensitatâ, cùm nihil nisi quod ex probato more peti consueuerat, ciues à se deposcere deprehendisset, vestigia antecessorum insecutus, quorum

* Epist. 128. paulò post med. ad Fabiolam de vestitu Sacerdotum, tom. 3.

tramiti non poterat temerè inhærere; * ea quæ illi præstitâ fide iurauerant, rata se habere professus est, & quæ religiosè seruauerant sanctè se etiam promisit præstiturum. Si igitur id verum sit, quod docet Philo, de diuinæ legis differens præceptis: iurantem debere omnes rei circunstantias prospicere, quanta sit, quàm vera, quàm benè à se percepta, nemo est qui incautæ sponsionis Dominum Episcopum Lingonensem insimulare possit: cùm diù & accuratè perpenderit singula, quæ Lingonensi Clero ac populo, disertè ac distinctè scripto, voce rituque sacrosancto se illis præstiturum pollicitus est. Ad veritatem verò quod spectat, ingens equidem esset piaculum suspicari illam iuramento, quod edidit pius ille Antistes defuisse: cuius religio omnibus explorata, fucatæ intentionis vel falsæ promissionis noxâ illum facilè eximit. Docet S. Hieronymus Episcopum pœnæ non supponi, quia nefas est illum putare peccatorem, qui omnis sanctitatis typum & ministerium gerit. Hic verò sanctitatis titulum non modò præfert, sed spiritum etiam gloriosis actibus exerit, quorum fulgore redditur omnis fuci & deceptionis expers. Portabat priscus Pontifex doctrinam & veritatem Rationali iudicij inscriptam, quando ingrediebatur coram Domino Exod. 28. 30. Quo ornamento non putandum est Euangelicum illum Antistitem, alijs virtutum Pontificiarum gemmis * in sanctuario Ecclesiæ coruscantem etiam cùm iniret Episcopatum caruisse, vt quæ ore, Deo teste, promitteret, corde detrectaret adimplere: doctrina sanè quâ plurimùm præstat ac eminet, pietati quàm impensè colit sociata, veritatem non sinit abs suo consortio abesse, sed indiui-

* Quisquis Præsul bonos decessores habuit, intrepidè eorum vestigia sequi debet: nec enim sanctior aut sapientior Elia Propheta esse potest, pia cuius vox erat: *Melior non sum quàm Patres mei*, 3. Reg. 19. 4. Quem locum S. Bernardus in monitis ad Eugenium sic inculcat, vt inferat, sat ipsi esse, si antecessorum rectos consectetur incessus, piasque exempla ac instituta eorumdem eo studio æmuletur quoad eam quam eximiis factis promeriti sunt laudem, ipse tandem possit peruenire.

* Gemmæ in ornatu Pontificis sunt virtutes c *contra morem* d. 100. Pulchrè S. Hieron. in epist. ad Fabiolam de veste Sacerdot. vbi de Rationali veteris Põtificis. *Hos lapides*, inquit, *in diademate Principis Tyri, & in Apocalypsi Ioannis legimus, de quibus extruitur cælestis Hierusalem; & sub horum nominibus & specie, virtutum vel ordo vel diuersitas indicatur* Nota gemmas spectare ad Pontificalis dignitatis peculiare indicium. Quamquàm enim Episcopalia insignia

duam ſupponit ac prodit comitem. Cùmque ſerpentis prudentiâ polleat, quam Chriſtus peculiari monimento ſuis commendauit diſcipulis, columbæ quoque non dubium eſt colere ſimplicitatem cordique inſitam, imò præcordiis infixam vbique & ſemper perferre. Docet ipſe Dominus os ex cordis abundantia loqui. Verba autem quibus mentem aperuit ſuam Reuerendiſſ. Epiſcopus vrbem ingrediendo Lingonenſem, perſpicuè omninò produnt, quàm verè & ſincerè ſpoponderit, quæ de more rogatus eſt, ſub ſacramento polliceri. Cùm eò ſe accedere proteſtatus ſit, cor proferendo manibus, vt Clero ac populo id integrum donaret, ſuos, hoc eſt, omnes affectus, in eos transfunderet, apud quos, vti ſubiunxit, viuere ſtatuerat extremáque cupiebat operiri. Quis igitur his promicantibus ac erumpentibus ex ore ſcintillis, ardentem ignem amoris hunc Præſulem non geſſiſſe dicet in pectore? cùm nonniſi pio feruore ſuccenſus in Clerum & populum ſibi creditum, tantæ in eos propenſionis indicia expromere, quibus & cor ſuum contradere, & vitam ac mortem deuouere ſuam, tam magnifica profeſſione obteſtatus eſt? Tunc igitur nihil aliud in mente credere eſt habuiſſe, quàm quod voce aſſeruit & promiſit, iureiurando confirmauit, intimi amoris propalatione obſignauit. Quapropter nemo cùm debeat exiſtimare ſponſioni ſic ab Reuerendiſſimò Præſule editæ veritatem defuiſſe, nullus eſt qui itidem valeat ſic præſtitum ab eo iuramentum defectu iuſtitiæ eludere, prætexendo fuiſſe illicitum. Siquidem lex Canonica eſt, iuramentum ſiue aſſertorium ſiue promiſſorium (vt diſtinguit S. Thomas 2. 2. qu. 89. a. 7. c.) legitimè præ-

Sedes Apoſtolica Abbatibus paſſim conceſſerit, gemmarum tamen ſolis Epiſcopis in ſacro apparatu ornatum reſeruauit. Cùm enim dudum Epiſcopi ægrè ferrent quòd in Eccleſiaſticis Comitiis, Abbates pari fulgentes myſtici cultus ſplendore à ſe non diſtinguerentur: Clemens 4 hanc differentiam interpoſuit, vt in Synodicis conſeſſibus, qui exempti eſſent mitris auriphrigiatis, ſed ſine gemmis laminiſque aureis (quales etiamnum vetuſtis Pontificiis tiaris affixæ cernuntur) argenteiſve vterentur: Qui verò immunitatis priuilegio minimè gauderent ſimplices duntaxat, eaſque albas & planas geſtarent. In alijs verò cœtibus Eccleſiaſticis, vtrique eas perferrent quibus vti Summi Pontifices in munificis reſcriptis permiſiſſent. Conſtitutione edita. Viterbij 19. Kal. Septemb. anno 2. qui Chriſti fuit 1266.

ſtari pro pace, pro fide, pro forma, pro cautela, pro veritate. Burch. lib. 10. c. 21. ex Conc. 1. Matiſcon. c. 8. * Quicquid verò iurare de more compulſus fuit Lingonenſis Antiſtes, ad ſingulos hos caſus palàm eſt referri poſſe. Enimuerò patrios mores legeſque municipales cùm ſeruare promiſit, paci certè cum ciuibus ſuis colendæ proſpexit. Vt verò in re tanti ponderis auctoritas verbis accederet, fidelitatiſque nexum quo ſe deuinctum Eccleſiæ ſuæ profitebatur, inſolubili firmitate communiret, ſe religioſo voto obſtrinxit. Præterea vt formam antiquam ab anteceſſoribus probatam, atque à tot ſæculis laudabiliter & fructuosè receptam, hactenúſque propagatam conſeruaret, ſicque ab omni nouitate oſtenderet ſe abhorrere, promiſſis ſolemne iuſiurandum addidit. Quod ad cautelam etiam exerere debuit, cùm vt omnem facultatem reſiliendi à pactis ſibi adimeret, tùm vt Clero & populo ſecuritatem, quam iuſtè exigebant, præſtaret, & ingereret fiduciam. Denique iurare etiam ipſum oportuit in ſubſidium veritatis, nam cùm verè & ſyncerè ea quæ ex officio debebat promitteret, reſque eiuſmodi eſſet momenti, quæ ſtatum reſpiceret publicum ſacrum & politicum: dictis vt adhiberet fidem, animi ſui proderet candorem, verborum aſtrueret veritatem, ingreſſumque ſuum indicaret pacificum, gratum redderet, fauſtum adprecaretur: obteſtationem numinis piè ac religiosè adhibuit. Hoc etenim pacto, Clero & populo ſuo fide datâ ſeſe obſtringens, ipſum Clerum ac populum, mutuâ ſibi confœderatione deuinxit: ſicque neceſſario & vtili iuramento, ſibi, Eccleſiæ ſuæ & vrbi ac vniuerſæ Diœceſi feliciter opitulatus eſt.

* Hinc Epiſcopi qui iure communi iuramenti debito eximuntur iurant tamen ipſa Canonica aſtricti auctoritate 2. qu. 5. c. Sacramentum, & ibi gloſ. hactenus. Quatuor in caſibus ſcilicet pro recta fide, pro obedientia, pro pace, & pro indemnitate Eccleſiæ, c. *Significaſti* 1. *Decret. tit. 6. de elect. & can. Cùm ciuitatis Syracuſana diſt.* 28. At Presbyteri in ſex caſibus iurare compelluntur: *gloſ. Sacramento. in c. quoties* 1. *qu.* 7. Vbi hæc regula præfigitur.

Hac ſex Presbyterũ faciunt iurare coactum.
Vt ſit recta fides, vt obediat, vt bona fama,
Ne verum pereat, ne res ſacra, vel data damna.

Cùm igitur præstitum ab eo iusiurandum, *Iudicio, Iustitia, & Veritate*, lex vt diuina pręscribit, subnixum sit: ab huius obseruatione non potest vlla ratione resilire. Maximè cùm eo ritu iuramentum illud sancitum sit, vt præter periurij piaculum sine reatu sacrilegij nequeat temerari. Narrat quidem Plutarchus Græcorum hunc olim fuisse morem, vt si quis per Cererem iurare deberet, eius templum adiret & chlamyde indutus facem manu teneret, vt his omnibus admonitus animum excitaret ad considerandum, quanta cum reuerentia illud fieri iuramentum oporteret. Quamuis verò superstitionem Ethnicam constet Christianâ pietate fuisse explosam, ac iurisiurandi mores quos illa inuexerat, diuinis oraculis & Ecclesiasticis legibus extinctos esse: * Tamen & apud Christianos solemnis iurisiurandi recepti sunt ritus, quibus, vt verbis iurantis amplior fides adhiberetur, & maior inesset promissis religio, metusque pacta sancita temerè rescindendi grauior obtestantis animo incuteretur. Et per creaturas quidem simpliciter iurare, vt olim Gentilibus mos fuit, Catholica prohibet auctoritas. * Verùmtamen creaturarum, quæ vel vasa gratiæ sunt, vel organa diuinæ gloriæ, firmando iureiurando, cum relatione ad Deum, cuius opera sunt & instrumenta eximia, solet adminiculum ex Christianæ disciplinæ ritu, religiosè adhiberi. * Apud nonnullos pridem inualuit in probatorio iuramento, vt candentis ferri attactus, sic manus in aquam feruidam vel corporis in frigidam immissio; cuius formulam adhuc extantem legere est in ordine Dumstani Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopi, sed hæc abrogata fuit vulgaris obseruatio, cùm auctoritate Pon-

In Emblemat.

* Matth. 5. 2.2.qu.1.a Clericum, & cap. Et si Christus de iureiurando.

* 2 2.qu.1.c 7.& 8. In Concil. autem Quinisexto can. 94. statutum legimus. *Ne quis Ethnicè iuret*: id est ritu & more Ethnico.

* Glos 1. in can. Considera 22. q.1.

tificia, tùm Regia & Imperatoria lege: vt videre est 2. qu. 5. c. Mennam, & addit. 4. Capitul. §. 81. * Sed aliarum rerum præcipuè sacrarum ritè permissus est vsus. Primò siquidem ex pietatis Christianæ vsu & probata lege iurare licet *per Crucem*, 2.2. qu. 5. Secundò *per Euangelium*, 22. qu. 1. si aliqua. Tertiò *per altare* 22. qu. 1. c. habemus. Quartò *per Ordinem*, 1. qu. 7. c. quoties. Quintò denique per reliquias Sanctorum, vt docet * S. Thomas 2. 2. qu. 89. a. 6. sed cont. & in c. Et solemne quidẽ fuit apud Maiores nostros Crucis contactus in iuramento, præsertim probatorio, vt patet ex Synodo apud Vermeriam c. 17. & testamento Caroli Magni eiusque Capitul. lib. 4. §. 46. Porrò Euangelij applicatio * fuit semper vsitatior in vtriusque iuramenti assertorij vel promissorij exhibitione. Et insigne ea in re exemplum est Leonis III. Pontificis qui à Romanis variis criminationibus impetitus Euangelij solemniter factâ suo capiti impositione suam asseruit innocentiam. Sicut in vita Caroli Magni à Monacho Sangalensi dudum descripta narratum his verbis comperimus. *Illic intemeratus Pater Leo, assumens Euangelium Domini nostri Iesu Christi posuit super caput suum: & in conspectu Caroli eiusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis, in hæc verba iurauit: Sic in die magni iudicij sim particeps Euangelij, sicut immunis sum criminis falsò mihi ab istis obiecti.* Eodem penè ritu se purgauit Pelagius, de quo sic Anastasius Bibliothec. scribit. *Pelagius tenens Euangelia & Crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit populo & plebi quia nullum malum peregisset contra Vigilium.* Eadémque forma Canonicæ purgationis legitur in Francicis Capitularibus, fuisse Apostolicâ au-

ctoritate,

* Consule Iuonem Carnotensem ep. 74. & 252.

* Post Iuonem Carnotens. part. 12. decret c 59.

* Clerici iurantibus sancta Euangelia tangenda porrigebant tempore S. Chrysostomi vt ipse testis est hom. 12. in Matth. c. 5. Tom. 2. At posterioribus sæculis Euangelicos in Sacramenti fulcimẽtũ cõtingendos codices Præsulibus ac proceribus porrigendi munus S. R. E. Protonotariis delatum fuisse, maximè in publicis vniuersalis Ecclesiæ consessibus, obseruare est ex sess. 20. & 35. Concil. Constant. in quo Concilio sess. 40. etiam à Sigismundo Romanorum Rege, & summi Pontificis Electoribus, tactis Cruce & Euangelio iuramentum præstitum est: sic & à Græcorum Legatis in Cõcilio Basiliensi, minimè adhuc schismate conflato, vt

ctoritate, omniúmque Ecclesiæ Procerum assensu & Regio pragmatico præfixa, lib. 5. §. 33. qui inscriptus est *de Sacerdotum purgatione*: * Ast Euangelium non modò Canonicæ purgationis iuramento pridem appositum fuit, sed etiam in Conciliorum medio, ad Ecclesiasticos Proceres interpellandos de veritatis ac pietatis custodia & tutela, reperitur ex prisco more fuisse collocatum: idque in sede præeminenti ac singulari, vt cernere est factitatum in Concilio Ephesino, Niceno 2. & Florentino. Porrò maximè in promissorio iuramento hæc consuetudo, quæ & hactenus viget vbique apud Christianos recepta, obtinuit, vt Euangelium adhiberetur quasi inuiolabile præstitæ fidei firmamentum. Sed in fœderibus sanciendis, pacéque asserenda, religiosus eiusmodi adeò inualuit ritus, vt, quòd & hodie passim vsurpetur superfluum sit eo asserendo, plurimorum seriem exemplorum texere: sat fuerit quod optimè in propositum collimet, id vnum commemorasse, quod Gallicæ historiæ monimentis comperimus proditum. Anno nimirum 1408. 6. Februarij Ludouicum II. Episcopum Lingonensem, postea S. R. E. Cardinalem & Episcopum Portuensem, Euangelij pacis fuisse gerulum, cùm in Ecclesia Carnotensi, Philippus Dynasta Burgundiæ sancitum fœdus & obsequium iurauit Carolo VI. Regi Galliarum Christianiss. Cæterùm non modò per *Euangelij contactum*, diuinæque veritatis in eo reuelatæ obtestationem, * apud Christi cultores passim consueuit iuramentum exhiberi, sed & *per Ordinis honorem*, fidem dictis & promissis astruere Sacerdotibus iam olim concessum fuit. Sic enim à Patribus Concilij Triburensis ex veteri vsu perhibetur defini-

legitur in appendice eiusdem Synodi 3. parte propositionis articulorum C. P. Imperatoris. Nota qui apud veteres Euangelij attactu iusiurandum firmabant solitos antequam sacrum volumen tangerent manus lauare, qua de re illustre exẽplum Maximi Tyranni peierantis narrat S. Ambr. in Psal. 61. Vide & S. Chrysost. hom. 7. ad popul.

* Formula eiusmodi iuramenti ab Iuone Carnotensi describitur epist. 54. ad Hugonem Lugdunẽsem Archiepiscopum Sedis Apostolicæ Legatum directã, ad cuius calcem sic iurasse refert Decanum, Cantorẽ, & Archidiaconum Parisiensis Ecclesiæ post electionẽ Guilelmi Parisiensi Episcopi ex præcepto Vrbani 2. Pontificis. *Non eligimus nobis in Episcopum Guilelmum propter munus acceptum vel propter promissũ ab aliquo: vel gratiã contuberniј quod habebat soror eius cum Rege, vel propter minas nobis illatas à Rege, vel prædicta eius sorore: sic nos Deus adiuuet & hæc sacra Euãgelia.* Idem ep. 44. ad Paschalem 2. Pontificem, Philippum Regem

tum can. 21. * *Laicus per iuramentum se expurget, Presbyter verò*, vice iuramenti, *per sanctam consecrationem interrogetur.* * Ideóque sicut Sacerdotes possunt se obligare *per honorem Ordinis sui*, 1. qu. 7. c. quoties: (quo ex iure mos inualuit, *in verbo Sacerdotis*, vel, *Pontificis*, promissa ab Ecclesiæ ministris, præsertim Pastoribus vel Prælatis maioribus obfirmari:) sic & sub sacri characteris & honoris obtestatione interpellari possunt sanctéque adiurari. Sicut in Concilio Parisiensi ** sub Ludouico Pio actum est. Vbi Episcoporum dignitatê Synodali encomio celebratâ, ipsimet Præsules per Pontificalis honoris & muneris quo præcellunt in Ecclesia maiestatem, dignè vt sacrum officium obeant, omnibúsque fidelibus vti gradu, sic merito præluceant, grauissima obtestatione commonentur. Nec id recenti vsu, nam S. Augustinus testis est, epist. 147. ad Proculcianum *per Episcopalem coronam*, adiuratos suo tempore fuisse de more Antistites, *Honorant nos vestri*, (inquit) *honorant vos nostri. Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adiurant nostri*: quin & per sacrum Episcoporum characterem iurare olim consueuisse quosdam Affricanos Optatus Mileuitanus libro 2. contra Parmenianum commemorat. Vnde liquet maiori ratione fas fuisse Præsulibus, sacri Ordinis auctoritate dictis pactisue fidem interponere. Ast omnibus ex æquo licitum fuit, vbi necessitas id exigeret, & altaris contactu, * & Dominici corporis interpellatione seu adoratione iureiurando robur adijcere. Quo ex ritu S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos ** narrat, delusos fraude Arrianorum in Ariminensi Conciliabulo permultos Ecclesiarum Præsides, cùm re-

Francorum sic iurare scribit fuisse paratum in Concilio Balgenciaci. *Conuenit*, inquit, *etiam Rex & lateralis sua, & secundùm propositum vestrum, tactis sacrosanctis Euangelijs parati fuerunt abiurare*

* In Concilio sexto generali modus ille iurandi sæpissimè reperitur publicè ac iudicialiter obseruatus, Act. præsertim 13. & 14. *Per has scripturas & Deum qui per eas locutus est*, &c. Et tunc tangebantur religiosissimè sacrosancta Dei eloquia.

* Refertur in leges canonicas ab Iuone p. 6. c. 227.

* Vide Concilij Francoford. sub Carolo Magno coacti c. 9. vbi insigne exemplum proditur, de Petro Episcopo se purgâte sine reliquiis, & absque Euangeliis, sed *solummodo coram Deo.*

** Lib. 1. & 3.

* Greg. Turon. lib. 3. hist. Franc. c. 14. *Tunc Aregisilus positis super altare sanctum manibus, iurauit Munderico vt securus egrederetur. Dato igitur Sacramento*, &c

** Inter medium & finem. *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis*

duces haud admitterentur à Clero & populo collegíſque orthodoxis, quòd fidem prodidiſſe cenſerentur; ante altaria procumbentes eum, qui ſupra adoratur teſtem ſuæ innocentiæ aduocaſſe, proteſtantes ſe dolo perfidorum circumuentos in voculas duntaxat impegiſſe, aſt fidei vnitatem ac integritatem conſtanter retinentes, veritatem ipſam hactenus eſſe profeſſos. Sic & Optatus Mileuitanus iam laudatus lib. 6. contra Parmenianum, aduerſus Donatiſtas inuehendo, qui Orthodoxorum altaria diruerant in Affrica, vbi *aram*. *Chriſti Sedem* appellat, itidem inſinuat, ideò aram ſacroſanctam haberi, quòd illi & vota Chriſtianorum ſoleant imponi, & ſuper eam ſalutis victima immolari, atque omnipotentis Dei nomen à pijs inuocari. Quamobrem non mirum ſi per altaris ſanctitatem iurare, Patres religioſum cenſuere, *vnde à multis*, vt ſubnectit ipſemet Optatus, *pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei & ſpes Reſurrectionis* quotidie recipitur. Denique ad Sanctorum ſepulchra & per Sanctorum reliquias * iuſiurandum aſtruere, pactaque etiam earum contactu confirmare, mos in Eccleſia vt receptiſſimus eſt, ſic & antiquiſſimus. Enimuerò multis Epiſtolarum ſuarum locis narrat S. Gregorius, Epiſcopos accuſatione aliqua impetitos, atque ad Sedem Apoſtolicam vti ad matris ſinum confugientes, ſolitos fuiſſe ad corpus Apoſtolorum Principis canonicè ſe purgare, ſuamque innocentiam iuramento profiteri: ſic lib. 2. epiſt. 23. ad Iuſtinum Prætorem ſcribit de Leone Epiſcopo. *Quoniam quædam contra Sacerdotale propoſitum de Leone fratre, & Coepiſcopo noſtro ſiniſter rumor aſperſit, vtrum vera eſſent diſtrictâ diutiùs fecimus inquiſitione perquiri, & nullam in*

irretiti, ſine conſciẽtia hæretici ferebantur, conteſtantes CORPVS DOMINI, *& quicquid in Eccleſia ſanctum eſt ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putauimus*, aiebant, *ſenſum congruere cum verbis, nec in Eccleſia Dei vbi ſimplicitas, vbi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio. Non ſumus arbitrati Sacerdotes Chriſti aduerſus Chriſtũ pugnare. Multaque alia quæ breuitatis ſtudio prætereo flentes aſſerebant, parati & ſubſcriptionem priſtinam & omnes Arrianorum blaſphemias condemnare.* In Cõcilio Meldenſi habito ſub Sergio 2. ſtatutum ſubinde fuiſſe legimus c. 38 *vt nullus deinceps Epiſcopus ſuper ſacra iuret*, ſcilicet myſteria.

* Hinc propria iuramenti præſcripta formula: *Sic me Deus adiuuet & iſta ſanctorum reliquiæ* 35. q. 6. c. Epiſcopus, quam & Carolus Magnus probat lib 6. Capitul. c. 209 *Omne Sacramentum in Eccleſia, & ſupra reliquias iuretur: Et quod in Eccleſia iurandum eſt, vel cum 6. electis, vel ſi 12.*

eo de his quæ dicta fuerant culpam inuenimus: sed ne quid videretur omissum, quod nostro potuisset dubium cordi remanere, ad Beati Petri sacratissimum corpus, districta eum ex abundanti fecimus Sacramenta præbere. Idem verò prodit lib. 11. epist. 8. ad Brunichildem Reginam, de Menna Episcopo simili ritu expurgato. Synodum autem ipsemet sanctiss. Pontifex Romæ à se indictam, ad sancti Petri sepulchrum ideò voluit celebrari, vt loci non modò maiestate cœtus esset insignior, sed vt Sancti corporis præsentia quæ ibi à se decernerentur ipsius Summi Apostoli successore statuta, ampliùs obfirmarentur, atque à sacris Proceribus qui interfuerant & subscripserant, maiori reuerentia & obseruantia haberentur, quasi ipso Apostoli primarij digito, (sicut sextæ Synodi Oecumenicæ Patres, Agathonis Papæ decretis subscribentes adueneratione multâ professi sunt, Act. 8.) exarata & consignata. Porrò non modò Romæ morem incessisse, vt ad Sancti tutelaris tumulum, res magni momenti transigerentur, * manusque super sacra eius λείψανα appositione, acta vel dicta, solemni vti religiosæ asseuerationis ceremonia, stabilirentur: verùmetiam & alibi passim eadem recepta dudum fuit consuetudo. Nam Hieronymus Rubeus in Historia Rauenatensi, variis exemplis insinuat Sedis illius Metropolitas omnia grauis ponderis negotia, maximè autem acta iurisdictionis Metropolicæ, ad corpus S. Apollinaris solitos fuisse priscis sæculis indicere ac exequi. Ex quo more scribit etiam S. Gregorius ad Marinianum Ecclesiæ eiusdem Antistitem, vt admittat ad purgationem Canonicam Maximum Salonitanum (aliàs Spalatensem) Episcopum, si innocentiam ipse velit

esse debent, quales potuerit inuenire: sic illum Deus adiuuet & illi sancti quorum ista reliquia sunt vt veritatem dicat. Lib. autem 1. c. 69. trini ritus iurandi in Ecclesia meminit. *Ideò omninò admonendi sunt homines vt caueant periurium, non solùm in sancto Euangelio, vel in altari, seu in Sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela.* Astipulatur Capitulare Aquisgran. eiusdem Regis tit. 63.

* Ita fecit Leo IX. in Concilio Remensi, sic etiam legimus Act. 1. *Dominus quidem Papa verso vultu ad sepulchrum B. Remigij resedit, &c.*

ex laudato ritu profiteri, præſtito Sacramento ante corpus S. Apollinaris lib. 7. epiſt. 79. & eodem libro epiſt. 80. mandat Caſtorio S.R.E. Notario* & Apocryſiario, vt pœnitentem prædictum Maximum, ſecreto Epiſtolio, quod ipſi committit, conſoletur. Aſt verò Præſulem hactenus Apoſtolicæ Sedi immorigerum, Canonicæ ſubiectionis, vt nexu arctiori deuinciat, eidem Caſtorio iubet, vt ante corpus prælibati Martyris, conſtantis obedientiæ ab ipſomet eliciat ſponſionem. In Gallia autem per Sanctorum reliquias iuramentum olim exeri ſolitum, Concilium prodit Meldenſe can. 38. vbi eos qui Martyres alioſque Cælites ** peierare non exhorruerant, diuina vltione eâque ſtupenda paſſim coercitos,* Patres referunt deplorantque: vti & antea feciſſe legitur Gregorius Turonenſis de gloria Martyrum, c. 20. 33. 39. 53. qui & lib. 4. c. 46. lib. 5. c. 32. lib. 8. c. 6. hiſtoriæ Francorum, & libri de gloria Confeſſorum c. 39. ſolemnem hunc aſſeuerandæ fidei firmandæque promiſſionis ritum, paſſim in Gallia inualuiſſe prodit, vt per Sanctorum tutelarium cuiuſque loci obteſtationem eorúmque ſepulchri, vel reliquiarum contactum, aut ſimplicem verſus eorum Baſilicas manus eleuationem, reatuum purgationes elicerentur, controuerſiæ ſopirentur & fœdera ſancirentur. Sic verò vſu potiſſimùm admiſſum fuiſſe oſtendit & Turonibus ad corpus S. Martini, & Pictauis ad Sancti Hilarij ibi quieſcentis, tumulum. Porrò apud Lingones eodem more à multis retrò ſæculis vſurpatum eſt, vt ſuper S. Mamantis inclyti Martyris vrbis ipſius ac Matricis Eccleſiæ tutelaris ſacroſanctum caput (quod Conſtantinopoli Lingonas anno Chriſti 1209.

* Hoc eſt, vt modernus fert vſus, *Protonotario.* De cuius dignitatis inſtitutione, & munere; titulis, iuribus, prærogatiuis, à Sede Apoſtolica cùm numerariis, tùm honorariis Protonotariis, per diplomata munifica plurima attributis tractat ex profeſſo Nicolaus de Rebbe Canonicus Inſulenſis in Flandria, toto lib. 2. de dignitatibus & officiis Eccleſiaſticis, Duaci edito apud Balt. Beller. an. 1612.

** Idem prodit S. Gregorius hom. 32. in Euangelia.

* quid ſimile contigiſſe Lingonis ad memoriam S. Deſiderij Epiſcopi & Martyris commemorat Ioſephus Ripamontius, hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis Decade 1. lib. 6. p. 397 hac ſerie. *Templum ipſius nomini dicatum eſt ea in vrbe quam rexit, quo in templo, conſperſus morientis cruore libellus adſeruatur. Intra fines eius templi, nemini gradum inferre licet, qui periurio diuina præcepta violauerit: ſi quis eiuſmodi piaculo temeratus ingredietur, illicò malum habebit, totis repentè artubus contremiſcet, & periurum os, clarè &*

à Gualonè de Domnipetra ipsius Diœcesis alumno, at tùm in Oriente Episcopo Damasceno, summo Dei munere ac beneficio miraculis vndique maximis in transitu coruscans, perlatum fuit) inuiolabilis fidei iusiurandum in grauis momenti actibus exigeretur, atque itidem à quocunque emitti opus esset religiosè præberetur. Maximè verò obtinuit vsus, vt ab vnoquoque Episcopo Præsulatum ordiente, hac forma eliceretur Sacramentum; & non priùs à Capitulo salutaretur Antistes, Solioque Pontificali insidere permitteretur, quàm Ecclesiæ integritatem & Capituli immunitatem sese asserturum sponderet; nec modo Cleri Cathedratici priuilegia Ecclesiastica, sed & omnia iura ciuilia, & leges municipales, appositâ dextrâ super nobilissimi illius Christi testis & pugilis venerandum caput (fidei ac constantiæ Christianæ præclarum vtique monimentum) sese intemeratè perpetuòque seruaturum, Dei & Martyris ipsius solemni obtestatione, polliceretur. De more igitur ab vniuersa Ecclesia, vt ex dictis patet, approbato, atque à Maiorum pia deuotione in sanctum Mamantem Lingonum opitulatorem gloriosissimum, defluente, suorumque decessorum Antistitum laudabili ac probatissimo exemplo, Reuerendiss. Episcopus Lingonensis qui nunc præsidet, iusiurandum sæpedictum edidit: proindéque cùm & debitis circumstantiis, rituque sanctissimo id emiserit, non potest ea quæ nunc in contrarium molitur, nempe sectionem Ecclesiæ Matricis, Cathedræ Pontificiæ geminationem, Capituli depressionem (ne vrbis quis dicat desolationem) ad effectum perducere, quin præstito Sacramento iniuriam, conscientiæ noxam, famæ,

manifestè omnes agnoscent, non secus ac si fateretur ipsemet indignitatem suam. Id credo simplicissimi Pontificis innocentia & candori datum, ne fraudulenti homines ac dolosi & societatis humanæ violatores, intra fines consistere ac delitescere eos possint. Hæc ille.

quâ hactenus gloriosâ enituit, inurat labem, & memoriæ (quam suauissimam & felicissimam sua eximia pietate ac præeminenti virtute iamiam parturit) inuidiam ingeneret, ac probrosam aspergat maculam; quin Dei & ipsius Martyris grauem concitet offensionem. Cùm enim iurare nihil aliud sit secundùm Theologos, quàm Deum in testem aduocare, imò vt pulchrè ait S. Chrysostomus, eum adhibere rei promissæ fideiussorem; sanctosque eius qui interpellantur, subinducere quasi elicitæ sponsionis adstipulatores: certè qui sancita tantâ religione fœdera, vel promissa temerat, vindices efficit quos suffragatores depoposcerat, Prou. 20. 25. diuinæque vltioni & sanctorum indignationi fit meritissimè obnoxius: quemadmodum disertè docet Concilium Meldense prælaudatum 39. Canone. Et ideò S. Augustinus* præclarè laudat M Attilium Regulum, qui iuramentum etiam per falsos deos editum vt illæsum custodiret, captiuitati & morti acerrimæ Carthaginem reuersus se subiecit: rectè arbitratus sibi conducibilius esse, gloriosam mortem oppetere, quàm aduocata numina (etsi vmbratilia) lædere, fidem infringendo quam ipsorum sub interpellatione addixerat. Ethnici siquidem hoc ipso naturæ lumine persuasum habuerunt nullum esse grauiorem, violata religione, reatum. *Nullum vinculum ad astringendam fidem* (ait Tullius 3. Offic.) *iuramento, Maiores arctius esse voluerunt, qui nulla de re diligentiùs quàm de iureiurando iudicabant.* Et rectè quidem. Nam & Ælianus lib. 14. de varia historia dictum Agesilai meritò commendat, qui homines nulla in re Superos magis sibi infestos reddere posse asserebat, quàm si sacrosanctum iusiurandum

Hom. 9. in Act. Apost.

* Lib. 1. de Ciuitate Dei c. 15.

temerè violarent. Haud mirum igitur, si Angelicus Doctor cælesti lumine, * Euangelicâ veritate, Apostolicáque sapientia irradiatus, censuerit periurium homicidio grauius esse peccatum: ratio est, quia Theologi docent tantò maius & fœdius haberi vitium, quantò excellentiori & altiori virtuti repugnat. Quemadmodum igitur Charitas inter Theologicas virtutes occupat principatum, scribente Apostolo: *Maior autem horum est Charitas.** Ita etiá ex virtutibus moralibus maxima virtus Religio est, * quippe quæ Dei excellentiam & maiestatem tanquam proprium scopum intuetur, & in eius cultum omnem curam destinat, & vniuersas dirigit ac refert actiones. Vnde fit vt falsum seu falsatum iusiurandum quod virtuti Religionis opponitur, sit ex suo genere maius peccatum quàm homicidium, adulterium, furtum, & alia similia, quæ Iustitiæ virtuti aduersantur. Quæ doctrina adeò certa est & verè Theologica, vt in Ecclesiæ Canones S. Augustino dictatore relata sit, 2. 2. qu. 5. c. *Ille qui.* Hancque & Sanctus ipse Doctor repetit, serm. 28. de verbis Apostoli in illud Iacobi, *ante omnia nolite iurare*: cuius sententiæ hanc particulam ponderans: *ante omnia*, solerter notat, non modò periurium prohiberi, sed ante omnia vitia, vt omnium grauissimum præcaueri. Quamobrem si à quocunque viro probo vitari debet, multò magis ab Episcopo declinari, qui exemplar est probitatis & forma virtutis, atque vt ait Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 216. vniuersæ piæ Philosophiæ animatum speculum. Si enim vt Socrates sapienter docet, *tract. de Regno*, verbum Principis tantæ debet esse auctoritatis, vt iurisiurandi pondus prorsùs æquiparet, quoniam Princeps est

* *D. Thomas vitâ clarissimus, plurima opera in laudem Dei, fidei dilatationem, &c. non absque speciali Dei infusione perfecit.* Ioan. 22. in Bulla Canonizat. eiusdem.

* 1. Cor. 13. 13.

* S. Amb. in Psalm. 118 v. 161. *Pietas virtutum omnium fundamentum est.* Vide Thom. 2. 2. qu. 81. a. 6o.

Tom. 10.

ceps eſt norma Iuſtitiæ: Præſulis certè qui pietatis ac ſanctimoniæ animatum ſimulacrum eſt, (vnde & *diuinum eſſe hominem*, opportere, Syneſius admirandæ ſanctitatis & doctrinæ ipſemet Antiſtes, pulchrè inſinuat epiſt. 105.) verbum eſſe inuiolabile decet: nam ſi vel tenui fuco conſperſum fuerit, omnem Epiſcopo non tantùm fidem, ſed & auctoritatem abrogabit, atque in peſſimum verget ſubiectæ plebis exemplum. *Nugæ etenim* (vt ſcribit ad Eugenium PP. Sanctus Bernardus) *ſunt in ore Sacerdotis blaſphemiæ:* mendacia autem quaſi periuria: periuria verò, primæ vti notæ, ſacrilegia.* Sed non eſt quod peccati huius atrocitatem hîc vrgeamus: cùm talis ſit Reuerendiſſimus Lingonenſis, qui vel a leuiſſima mendacij noxa abhorreat, periurij verò ipſum nomen prorsùs execretur. Vnde non verendum eſt vt tantum lubens admittat ſcelus: Aſt duntaxat commonendus eſt, vt præſtitæ ſuo Capitulo fidei velit recordari, ſponſionéſque, quas ſacratiſſimo ritu profeſſus eſt, ſtudeat ea qua eum decet ſinceritate ſeruare, nec quorumuis ambitu & conatu aut ſuggeſtione patiatur, ſe contra earum tenorem tantiſper impelli. Memor ſit igitur ſententiæ illius eximiæ S. Auguſtini aſſerentis eum qui etiam ſuper *lapidem iurat* (*quem fraudulenter vice Euangelij* ab aduerſario fuiſſe ſuppoſitum & coopertum poſtea perdidicit, vt habet *gloſ. ſuper, in c. Ecce 22. qu. 5.*) Sacramenti nihilominus lege conſtringi: neque poſſe à violatæ fidei culpa excuſari, etiamſi lapidi nihil prorsùs inſit diuini. Quia quamuis ſanctum id non ſit ſuper quod iurat, ſanctus attamen ille eſt, cui iurat & cuius numen ac nomen obteſtatur. Sed non ſuper lapidem iuſiurandum exhibuit de ſeruanda

* S. Chryſoſtom. hom. 19. ad popul. Antioch. & 14. in Acta Apoſt. S. Thom. 2. 2. q. 98. a c. qu. 99. a. 1. c. & 2. c.

Serm. 28. de verbis Apoſtoli, malè notatur 30. in Decreto Gratiani cauſ. 22. qu. 5. c. 10.

ſponſæ ſuæ integritate & cuſtodiendis Capituli ſui priuilegiis, ac vrbis Epiſcopalis decore & honore, perilluſtris Lingonum Antiſtes: aſt ſuper ſacrum verticem Mamantis Martyris glorioſiſſimi, ſui, ſuæque Eccleſiæ ac Cleri & populi communis patroni & tutelaris manu impoſitâ, quæ more Maiorum pollicitus eſt, publica fidei oppigneratione iurauit. Igitur quæ ſub cœleſti hoc fideiuſſore promiſit, illibatè tenetur adimplere, aliàs non tantùm contra ſancita pacta veniet, ſed iniuriam quoque ſanctiſſimo Martyri irrogabit grauiſſimam. At ſancti vt temerè tangi non debent ſi cimpunè nequeunt contemni. Et Beatus quidem Eccleſiæ Lingonenſis opitulator, etſi pro Chriſto nefanda ludibria, atrociáque cruciamenta mortalitate indutus quondam perpeſſus ſit; nunc tamen cum Chriſto regnans, immortalitatéque pollens, contumelia affici ſua ſacra ſpolia, abſque iuſtæ indignationis indicio, non conſueuit tolerare. Teſtis eſt enim vetuſtus ac ſincerus tranſlationum eius deſcriptor (qui tempore Roberti Epiſcopi anno circiter 1209. Lingonenſis erat *Principis*, vt ait, *Eccleſiæ Canonicus* *) ſtupendis prodigiis iniuriam pretioſis ſuis exuuiis illatam, ipſum non ſemel vltum eſſe. Et recenſione quidem digniſſimum eſt, quod de Godefrido Epiſcopo, ſanguinis è brachio ipſius B. Mamantis eruptione, ab improuido conatu deterrito, auctor ille commemorat, prælibati Opuſculi cap. 3. *Quintus*, inquit, *ab Reynaldo Epiſcopo ſedit Lingonis bonæ memoriæ Godefridus Epiſcopus, de cuius commendatione taceo, quia multi extant ex vobis* (alloquitur Concanonicos ſuos) *qui viderunt eum, & mores eius, & religionem & vitam plenius cognouerunt. Quòd verò ad gloriam noſtri Martyris at-*

* Collegium Cathedraticum, ab Iſaac Epiſcopo qui ſub Carolo Caluo claruit ferunt nõ nulli inſtitutum fuiſſe. Quod minimè verum eſt. Siquidem ab ipſo Præſule cẽſu duntaxat ampliatum, & ad Canonicam formam redactum fuiſſe comperi in veteri codicillo, de quibuſdam ſanctis Burgundicis inſcripto: ſic enim ibi legitur, ſub titulo *de SS. Ferreolo & Ferrucio Martyribus, & Verolo Cõfeſſore Sacerdote. Poſt longum venerabilis tranſitus tractũ extitit Iſaac Lingonenſis Eccleſiæ venerandus admodum Antiſtes, diuinis maximè intentus rebus, qui loca Sãctorum ſuæ Diœceſis omnia quantumcunque potuit ditauit & decorauit v. g. Canonicalem S. Mammetis congregationem, EATENVS PAVPEREM, copioſis villarum aliorumque prædiorum amplificauit donis normâque rectè viuen-*

*tinet, non silebo. Cùm capta esset à Gentilibus Edissa * ciuitas, quæ vulgò Roiais dicitur, idem Episcopus cum Ludouico tunc Rege, Patre huius illustris Philippi qui nunc regnat in Francia, transmarinandi assumpsit propositum. Ad quod perficiendum, vt sufficientes haberet expensas, multa vasa aurea & argentea de Ecclesia Lingonensi tulit, sub certa promissione restitutionis. Inter cætera dum aurum & lapides pretiosos, quibus brachium S. Mammetis decoratum erat, tolli faceret, contigit, procurante Domino, quod instrumentum aurifabri os nudum brachij aliquantulum vulnerauerit: statimque sanguis largißimus cœpit effluere, omnesque qui aderant de tanto miraculo stupefacti, receptum sanguinem in vase albastrino, quod adhuc penes nos est, deuotißimè posuerunt: trementes & veniam postulantes, ne fortè sanctum Martyrem super hoc offendissent. Huius facti testis est ipse sanguis, qui apud nos quasi ferè recens* monstratur, vsque in hodiernum diem. Cur hoc fecerit Deus, vel ad gloriam Martyris ampliandam, vel quia displiceret ei, quod sanctæ reliquiæ sic dehonestari videbantur, non volui discutere.* Hæc ille. Ast verò sanguinis miraculosa eiusmodi eruptio, violatæ Martyris reuerentiæ, non tantùm incauta brachij eius percussione, quam lipsanodochij in quo conditum quiescebat infractione, atque Ecclesiæ suæ vasorum & sacræ supellectilis distractione, apertissimum reor fuisse argumentum. A simili enim licet id coniicere. Nam cùm dudum Vesontionem * Placidia Augusta S. Stephani Protomartyris brachium, eximio cultu compositum inuexisset, * atque in Matrice Ecclesia solemni apparatu collocasset: Chelidonius Episcopus non diu post, nescio quo ductus consilio, id coram omni Clero & populo expositum, indecentiùs attrectans ac comprimens fragmentum

di insinuatâ, Clerum inibi deseruientem religiosiorem Dei adiutus auxilio effecit. Albatiam quoque Martyris Benigni non modicis terrarum sumptibus augmentauit.

* Rectiùs Edessa: cuius vrbis fuit S. Ephrem Diaconus.

* Simile quid refert Baron. de sanguine S. Ianuarij Beneuentani Episcopi & Martyris 13. Kal. Octob.

* Chifflet. Vesont. part. 2.

* De hac aliisque sex sacratissimorũ Beati Protomartyris pignorum memoria dignis in Gallias translationibus, proprium texuimus Opusculum hactenus ineditum: in quo Bea-

decerpere pertentauit, at mox myſtici cruoris ex ſacro pignore riuuli emanarunt, qui in Præſulem magno impetu inſilierẽ. Obſtupefactus eſt Clerus rei nouitate, attonitus populus, Epiſcopus verò horrore non minùs correptus quàm cruore coopertus, reus temeratæ pietatis ab omnibus habitus eſt: atque ideò Hilario Arelatenſi Archiepiſcopo tunc in Galliis vices Apoſtolicæ Sedis obeunti delatus. Accurrit Veſontionem Hilarius, atque inquiſitione facta contra Chelidonium, tùm de hoc reatu, tùm de aliis quæ in odium huius præſumptionis eidem obiiciebantur criminibus, Synodali iudicio, cui & S. Germanus incomparabilis ille Antiſſiodorenſium Epiſcopus interfuit & ſubſcripſit, hominem qui in ſe diuinam indignationem, vt ex ſanguinis profluuio mirabili apparebat, excitaſſet, gradu Pontificali deiectum ſolio abdicauit, atque in eius locum Importunum ſubrogauit. * Ex quo hiſtorico ſyntagmate fit omninò exploratum, eiuſmodi profluuia miraculoſi cruoris ex Sanctorum temerè contrectatis pignoribus, diuinæ iræ ſignificationem prodere, ipſorumque cælitum, quaſi clamorem expromere, vindictam aduerſus eos inclamantium, qui irreuerenter veneranda ipſorum ſpolia contingentes, honorem illis debitum vel lædunt vel paruipendunt, Eccleſiarúmque quarum ſunt tutelares myſtica monilia diſtrahunt, vel decus & præſidium earundem obſcurare, deprimere, dignitatemve imminuere adnituntur. Et verò vindicem ea in re S. Mamas Lingonenſium protector ſeſe ſtudioſiſsimum itidemque ſtrenuiſsimum ſemper exhibuit. Quapropter & hodie brachi[illegible] eius quod ſanguine Præſulem Godefredum repentina fluxione

rum ipſum Stephanum primatiũ Galliæ Tutelarem diuinitus deſtinatum atque hoc honore à Maioribus cultum demonſtrauimus: Eccleſiaſque omnes in Gallia eius memoriæ conſecratas: ac Præſules & cæteros illuſtres viros qui hoc ſub nomine in Galliis doctrinâ & pietate æquè ac dignitate claruerunt, recenſuimus.

* Chelidonius poſtea Leonis Papæ ſententiâ, iam ſupra commemorati, reſtitutus fuit. Ob quam cùm Hilarius ipſum in Pontificem animo paululum perſtitiſſet infenſo, veniam tandem digna facti emendatione promeritus eſt. Siquidem apici Apoſtolico plenâ obedientiâ elatiores antea ceruices ſubiecit, vt refert auctor vitæ eiuſdẽ Hilarij apud Cuiacium Obſeruat. lib. 15. c. 38 Et abdicato Epiſcopatu humilitatis diſciplinam amplexatus, ad Monaſteriũ Lirinenſe cuius alumnus erat reuerſus eſt, vbi ſancto fine quieuit. Sic teſtantur Sidon. in Carm. Euchar. ad Fauſt. & Iſid. in lib. de viris Illuſt. c. 15. Clarus eſt honore ſanctitatis in ſacris

inundauit, vel certè expansam dextram, * quasi in patrocinium Ecclesiæ suæ extensam, Capitulum Lingonense gerit in sigillo pro stemmate, seu potiùs pro munimine, perennique ad Episcopos suos monimento, ne ex Ecclesia S. Mamantis quicquam ornamenti vel præsidij, iurisve aut honoris decerpere audeant, aut pacta quæ eius obfirmant nomine & sacrorum pignorum contactu, vnquam attentent conuellere. Non impunè gloriosus hic Martyr eos esse sinit, qui sua temerè contingunt lipsana: maximè autem caput pretiosissimum non ea qua decet religione attrectant. Testis enim est prælibatus translationum eius Referendarius, Sacerdotem qui id semel aggressus est, quàm seuerè ab ipso Martyre fuisse olim multatum. *Cùm multi*, inquit, * *de diœcesi ad honorandum caput Patroni sui deuotiùs conuenirent, constituti sunt duo boni testimonij Sacerdotes ad seruandas & ostendendas reliquias, & beneficia fidelium colligenda. Contigit autem quadam die quòd illi duo absentes erant, & peregrinorum instante turbâ, quidam alius Sacerdos inuitatus, vt caput gloriosi Mortyris peregrinis ostenderet, imprudenter accessit. Et sicut legitur in libro Regum de Osan, cuius manus aruit, quia arcam Domini in debito modo tetigerat, ita manus Sacerdotis dextra sic arida facta est, quòd nec ex ea quippiam operis facere poterat, nec ad os suum sine violentia subleuare, & sic doluit per aliquot dies. Tandem in se reuersus, cognouit quòd iniuriam fecerat Martyri.* Subinde autem narrat quomodo actâ pœnitentiâ, sanatus fuit. *Postmodum*, inquit, *peractâ parte pœnitentiæ, cum lachrymis & debita reuerentia accessit ad caput, & eodem manum suam tangi & sanari fecit, quæ statim per gratiam Dei sanata est, & debito officio restituta. Deus nouit quia non*

Ecclesiæ tabulis 3. Non. Maij Chelidonius Vesontione est eodem cultu celebris. Vide Chiffletium vbi suprà.

* Ex porrecta dextera symbolũ fuit apud veteres potestatis, defensionis, auxilij: necnon pietatis, adorationis, innocentiæ, vindictæ, victoriç, pacis, felicitatis, libertatis, liberalitatis, fidei, publicæ salutis reparatæ. Pier. lib. 35. Hieroglific c. 2. 3. 4. 11. 14. 16. 19. 20. 22. 25. 26. &c. Porrò de manu diuinæ iustitiæ, prudentiæ, clemẽtiæ, erecta, porrecta, &c. ex sacris literis nonnulla congessit Berchorius in Reductorio morali sub titulo *manus*. At de manu auxiliatrice nonnulla notat Lorinus in Psalm. 9. ad hæc verba, *Exaltetur manus tua*. Et qui diù ante scripsit Petrus Blesẽsis. Opusc. 1 in Iob ad illa verba, *Operi manuum tuarũ porriges dexteram*.

* Cap. 7. & postremo.

1. Reg. 6. 7.

mentior. Nam qui vidit testimonium perhibet veritati. Hæc ille. Ex cuius fida relatione promptum est colligere, quàm seuerè Ecclesiæ suæ iniuriam, & sacrorum suorum pignorum profanationem S. Mamas inclytus Christi miles vlciscatur, vt cauere piissimus debeat Episcopus ne post venerandi, illius capitis religiosam contrectationem, nominis obtestationem, honoris oppignerationem, ijs quæ ipsi Martyri deuouit & eius Ecclesiæ promisit vllomodo refragetur, vel à sponsionibus sanctè adeò obfirmatis tantillùm deflectat. Monet sapiens, *ruinam esse homini deuotare sanctos, & post vota retractare.* Prouerb. 20. 25. Igitur quamuis pio vt sibi videtur zelo, post editum Sacramentum noua insumpserit consilia sæpedictus Reuerendissimus Episcopus: non tamen, si ea persequatur, à culpa immunis erit, quòd Sacramentum sub sancti Ecclesiæ suæ tutelaris præsidio ac fideiussione elicitum, aut proprio voluerit arbitrio soluere, aut quasi post habitâ ipsius Martyris reuerentiâ contemnere, consepultâ ferè pactorum sub illius auspiciis initorum memoriâ. Si enim gloriosus hic Christi Seruatoris athleta Sacerdotem, temerè caput suum sacrosanctum contingentem, dexteræ stupenda desiccatione coercuit; Episcopum verò etiam non absque specie pietatis * Ecclesiæ suæ monilia distrahentem, atque è pretiosi brachij lipsanodochio gemmas expromentem, quas in tuendæ religionis & Dominici sepulchri vindicandi subsidium statuerat erogare, profluuio sanguinis ex contacto improuidè osficulo, mirè at verè erumpentis, tanto stupore perculit, tanta formidine deterruit, tanto opprobrio perfudit, vt quasi reum profusi cruoris coram vniuerso Clero &

* Quamquam vasa sacra diripere prophanum sit & sacris legibus grauiter prohibitum; notumq; sit etiam sæpe diuinam iram exarsisse in templorum & mysticę supellectilis temeratores v.g. aduersus Balthasarem Dan. 5. Heliodor. 2. Mach. 3. Antiochum eod. c. 9. & Iuliani Apostatæ auunculum, Leonemque Copronymi filium, aliosque impios. Nihilominus SS. Patres semper persuasum habuerunt, licere Pastoribus Ecclesiæ, pio charitatis affectu, vt publicæ calamitati subueniant, cruces, calices, vrceolos, aliaque sacra vascula è sacratiis expromere, vendere, distrahere, atque in fidelium egentium subsidia solatiaque conuertere. Quòd si subleuandæ hominum egestatis, captiuorumque procurandæ libertatis, id gratia indultum est: multò magis diuini cult' asserendi, atque religioni opitulandi causâ, hoc ipsum liquet con-

populo interpellauerit hac diuinæ indignationis patenti significatione, vindictæque aduersus ipsum non obscurâ imprecatione: Quî fieri posśit, vt modernus Episcopus piaculi se arbitretur insontem, aut ab ipsius Martyris animaduersione immunem, si quæ incautè, maloque etsi non animo, mala tamen quorumdam suggestione exorsus est: post deprehensam conaminis eiusmodi iniustitiam, mente obfirmata constituat persequi atque ad colophonem nouæ Cathedræ structuram perducere? Neminem enim reor inficias iturum, hac contentione Antistitem (si huic immoretur) non parum memoratos transilire excessus, propter quos dudum iram in se Martyris, & Sacerdos & Pontifex prælibati concitauerê. Peccauit enim ille Sacerdos, quòd pollutis manibus ausus fuerit purissimum attingere caput Martyris. At nonne grauiùs peccaret, qui nunc sedet Antistes, si, postquam puris equidem manibus sacrum Martyris verticem attrectauit, atque in fidei firmamentum assumens, impositâ super eum Pontificali dexterá, præstiti de seruanda integritate Ecclesiæ Sacramenti inuiolabile quasi pignus constituit: à pactis resiliens, cassum & inane suum redderet iusiurandum? Suprà enim comprobauimus ex S. Augustino & communi Theologorum doctrina, periurium esse peius adulterio, quoniam hoc peccatum contra iustitiam tendit: illud verò violatæ religionis crimen est, omnium virtutum moralium principis. Nec dubium quin peccauerit etiam Godefridus Episcopus, quoniam licet bona intentione, suffragandi nimirum rebus Christianis in Oriente collapsis * desideriô, Ecclesiæ facultates impendere proponeret: inconsultè tamen & non sa-

cessum esse. Vide can. *Apostolicos* 12. qu. 2. ex can. *ex sacrorum* 12. q. 2. Sanctorum verò insignia ea in re, & multiplicia exempla, æternitati consignauere, qui eorum gesta scriptis prosecuti sunt. Sed & luculenter S. Ambrosius docet, quo pacto fidelis domus Dei dispensator, sacras opes ob communem salutem piè eroget, & prouidè dispertiat lib. 2. de Offic. c. 28. cuius prænotatio est: *De bono compassionis, & quòd sacris Ecclesiarum thesauris, non sit parcendum tempore necessitatis.* Quo loco inducit exempli gratia Laurentium Archidiaconum, & seipsum Episcopũ. Aureis apicibus totũ hoc capitulum rutilat, suoq; splẽdore ipsos Solis radios obnubilat.

* Siquidem paulò ante susceptam à Ludouico VII. (quem secutus est Godefridus Episcopus) Aconitanã expeditionem, regnum Christianorum in Syria assiduis cladibus affectum intestinisque motibus concussum penè corruerat. At nõ diu post prorsùs concidit. Etenim anno 1187. die 2. Octob. feria 6. Saladinus Tur-

tis religiosè id aggrediebatur. Duplicis enim generis cùm ſint opes Eccleſiasticæ, nam quædam intrinſecæ ſunt & myſticæ, vt cruces, calices, ſacráque vaſa & indumenta, quæ cum cætera ſacra ſupellectili ad diuinum cultum immediatè ordinantur: Aliæ extrinſecæ & œconomicæ, quæ miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationi deputatæ ſunt; puta Eccleſiaſticum patrimonium & temporale dominium, annuique ſacrarum poſſeſsionum cenſus ac reditus: Certè (vt prænotatum eſt) ingruente publica aliqua neceſsitate, maximè piâ occurrente causâ, de conſenſu Capituli poteſt Epiſcopus Eccleſiaſticas facultates expendere, vt labâti Religioni vel Reipublicæ ſuccurrat, ſiue pauperibus in communi annonæ penuria opituletur: *diſt. 87. per totum*, hoc tamen cum moderamine, vt non plus quàm opus fuerit impendat vel eroget; eóque cum delectu, vt potiùs cenſum, quàm fundum abalienet, priùſque reditus annuos diſtrahat, quàm diuini cultus adminicula, myſtica vaſa, ſacerdotalia ornamenta, ſanctorum lipſana, cæterámque religionis excolendæ ſacroſanctam Panopliam. Docet enim Dominus in Euangelio templum ipſum pluris eſſe faciendum, quàm templi patrimonium, altaréque maiori honore & reuerentiâ habendum eſſe, quàm donum quod ſuper altare oblatum eſt: *Quid enim maius eſt*, inquit, *aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? quid etiam maius eſt donum, an altare quod ſanctificat donum?* Matth. 23. inſinuans ea quæ rectà ad Dei cultum ordinantur, his quæ remotiùs ad illum referuntur eſſe ſanctiora, proindéque ijs ſemper anteferenda ac maiori obſeruantiâ proſequenda eſſe. Præpoſterè igitur egit Godefridus Epiſcopus Lingonenſis, qui cùm pium

carum Rex, poſt maximam Chriſtianorũ ſtragem, Hierololyma ſuæ tyrannidi ſubegit, totamque Syriam occupauit, præter tres vrbes, Tyrum, Tripolim, & Antiochiam, & quaſdam arces. Blond. lib. 6 decad. 2. cum Sigebert. cõtinuat. anno ſignato, qui fuit 88. ex quo Hieroſolymis à latinis regnatũ eſt. Hinc claſſicum totam per Europam perſonuit, ſummiſque Pontificibus hortantibus variæ expeditiones à Chriſtianis Principib⁹, recuperandæ votô ſanctæ ciuitatis ſuſceptæ. At fruſtra, ſiquidem euentu tandem probatum eſt, Ioachimum Abbatem (quem ferebant ſpiritu Prophetico afflatum) perquirenti ab eo ipſimet Ludouico Regi Chriſtianiſſimo, dum in Sicilia opportunum tranſitum operiretur, verè reſpondiſſe, viſitationis Hieruſalem nondum veniſſe tempus. Attamen id Dei benignitate ſubinde actum, vt à Gallis & Venetis Conſtantinopolis expugnaretur: imperiumque Orientis in manus Gallorũ deueniret, qui id annis 60. retinuerunt. Verùmtamen cum conflictatio-

pium

pium Regis conatum aduersus impios locorum Christianæ redemptionis inuasores, vellet pio studio opportunóque subsidio promouere: Ecclesiæ priùs census ac prouentus debuerat profundere & dispertiri, imò ipsa latifundia, quæ amplissima sunt, pignori obligare, quàm in mysticam supellectilem manum immittere, quàm sacra vasa diuendere, sanctorum diripere loculos, & ipsius Ecclesiæ Patroni veneranda pignora, cultu & ornamento spoliare, atque, vt ita dicam, opprobrio exponere exuta, coopertorio, & gemmarum, quæ præclara Sancti merita suo fulgore indicabant, eximio destituta decore. Inde igitur factum, vt Martyr quasi contumelia impetitus ab eo qui vindex suæ gloriæ esse debuerat, neque grauiùs ferens suum honorem imminutum, sacrarium prophanatum, brachium denudatum, laica manu contrectatum, malleo percussum, quàm Ecclesiæ suæ obscuratum decus, direptum sanctuarium, pudorem violatum, se hoc Episcopi excessu, quasi nouo prodidit affectum martyrio, sanguinémq; rursus profundens, suæ in Ecclesiæ iniuria, dedecus perpeti se innuit, atque in illius iactura pressuram non modicam sustinere; proindéque mystici cruoris fluxu, in se admissum scelus palam voluit testari, atque in auctorem tanti piaculi (nisi manum mox à cœptis remouisset) diuinam significauit se adprecari vindictam. Ita sanè. Sed eô quo nunc impetitur Lingonensis Ecclesia molimine, sanctus ille Martyr longè maiorem & grauiorem iniuriam sustinet & patitur, non enim è brachij eius conditorio vasculo, gemmæ & monilia eruuntur; sed ab Ecclesia (cuius tutelam habet, & in qua præcipuè quiescit & colitur) honor &

ne perpetua, Græcis iugum excutere perenniter nitentibus: Turcis vndique insultantibus, magisque in dies præualentibus. Nostris igitur tot constrictis angustiis, suppetias ferendi desiderio succensi Galli Præsules & proceres, sæpe ex condicto in Orientem (Regum ductu vel nutu) validis cum copiis traiecerunt: quorum nomina & gesta in Chronico nostro Parisiensi, in *rerum variarum* columna, strictim at graphicè expressa annotauimus.

gloria diuellitur, iura & priuilegia potiora auferuntur, nec tantùm elicitur aurum ex illius sacrario, sed quod omni auro longè excellentius est, Episcopale decus, Pontificale solium, hierarchica potestas, sacri apicis dignitas, ipsa ab Ecclesia substrahitur. Non Sanctorum hierothecæ infringuntur: sed viscera eiusdem Ecclesiæ dilacerantur, ipsáque media vt olim Esaias * dissecatur, matricis dimidio honore priuata, atque auitæ hæreditatis suæ, spoliata præcipuá portione. Deinde non gazophylacium diripitur, sed Cathedra diuiditur, diuisáque dum corruit, etiam per partes pedetentim submouetur. Nec solo decore Ecclesiæ huius sanctuarium exuitur, sed ipsa Ecclesia omni ornamento orbata, itidem fundamento quo suffulta consistit, & cui innixa pollet Episcopalis sublimitatis eminentia, prorsùs destituitur: sicque abrepto fulcimento dignitatis & gloriæ, vniuersus status eius concutitur, atque in perennem delâbitur casum & desolationem. Hanc verò ruinam Ecclesiæ Lingonensi imminentem ex nouæ Sedis Diuionensis erectione, vt ipse eiusdem Ecclesiæ Tutelaris è superna illa æternæ fælicitatis arce intuetur ac prospicit, non dubium est quin habeat ingratissimam, tantóque magis inuisam, quanto ab eo manat qui ex officio debuerat illam omni affectu & contentione impedire: quique manu super sacrosancta pignora ipsius gloriosi opitularis imposita (indulgeat verò pius Præsul iusto zelo, quo conciti, ipso Iustitiæ & pietatis officio eum constringimus) religiosa eiusdem Martyris obtestatione spoponderat, atque sanctè iurauerat, nihil vnquam simile huic conatui meditari, sed maiorum exemplo ipsam sibi creditam sub tanti

* Sectum fuisse Esaiam Abulensis in 4. Reg. 21. q. 17. inter fabulas computat. At quàm temerè id vel vnico documento accipe. Scribit Esaias c. 57. v. 1. *Iustus perit & non est qui recogitet*, &c. ad quem locum S. Hieron. lib. 15. in Esa. in fine. *legunt 70. A facie malitiæ ablatus est iustus. Iudæi*, inquit, *Esaiã arbitrantur hic de sua prophetare morte, quod serrandus sit à Manasse, serra lignea, quæ apud eos certissima traditio est. Vnde & nostrorum plurimi illud quod de passione sanctorum in epistola ad Hebræos ponitur, serrati sunt* (siue secti sunt) *ad Esaiæ referunt passionẽ.* Igitur ex Christianorum & Hebrçorum doctorũ sententia, res non conficta, sed certa & explorata est, dissectum Esaiam coronidem suæ propheriæ addidisse gloriosam. Hinc in Martyrologio Romano legitur prid Non Iulij. *In Iudæa. S. Esaiæ Prophetæ, qui sub Manasse Rege sectus in duas partes occubuit, sepultusque est sub quercu Rogel iuxta trãsitum aquarum.* Idipsum Græci in suo Menologio die 9. Maij profitentur. Firmant

auspiciis Martyris Ecclesiam, intenso studio prosequi, seruaréque semper integram & illibatam. Sanctio certè Canonica est, eum qui iurauit defendere Ecclesiam, & requisitus nec legitimè præpeditus recusat, periurij se crimine irretire, nec posse vlla se appellatione aut excusatione tueri: quin potius ipsa recusatione, periurij culpa magis implicari. *cap. Breui de iureiurando lib. 2. decret. tit. 24.*

vero hanc traditionem suis testimoniis Patres. Ex Græcis Iustin. M. contra Triphonẽ. Origenes in Math. c. 13. circa finem, S. Epiphanius lib. de vita & obitu Prophetarum, Dorotheus in Synopsi, quam commentariis illustrauimus, c. 14. S. Chrys. epist. ad Cyriac. & eius nomine auctor imperfecti Op. in Matth. ad c. 1. hom. 1. & ad c. 23. hom. 46. Ex Latinis verò Tertullia. in Scorpiaco c. 8. & lib. 3 cont. Marc. S. Ambr. lib. 9. com. in Luc. c. 10. & lib. 10. c. 20. Iterumque S. Hieronym. lib. 4. com. in Matth. ad c. 26. S. August. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 24. Isidor. de vita & morte sanct. c. 37. &c.

Hîc idcirco Decanus & Capitulum Lingonensis Ecclesiæ, cum ea qua decet animi demissione ac cordis affectu, Reuerendiss. Dominum Episcopum interpellant ac hortantur, vt ipsi Ecclesiæ periclitanti & maximum in discrimen, non tam suo odio, quam maligno quorumdam machinamento & artificio coniectæ, opémque ipsius vt Patris, vt Pastoris, vt tutoris ac vindicis obnixè ac necessariò imploranti, dignetur adesse; patrocinium quod ei ex suscepto Episcopatus munere debet, & præstito solemni iureiurando promisit, impendere velit, sicque frameam quæ ipsi Ecclesiæ imminet, dissectionémque mysticæ illius compaginis minitatur, ab illius vertice potenti dextera festinet auertere: ni in fidei violatæ (quem reatum, omnino abhorrere non dubitamus) culpam proruere, & temeratæ S. Martyris Mamantis, super cuius caput venerandum sanctissimè ipsi Ecclesiæ Lingonensi iurauit, reuerentiæ, noxâ imò & religionis contemptæ piaculo videri possit obstringi, atque hoc nomine in indignationem præpotentis illius * Ecclesiæ tutelaris, quem sanctè adeò obtestatus

* Tantus ac talis Mamas fuit Martyr, vt ad laudes eius dignè promendas Magnus ipse Basilius, Christianæ fulmen ac flumen eloquentiæ, vberiorem sua desiderauerit facundiam, sicut ipse præfatur in homilia quam die eius Natali habuit, ferie 27. Et verò Mamas ob gestorum magnitudinem, agonis excellentiam, miraculorum ante & post obitum splendorem, Magni cognomentum apud Orientales mystas consecutus est, vt translationis sacri eius capitis auctor præcitatus vetusta ex epigraphe lipsanothecæ insculpta refert. Quàm verò celebris fuerit non solùm in Oriente (quod Sozom. lib. 5 c. 2. Nicephor. lib. 10. c. 1. & lib. 18. c. 41. testantur.) Ve-

eſt, ſibi obtingat (quod abſit) incidere. Clamat etiamnum, miraculo quondam profuſus, ex brachio ipſius Martyris ſanguis, aduerſus eos qui ſacratiſſima eius pignora non dubitauerunt temerè contingere, atq; Eccleſiæ, in cuius ſinu honorificè recondita ſunt, quicquam dignitatis & gloriæ auſi ſunt detrahere. Sed & Lingonenſes Cathedratici, flexis cordis poplitibus ipſum Martyrem ſuum Eccleſiæque Patronum deprecantur, ne clamorem eiuſmodi intonet in Epiſcopum, cuius notam in cæteris habet egregiam pietatem, neue dextram vltricem ob nuperum diuidendæ Cathedræ conatum in eum extendat: at potiùs blanda voce in eius aures inſuſurret, ſanioráque Deo dante conſilia inſpiret. Sedauit olim * cùm ab Oriente tranſueheretur in Galliam ad Lingonenſem baſilicam pretioſiſſimum ipſius Martyris caput, in mari ſubortam tempeſtatem, nec tantùm in eiuſmodi tranſmeatu marinos compreſſit fluctus; ſed & in Gallicum ſolum diuina virtute & gratia, tandem proſperè delatum, ignis excurrentis luem reſtrinxit, *deſolatorioſque* ſua præſentia extinxit *carbones*. Igitur impenſiùs exorandus eſt, eiuſdem cæleſtis pignoris interpoſitione Beatus Martyr, vt exortam, hac recenti contentione, in Diœceſi Lingonenſi ſibi deuotiſſima, procellam, citiùs compeſcat, atque ſuis meritis conuertat in tranquilliſſimam auram. Incendium verò quod pertentata excitat geminatio Sedis, opportunè reprimat, atque diſcordiæ æſtus, in ſynce-

rum etiam in Occidente inde patet quòd iã olim Romæ Eccleſia fuit eius titulo inſignita in qua S. Gregorius ipſo in eius Natali homiliam habuit inter Euangelicas 35. Narrat Fortunatus lib. 2 vitæ S. Radegundis, piam hanc heroinam, fama tanti Martyris excitam, Hieroſolymam miſiſſe, vbi ſacræ illius exuuiæ ſeruabantur religioſè conditæ, petitum vel tenuem earum portionem. Cuius deuotio mirifica teſtificatione Martyris comprobata fuit. Cùm enim loci Antiſtes Martyrem interpellaſſet, ſi Radegundis vera Dei eſſet famula, votis eius, Martyr vt ipſe annuere dignaretur, mox è manu iacentis in loculo corporis digitus ſolutus decidit: quem ſponte Martyrẽ dimiſiſſe Præſul intelligens, cæleſti beneficio conceſſum munus, Pictauos ad ſanctiſſimam fœminam tranſmiſit, à qua ſumma lætitia & religione exceptus ſuper aram ſanctæ Crucis collocatus eſt. Hìnc primùm in Gallias cultus ſancti Martyris cum venerando pignore inuectus fuit: quem, allatum poſtea Lingonas eiuſdem caput plurimum auxit: à quo ipſa Cathedralis Eccleſia, quæ antea S. Ioanni Euangeliſtæ ſacra erat, mutata nuncupatione titulum ſimul & patrocinium recepit, vt habet Breuiarium Lingonenſe in officio tranſlationis ipſiuſmet S. Mamantis 6. Id. Octobr. lect. 1. Dicatam memoriæ S. Ioannis Euangeliſtæ primùm fuiſſe hanc Eccleſiam, eam ob cauſam arbitror, quòd à S. Benigno, B. Polycarpi diſcipulo, ſancti Ioannis Symmyſtæ, fundata fuerat. Quamquam verò S. Mamantis nunc inuocatione polleat: S. Ioannis antiqui tutelaris nihi-

lominus, peculiari cultu, nomen veneratur. Nam trophæum eius ante portam latinam annuis sacris recolit ac celebrat, ritu festi annualis cum octauis. Cæterùm S. Mamantis Natalem exequitur 14. Kal. Sept. qua die notatur insignis in Martyr. Rom. Græci de eo agunt 4. Non. Sept. * Auctor anonymus præcitatus c. 6.

ros pacis ac concordiæ transformet affectus. Cæterum & ipse Antistes obtentu* gloriosi eiusdem Ecclesiæ suæ tutelaris, obsecrandus est, vt ipsam tam illustri ac metuendo patrocinio communitam, intemeratam, sicut religiosè pollicitus est, conseruet & tueatur: nec ambitiosis quorumdam suggestionibus, qui Diuionensi Capellæ augmentum quærunt ex ipsius Principis Ecclesiæ Lingonensis decremento, imò excidio, aures deinceps accommodet, sed prorsùs occludat: cum his obsecundare nequeat, absque propriæ famæ dispendio, imò & conscientiæ deliquio. Voluit equidem olim Deus, sicque Moysi mandauit, vt Aaroni summo sacerdoti, hiacynthinam adaptaret tunicam, ad cuius oram cum tintinabulis aureis mala punica appenderet: mysticè per malogranata opera designans, * per tintinabula famam ac doctrinam, quæ sic in Pontificio debent apparatu intersesi, vt ex æquo reperiantur, adiuncta, perfectum ornatum cum pari harmonia exprimere. Integræ quidem famę Præsul est Dominus Lingonensis, eminentísque doctrinæ, at si Sacramentum de Ecclesiæ à se incolumi dignitate seruanda ac asserenda, tanta celebritate emissum, religiosè non custodierit, vix dici potest, quàm graue inde scandalum suborietur, quanta ipse labe candorem sui nominis obscurabit. Perstrepent vndique eius gloriæ æmuli, tunicam quidem ipsum gerere Pontificalem, sed non perfecto ornatu decoratam. Tintinabula etenim resonare scientiæ & bonæ opinionis, porrò deesse mala puni-

* Pontifices obtestari per Sedis suæ beati tutelaris memoriam, mos fuit frequens apud Patres. Sic obsecrat S. Augustinus Cœlestinum Papam, *per Apostoli Petri memoriam*, ep. 261 *circa oram*. Qua uidē patet, Africanæ Ecclesiæ appellationes ad Rom. Pontificem etiam post editum in causa Apiarij decretum, & directam ad ipsum Celestinum Papā, de non suscipiendis ipsis appellationibus Synodicam epistolam, fuisse vt antea deuolutas & admissas ex more probato ac prorsus vindicato iure. Mirè sanè elucet tota hac in epistola suprema Sedis Apostolicæ in Africa auctoritas, atque S. Augustini eximia in ipsam deuotio, cuius potestatem impensè reueretur, iustitiam inuocat, misericordiam mouet, opitulationē efflagitat.

* S. Chrysost. homil. 57 in Matth. S. Hieron. in epist. ad Fabiol. supracitata. S. August. lib. 2. qq. in Exod. q. 119. Vide Pier. Hieroglif. lib. 54. c. 28.

ca bonæ conſcientiæ & ſynceræ operationis. Dei nomen inſitum coronæ ſeu laminæ aureæ, in fronte, honoris cauſa, ipſum Antiſtitem perferre; atque ore illud ad auctoritatem conciliandam libenter depromere, at opere quæ numinis obteſtatione firmauit incautè deſtruere; Sanctorum merita & patrocinia ad decorem, vt monilia rationali infixa, efferre & oſtentare: at pignora eorumdem veneranda, quæ in fidei ſubſidium interpoſuit in pactis aſſerendis, non habere ſacroſancta. Et verò hæc ſola ſolemnis iuriſiurandi conſideratio, ſanctiſſimum Antiſtitem à perſequẽdo nuper inito conſilio de duplicatione Sedis, atque antiquæ matricis diuiſionẽ, abſterrere & prorsùs deducere debet: quoniam tanti ponderis eius infractio eſt, vt ſi tantiſper concutiatur, præter æternum dedecus, quod ſibi ipſe Epiſcopus inde comparabit: ſcandalum ingens & pernicioſum ſubſequetur exemplum. Fides ſiquidem, Deo & Sanctis, teſtibus, imò fideiuſſoribus, religioſiſſimo ritu præſtita, ſemel ſi ab Antiſtite irrita ac futilis haberetur, * nulla deinceps apud inferiores homines ſtabilis eſſet rei cuiuſuis aſſeueratio, nulla efficax promiſſio, nullum Sacramentum inuiolabile foret. Aſt verò Apoſtolus diſertè docet, iuſiurandum eſſe rerum humanarum maximum firmamentum: quo & omnia diſſidia ſopiuntur & pax conciliatur ac firmatur: *Homines*, inquit, *per maiorem ſui iurant, & omnis controuerſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt iuramentum.* Igitur id ſacroſanctum per omnia eſſe oportet, tantúmque abeſt, vt ab illo qui ſe eo deuinxit temerari poſſit, quod etiam à filiis illius qui iurauerit, debere S. Chryſoſtomus doceat obſeruari *. Sicque tametſi Reuerendiſſimus qui nunc

* S. Hieron. ep. ad Heliod. *Domus Epiſcopi & conuerſatio, quaſi in ſpecula poſita, magiſtra eſt diſciplinæ. quicquid fecerit, id omnes ſibi faciendum putant.*

Hebr. 6. 16.

* In hunc locum.

præeſt Lingonenſis Epiſcopus, pacta quæ commemorauimus proprio iuramento non obfirmaſſet, eius tamen, quo à Patribus, hoc eſt deceſſoribus ſuis, per ſeriem ſancita ſunt, iuriſiurandi vinculo teneretur, ne illis refragari liceret. Succeſſor etenim (etiam ex iure Eccleſiaſtico) debet prædeceſſorum veſtigiis inhærere, *cap fin. de pœnis, & gloſ. debemus, §. nos etiam in proem. Clem. necnon Clem. Romani de iureiur.* Tenetúrque ſeruare pacta licitè & ex more probato à deceſſoribus inita, *gloſ. anteceſſoribus in cap. fin de pactis lib. 6.* Verùm præter Anteceſſorum religioſam ſponſionem, quam inuiolatam ob honorem Epiſcopalis coronæ * & memoriæ Patrum reuerentiam, modernus debet Epiſcopus propagare: proprij certè illiúſque ſolemnis & multiplicis iuriſiurandi conſtringitur nexibus, eaſdem pij fœderis leges intemeratas ſeruare: nec vllam poteſt rationem legitimam opponere qua ab his licitè reſilire queat. Cùm & diuina obteſtatione firmatas ab ipſo promiſſiones, iuſtas, Canonicas & neceſſarias eſſe oſtenderimus: ſic autem editum iuramentum conuicerimus eſſe prorsùs inſolubile: adeò vt Apoſtolus inſinuet, Deum qui nequit vllo vinculo ſua natura detineri, nec falli nec fallere poteſt, * tamen ſponte ſua, vt nos promiſſis ſuis fiducialiter acquieſcere compelleret, pollicitationes ſuas iuramento obfirmaſſe; ſeque propriæ bonitatis & veritatis nexu erga nos irreuocabiliter obligaſſe: vt ſpes noſtra, inuiolabili hoc fulcimento ſubnixa, fixa perſiſteret nullaque prorsùs diffidentia quateretur. *In quibus abundantiùs*, inquit, *volens Deus oſtendere, pollicitationis hæredibus, immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impoßibile eſt*

* Venerationis causâ, veteres compellabant Epiſcopos hôc nominê. Sic S. Hieronymus ſupplex B. Auguſtinum affatur ep. 81. *Precor coronam tuam*, & Ennodius Ticinenſis Diaconus Marcellinum Epiſcopum. *Quia* (inquit in epiſtola ad eundem) *fiducia mea coronam veſtram non ambigo reſpō ſuram.* Ita & Sidonius Apollinaris Leontium Foroiulienſ. Epiſc. *Auctoritas corona tua, diſsimulantibus ſtudeat excudere reſponſi celeritatem*, lib. 6. ep. 3. & lib. 7. ep. 8. Euphronium Auguſtodun. *De minimis videlicet rebus coronam tuam maximiſque conſulerem.* Sed hac potiſſimũ apoſtrophe, cum ſummum Pontificem interpellabāt, vtebantur: prout videre eſt in epiſt. Epiſcoporum Prouinciæ Arelatenſis ad S Leonem: ſic enim habet ferè ſingulorum Præſulum ſubſcriptio, *Ego N. Apoſtolatus veſtri coronam ſaluto.* ita & Ennodius ſcribit Symmacho Papæ. *Duas Sedem Apoſtolicam corona veſtra cura moderatur.* Idem rogat eundem: *vt erigat miſeros implorata corona eius miſeratio.* Cæterũ legimus, *d 96. c. 14.*


mentiri Deum, fortißimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ, tutam & firmam. Igitur iuramento nihil esse potest firmius, cùm sit sicut anchora fixa & immobilis. Quamobrem idem Apostolus docet *omnem apud homines iuramento* sedari *controuersiam; omnem* (ponderat Chrysostomus*) quia tanti est momenti iusiurandum, vt cùm semel adhibitum fuerit, nihil ampliùs desiderari possit quod certitudinem faciat, aut fiduciam incutiat. Hac igitur sola consideratione (iudicê Apostolô) eà quæ nunc vertitur debet controuersia terminari: nec opus est alia ratione, ad Dominum Lingonensem sua de noua intentione deducêdum, quàm ipsius, ritu sacratissimo oppigneratæ fidei, Canonica interpellatione, cui prorsùs necesse habet acquiescere, aut certè fidem soluendo, legi diuinæ, Canonicæ & humanæ refragari. Liquet enim ex superius retexta sacrarum ipsius sponsionum serie, recèns ab eo susceptis consiliis ac initis conatibus, id ipsum quod præstitit iuramentum penitus repugnare: proindéque etsi Cathedratici Lingonenses illius votis & nisibus non obluctarentur, eiusdem tamen iurisiurandi Sacramento, ipsum, (ne quæ affectat persequatur) omnino præpediri.

Constantinum Siluestro Papæ diadema concessisse: vnde Remigius Antissio. ipsum Papæ nomen deriuatum putat. *Papa*, inquit, *secundùm quosdam dicitur admirabilis seu coronatus*, in *Opusc. de celeb. Missæ.* At alia erat corona Pontificij ornatus, & alia corona clericatus: sic enim in præcitata constitutione. *Ipse vero Beatiss. PP. quia super coronam clericatus, non est passus vti corona*, &c. Quicquid sit enim de Imperialis huius sanctionis synceritate, certum est Clericos tonsuram ad modum coronæ iam olim gestasse. (Vnde Vincentius Lirinensis in Commonitor. *Deiectas, sacerdotum coronas reponere.*) Cuius ritus duplex indicatur ratio. Prima ex dictis S. Hieronymi, 12. *qu* 1. *c*. 7. vbi, ad designandum *regale sacerdotium*, Clericos hac tessera legimus insignitos. *Hanc coronam habent ab institutione Romana Ecclesia, in signum Regni quod in Christo expectatur.* Secunda ex sententia venerabilis Bedæ lib. 5. hist. gentis suæ c. 22. docentis, coronam in vertice detonso Clericos perferre, ad exprimendam imaginem spineæ coronæ Domini, vt qui speciallùs Christum patientem imitari debent, hoc ipso signaculo id palam profiteantur.

* Tertull. lib. de Pœnit. c. 3. & lib. 2. cont. Marc. c. 26 S. Ambros. serm. 14. in Psalm. 118. & lib. de Abel & Cain c. vlt. S. Chrysost. Orat. 2. in ep. ad Ephes. S. August. in Psalm. 88. conc. 1. & lib. 1. cont. aduers. Legis & Prophet. c. 20. Cassiod. in Psalm 88. v. 36.


* Orat. 11. in Ep. ad Hebr.

CAVSA



CAVSA X. ET VLTIMA.

APOSTOLICÆ SANCTIONIS INuiolabilis perſcriptio, quà decretum eſt, Iudicium & Priuilegium.



VERùм alio inſuper, nec minus graui diſtinetur obſtaculo, ne optata licitè promouere queat, obnititur etenim eius ſtudiis atque conatibus Apoſtolicæ inhibitionis ſacroſancta auctoritas. Siquidem cùm Iulius II. ſummus Ieſu Chriſti Vicarius, precibus inclinatus Ioannis de Amboſia Epiſcopi Clerique & populi Lingonenſis, edicto Apoſtolico, atque authentico diplomate, prohibuerit duo vel plura iuridica tribunalia Eccleſiaſtica in ea Diœceſi conſtrui, ſed vnum duntaxat, ſolumque illud quod in Epiſcopatus vmbilico ab ineunte Euangelio conſtitutum fuit, vrbi Lingonenſi fixum perpetim conſiſtere, hincque numquam auelli poſſe decreuerit, ad quod ſupreſsis quibuſq; ſubſelliis, omnem curiam & iuriſdictionem Eccleſiaſticam totius Diœceſis voluit reuocari: certè hâc Pontificia conſtitutionê, Sedis Epiſcopalis geminationem conſtat ſpeciali præcautione eſſe vetitam. Cauſa enim quæ edendæ huic ſanctioni anſam præbuit, ea eſt, quod pluralitate ſacræ iuriſdictionis conſeſſuum, vnitatis Eccleſiaſticæ Sacramentum ſoluebatur, Eccleſiarum inferiorum inuicem connexio, & cum Matrice com-

muni contesseratio, destruebatur; confundebatur hierarchica, quæ vnoquóque in Episcopio elucere debet subordinatio: nam communicatione iurisdictionis Pontificiæ, plures vna in terminatione videri poterant Ecclesiæ Episcopales: cùm enim duæ vel tres ciuitates pari essent sacra potestate præditæ, aut æquales forent aut æmulæ, & solo nomine ijs præcelleret vrbs Cathedratica, quandoquidem nihil ferè commercij cæteræ cum ea retinerent; vnde & ipsi Ecclesiæ Episcopali vix quicquam deferrent honoris & obedientiæ. Quod & cótra Ecclesiasticas regulas vergeret, quibus statutum legimus,* *vt propter Præsulis in Sede vrbica consistentiam, negotiorum spiritualium causâ, ad vrbem quæ Ecclesiastico pollet principatu debeant omnes confluere*: atque insuper in ipsius Cathedraticæ Ecclesiæ & vrbis Pontificalis cederet detrimentum, imò & perennem eidem concieret desolationem. At verò ex Sedis Episcopalis dissectione & congeminatione vniuersa hæc dispendia, vberiùs vt notum est profluerent, ac maiora etiam in dies orirentur. Igitur cùm de minori ad maius æquum & consentaneum sit arguere, Apostolica illa prohibitione, nupero conamini Domini Lingonensis, præiudicium consultò irrogatum est. Nam sicut cùm arboris ramum quis vetat frangere, multomagis stipitis inhibet dissectionem: sic cùm summus religionis Antistes, tribunal Ecclesiasticum Lingonense quouis modo distrahere prohibuit, maiori equidem ratione ipsum Episcopale solium, cui iuridica cohæret sedes, imò vniuersa Diœcesis hierarchia innititur, diuidere aut duplicare interdixit.

* 9. qu. 3. c. *per singul.* ex Concilij Antiocheni sub Iulio 1. can 9. in quem Binij notanda est obseruatio, qui canonem ipsum non de Metropolitana tantum vrbe intelligit, sed ad Suffraganeorum etiam sedes extendit. Fauet autographum, nouaque versio canonis apud Gratianum subtexta, quæ incipit, *Episcopos*, &c.

Nec verò hoc incommodum effugiet Episcopus, si

dixerit, *se etsi Cathedram Pontificiam sua in Diœcesi congeminet, nihil tamen aduersus diploma Apostolici Pontificis, sic esse admissurum. Quoniam Tribunal * quidem Episcopale Officialatus Lingonensis, indiuisum ac incommutabile conseruabit, & proinde nullatenus temerabit sacros Pontificiæ sanctionis apices.* Id enim fieri nequit vt Episcopalis Sedes Episcopalem Curiam, & ipse Episcopus suum Officialem, secum non pertrahat & traducat. Docet Dominus in Euangelio. *Vbi erit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* * Cui congruenter oraculo, legimus in antiqui fœderis monumentis, Iudicij illic esse solium, vbi summus Sacerdos habet domicilium. * *Si*, inquit sacer legifer, *difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille.* Ex quibus verbis cum perspicuum sit Sacerdotem, antequam Reges insurrexissent, fuisse quidem populi Dei supremum arbitrum & moderatorem, habuisséq; ad causarum disquisitionem subordinatum Iudicem, * & vt ita dicam Officialem, qualem singularum plebium Antistites habere dignoscuntur, qui certè eodem loco quo sedebat Pontifex residere adigebatur, cùm vt sub ipso Iustitiam in causis moralibus quibúsque petentibus ministraret, * tùm vt in legalibus & mysticis

* *Cathedram* Episcopis, *Tribunalia* Præfectis, distinctè, ac vt sibi videtur, propriè, Sidonius in Conc. pro ordinatione Simplicij Bituric. attribuit. Verumtamen & Tribunalia recor Episcopis cõpetere, nõ quidem propter munus doctrinæ, sed ob Iudicialis officij quod Pontificatui inhæret potestatem. Certè Fulbertus Carnotensis sanctissimus Episcopus docet *Tribunalia Ecclesiæ sua* Christum Dominum Episcopis commisisse ep. 46. Mosque iamdudum inoleuit, vt Antistites quando solemnia ferunt iudicia *pro Tribunali sedere* dicantur. Sic habetur in sententia lata per delegatos Sedis Apostolicæ Iudices pro memoriæ Ioannæ Arciæ puellæ Aurelianẽsis consanguineæ meæ iusta vindicatione: quam ex autographo retulit D. Ioã Hordal (ex nobili eadem prosapia ortus,) Serenissimi Ducis Lotharingiæ dùm viueret Consiliarius ac Primarius Academiæ Pontimussanæ Professor in eruditissimo quem edidit libro pro inclytę ipsius Heroinæ, gloriæ defensione Pontimussi anno 1612.

controuersiis quæ à solo Sacerdote maximo dirimi poterant, operam illi suppeditaret, atque iudicia eius vindicaret & sacrosanctam auctoritatem tueretur. Ex eorumdem certè verborum contextu elicimus, Ecclesiasticum cognitorem, qui cuilibet Episcopo, seu Pontifici Euangelico in causis quæ ad forum religiosum pertinent discutiendis, iudiciisque mysticis exerendis, suffragatur, penes ipsum Antistitem debere consistere, illicque tribunal suũ habere,* vbi ipsemet Episcopus, sacræ reipublicæ Princeps, solium hierarchicæ potestatis constituerit, & præsidere consueuerit. Quamobrem si semel Dominus Lingonensis Diuione fixerit Cathedram Episcopalem, illicque vt peroptat & satagit, Pontificale domicilium statuerit: non dubium quin vt corpus attrahit vmbram, sic suum Officialem, & omnem curiam Ecclesiasticam secum traducet: neque enim facilè est creditu, Episcopum Ecclesiæ Principem, sine iudice qui vices suas, in suborientibus omni momento causis dirimendis obeat, suamque auctoritatem exerat & vindicet, posse certo loco, vti propriæ Sedi inhærere; vel absq; curiæ Ecclesiasticæ, cuius vertex est, consessu & concursu, posse vspiam demorari. Quis enim capiet, vt fieri queat, Episcopum Diuionem pede fixo incolere, suaque præsentia illustrare continua; Lingonis verò Officialem cum omni fori Episcopalis comitatu consistere, illicque omnes causas Ecclesiasticas ad se delatas excutere & decidere, Episcopô sine Episcopali audientia Diuione degentê, & Clerô ipso ac populo Diuionensi, sub Episcopi oculis Lingonam concurrente & vnde quotidie expeterẽt Iustitiam? si enim res ita se haberẽt (secus autem nequeunt, principiis quæ

* Matth. 24. 28.
* Deut. 17. a. 96. 8. ad 13.
* Ideo hunc Iuridicum Abulensis appellat *Pontificis Vicarium*. Et nunc quidem Officialis & Vicarius Episcopi, idem est in iure Ecclesiastico cap. 1. iũcta rubric. de off. Vicarij lib. 6. & *cap. Rom. de appell. eod. lib.*
* Ita factum in ipsa Ecclesiæ infantia patet ex dicto Apostoli 1. Cor. 6. v. 5.
* Episcopi siquidem & Officialis Tribunal seu auditorium idem est, *cap. 2. de consuetud. lib. 6. & præcitato cap. Romana glos. idem.* Quapropter Officialis Archiepiscopi de iisdem agnoscit causis de quibus Archiepiscopus, *cap. 1. de foro compet. l. 6.* Adeo vt si Suffraganeum excommunicauerit sentẽtia teneat. Quia etsi ordine sit minor Episcopo, iurisdictione tamen maior est, propter illum cuiusvices gerit, *glos. non attentent, de officio ordin.* lib. 6. Tamen non debet hoc præsumere ob Episcopalis dignitatis reuerentiam, quando ipse Archiepiscopus facile adiri potest, prout Innocentius 4. edicit ibidem. Cæterum Officialis

præmissa sunt stantibus obtingere) perinde esset ac si sol absque splendore cælo suo hæreret, vel alibi esse posset Papa, alibi Curia Apostolica. At verò vt naturaliter illud incomprehensibile est: sic & id legaliter & canonicè, vt sacri Iurisperiti eloquuntur, prorsùs est impossibile. Nam ibi omnino necesse est, vt sit Romana Curia vbi est Apostolica Sedes, * *cap. præsenti* 34. *de Præb. lib.* 6. & vbi est Papa, ibi esse dicitur ipsa Curia Romana, *cap. Licet, eôdem tit.*

Episcopi pro tribunali sedet, vbicumque ipsius Episcopi collocatur sedes, eôdem tit. & lib. c. 7. Et quæ decernit, eundem vigorem habent ac quæ Episcopus per se statuit aut iudicat, quoniam auctoritate eius fungitur qui eum creauit c. 1. § *nec pro eo* ibidem. Idcirco Officialis sententia dicitur sententia ipsius Episcopi, vnde ad Episcopum de ea prouocari non potest: sed ad Metropolitani deuoluitur appellatio. Sic Bonifacius 8. lib. 1. tit. de consuetud. c. 2. *Non putamus* (inquit) *illam consuetudinem quantocunque tempore de facto seruatam, consonam rationi, quod ab Officiali Episcopi ad eundem Episcopum valeat appellari, ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium vtriusque) appellatio interposita videatur.* Hinc dictorum in textu plena tibi suppetit probatio.

* Inde Romana Curia & Sedes Apostolica pro eodem in iure accipiuntur. *Clem.* 1. *& ibi glos.* 1. *vt lite pend.* Nam Roma censetur vbi est Papa, *cap. ego io. de iureiur.* Consulendus Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus in lib. *de comparatione vtriusque regiminis*, vbi salsè contra eos disputat qui Pontificem & Sedem Apostolicam adeo ab inuicem separabant, vt dicerent Papam sine summæ Sedis iniuria exagitari posse. Quorum insaniam deridet indicans, *nullo modo posse fieri, vt is qui locum Beati Petri tenet exhonoretur, Cathedra in honore permanente.* Et rectè, Cathedra siquidem & Pontifex ita sibi cohærent vt corpus & anima. Porrò vt Papæ Sedes Apostolica inhærescit: sic Episcopo Sedes Episcopalis, adeò vt vbi Episcopus residet, illic etiam posita Episcopalis Cathedra censeatur: Eôque ob causas Canonicas superius deductas, Sedem mutante, Canonici illum vt membra caput sequi debeant, 11. *dist. can. nolite, &* 12. *c. non decet, & can. celebritatem de consec. d.* 3. Huc spectat tritum illud Cypriani. *Ecclesia est in Episcopo & Episcopus in Ecclesia.*

Dicet fortassis Reuerendissimus Episcopus *huic incommodo se opportuno remedio facilè prouisurum, efficiendo vt duæ sint Curiæ Episcopales, duo sedilia iudicialia, quorum alterum Lingonibus persistet: alterum verò Diuione statuetur.* Ast hoc ipsum est, quod tanquam Ecclesiasticæ vnitati contrarium, Lingonensi Ecclesiæ & vrbi noxium, numquam se factum iri ex legum municipalium præscripto, Maiorúmque vsu & exemplo spopondit, solemníque ac multiplici præstito Sacramentô minimè vnquam cogitaturum aut conaturum, Clero ac populo Lingonensi iurauit: id denique ipsum quod Iulius II. cælestis regni Clauiger, sacrarum supremus rerum Arbiter, orbis Pater, sum-

imus Ecclesiæ iudex & legifer, Dei viuentis œcumenicus in terris Vicarius, Apostolico oraculo interdixit, peculiari rescripto prohibuit, inuiolabili vetuit statuto atque incommutabili præiudicio (ipso flagitante qui tunc Lingonensi Cathedræ gloriosè insidebat Antistite) ne vnquam fieret, aut à quoquam sequacium Præsulum vllatenus pertentaretur, Pontificiis suis tabulis æternæ memoriæ consignato, præpediuit.

Hæc verò Ecclesiæ Catholicæ diuino spiritu illustratæ lex fundamentalis est, & communis norma, perpetuaque praxis: vt Apostolica priuilegia, iudicia, statuta hierarchica, intemeratè seruentur, & ab omnibus cuiúsq; ipsa in Ecclesia sint gradus, dignitatis vel potestatis sacrosancta & illibata semper & vbique habeantur. * I. Et priuilegia quidem à summo indulta Pontifice (quale illud est quod Lingonensi Ecclesiæ de Curiæ Episcopalis Sede minimè diuidenda, à Iulio 2. impertitum, ipso Episcopô obsecrantê, commeminimus:) esse inuiolabilia, Lex ipsa Euangelica insinuat, docente Dominô, *se claues regni cælorum Petro Archiapostolo*, eiúsque successoribus tradidisse Matth. 16. ipsiq; ad dispensandum mysticæ gazæ diuitias, per gratiarum & indulgentiarum concessiones, totaliter commisisse, hac cum supremæ potestatis facultate, vt quicquid in terris erogârit ex diuini penu thesauri, ita sit ac habeatur ratum, sicuti ab ipso rege gloriæ fuisset è cælo condonatum. Hînc Apostolica priuilegia ac indulta, sacræ leges decernunt debere inconcussa permanere. Siquidem can. priuilegia 25. qu. 2. statuitur: *quæ in Ecclesiarum ac Sacerdotum gratiam & commodum priuilegia à summa Sede concessa fuerunt, inuiolata*

* Patres trium Conciliorum Africæ, Numidiæ, Bizaceni & Mauritaniæ in epistola Synodica ad Theodorum Papam, quem inscribunt *sanctum Patrem Patrum, & summũ omnium Præsulum Pontificem Apostolico culmine sublimatum*: peculiarẽ *omnem* asserunt reuerentiam Romanorum Pontificum Petri successorum decretis deberi, exque Patrum doctrina & Canonicis institutis, vbique & à quocunque ipsam deferendam. Extat tom. 2. Concil. p. 2. vide & can. *consequens est*, & can. *Nolite*, necnon & can. *hoc vestra*, dist. 11. & can institutionis 25. q. 1.

* Romanis vtique Pontificibus, quos vt pro veris Petri Apostolorũ Principis successorib⁹, ac Christi Vicariis Ecclesia *veritatis columna* semper agnouit: sic eãdem, quam Petrus ex diuino munere habuit, potestatẽ diuinitus consecutos vnanimiter professa est. Ideo Sardicenses Patres S. Petri memoriam in Pontifice Romano decreuerũt honorandam c. 5. Chalcedonenses,

cunctis temporibus seruanda esse. Quod & Leo magnus scribens ad Martianum Augustum epist. 54. c. 3. graui constituto confirmauit: sic decernens supremo è Petri solio. *Priuilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari.* Quin & summum Pontificem vt paternarum traditionum custodem, sic ipsorum priuilegiorum testatur vindicem existere. *In quo*, inquit, *opere auxiliante Christo fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum si paternarum regulæ sanctionum me conniuente, quod absit, violentur, & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuersæ domus Dei communis vtilitas.* Porrò Iulius I. qui S. Leonem vno ferè sæculo, Pontificalis consessus ordine antecessit, eodem sensu & spiritu ad Orientales rescripsit: *ea* quæ ab Apostolorum successoribus (Pontificibus vtique Romanis) *instituta vel indulta fuerunt nulla debere desidia negligi, nulla concertatione turbari, nulla dissensione violari.* * S. autem Gregorius, vtróque etsi temporum serie posterior, meritorum tamen par vtrique magnitudine, priuilegia Apostolica edixit incommutabili obseruantia custodiri, hac præclara sententia perennique constitutione lib. 7. epist. 17. *Institutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum Ecclesiæ sunt priuilegiis &*

Petrum in Leone locutum asseruerunt; imò Leonem Petri dignitate præditum, per Legatos summæ potestatis imperium obeuntem, vt Principem Ecclesiæ, vinc æque custodem à seruatore deputatum, impēse coluerunt. Constantinopolitani; Agathonem Petri non modo hæredē, sed viuum organum, & Spiritus sancti oraculū pene in sacris apicibus adorauerunt. Eadem mente & more Theodoretus ab æmulis exagitatus orabat, vt S. Leo, Petri Apostolica auctoritate qua pollebat in suā protectionem vteretur. Ideò S. Petrus Chrysologus Euticheтем Hæresiarcham, vt eidem B. Leoni tanquam ipsimet Petro se subderet & morem gereret, hortabatur. Ideò deniq; Cyrillus Alexandrinus docebat, summo huic Sacerdotij apici omnes Christi cultores debere ex diuino placito caput inclinare & Primates mūdi tāquā ipsi Domino IESV obedire, vt refert Gennadius Scolarius lib. de Papæ Primatu. qui auctor sanctitate non minus quam doctrina conspicuus, Concilio Florentino interfuit, in quo consona Græcorum cum Latinis confessione definitum est, *Romanum Pontificem Petri Apostolorum Principis successorem veriùm Christi Vicarium totius Ecclesiæ Patrem & Doctorem esse, eique ab ipso Domino pascendi regendique vniuersalem Ecclesiam plenam potestatem fuisse traditam.*

* Ioan. Sarisberiensi Carnot. Episcopi lib. 5. Polycr. c. 5. pulchrè de iurium rerumque Ecclesiasticarum inuiolabili disserit sanctitate: sed ex dictis eius hæc maximè notatu digna est sententia. *Reuerentia quæ in rerum veneratione consistit multiplex est. Aut enim corporales res sunt, vt ædes & loca sacra & quæ piјs dicantur vsibus, & sacrificia quæ visibiliter exercentur: aut incorporales vt iura quæ sacris rebus competunt quæ temerare sacrilegium est morte piandum, aliave pœna grauissima pro qualitate admissi. Rerum vero sacrarum immunitates conuellere, insurgere in Deum est, & quasi vendicare eum in seruitutem.*

ordinatione disposita, perpetua stabilitate & sine aliqua constituimus refragatione seruari, siue quæ scripto decreuimus, siue quæ in nostra præsentia videntur esse disposita: Nec à quoquam Pontificum in totum vel in partem, ea qualibet occasione conuelli decernimus vel mutari. Ipse verò sanctissimus Pontifex, tanta auctoritate voluit Apostolica priuilegia obfirmari, tanta religione à cunctis obseruari, vt ad calcem cuiusque munifici in pia loca pragmatici, comminationem horrendi anathematis aduersus impetitores quoscunque subiunxerit, atque abdicationem à gradu Præsulibus ipsis intentauerit. Sic legere est in priuilegiis concessis ab ipso Beatissimo Papa, Monasteriis S. Medardi Suessionensis, & sancti Martini in suburbano Agaunensi, quæ habentur in registro ipsius S. Greg. lib. 2. epist. 2. & lib. 11. epist. 8. & 10. Hæc verò firmandæ Apostolicæ concessionis formula, in prærogatiuis diplomatibus, à sequacibus per seriem Pontificibus, * hactenus comperitur fuisse, ex recepto more, vnanimiter seruata & propagata. Sed & tanta fuit apud Maiores nostros priuilegiorum à Sede Apostolica elicitorum auctoritas, vt sola eorum exhibitione grauissimæ controuersiæ in Synodicis consessibus sopirentur, sicut factum deprehendimus in Concilio 9. Cabilonensi: vbi grauem legitur querelam ** intulisse S. Hugo Abbas Cluniacensis, aduersus Drogonem Episcopum Matisconensem, qui nouo prorsùs hactenúsque inaudito excessu, sibi vt Cluniacense cœnobium Ecclesiæ Matisconensi, nihil ab ipsa fundatione obnoxium subigeret, nulla priuilegiorum Apostolicorum ratione habitâ, vallatus cuneis armatorum, celebrandæ Synodi fucum obtendens, non exhorruerat sacros

* Tanto autem zelo & studio Romani ipsi Pontifices iura & priuilegia Ecclesiarum coluerunt, vt testis sit S. ipse Gregorius scribens ad Phocam Imp. antiquam consuetudinem fuisse vt Apostolicæ Sedis Diaconus Constantinopoli in Palatio Imperatoris permaneret, qui & causas Ecclesiasticorum cognosceret, & iura Ecclesiarũ tutaretur. Quin & curæ fuit summis illis Ecclesiæ Rectoribus, non solùm vt ab Imperatoribus Ecclesiarum iura & priuilegia illæsa seruarentur, sed etiam vt à suis in Sede Apostolica successoribus strenue propagarentur, atque haberentur sacrosancta. Hinc in Diurno Pontificali cuius hanc in rem auctoritatem profert Iuo Carnotens. epist. 60. Pontifex Maximus hanc professionem ipsa in consecratione facere, de more recepto, obstringebatur. *Nihil de traditione, quam à probatissimis prædecessoribus meis traditam & seruatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere, sed feruenter vt eorum discipulus & sesquipeda, totu mentu mea conati-*

cros aditus prophano ausu impetere. At cùm locum sanctum expugnare nequiuisset, potenti repulsus obstaculo, vltioni indulgens, anathematis diram in cœnobitas protulerat sententiam. Quam iniuriam cùm non modò in Monasterij sui læsionem, S. Hugo, mox ad Sedem Apostolicam profectus, illatam assereret, sed in summorum etiam Pontificum qui sacris rescriptis Cluniacum Matisconensis Antistitis potestate exsoluerant, immunéque fore prorsùs decreuerant à Diœcesana subiectione, contemptum, ostenderet fuisse præsumptam: Petrus Damiani Ostiensis Episcopus, ab Alexandro II. Pontifice, vlciscendi contumacis facinoris causâ, asserendæque cum Cluniacensis Cœnobij immunitate, priuilegiorum Apostolicorum auctoritatis, in Galliam Legatus de latere destinatus fuit. A quo præfatâ Synodô coactâ, super hac impetitione accersitum Drogonem Episcopum, Hugo Cœnobiarcha pleno in Patrum consessu de excessu incusauit, exemptumque penitùs Monasterium asseuerauit suum: Iussu Legati sacrorúmque Procerum, vbi prolata fuissent Apostolica programmata, Synodico iudicio rata decretum est ipsa subsistere, temeratæque Pontificiæ auctoritatis Episcopum veniam deprecari. *Lecta quoque* (sic acta habent) *nihilominus sunt Sedis Apostolicæ priuilegia, de tuitione, munitione ac præfati Monasterij perpetua libertate per succedentium sibimet Romanorum Pontificum vicissitudines instituta: inquisiti sunt omnes Episcopi, si priuilegia quæ audierant rata decernerent, omnes vno ore concorditer laudauerunt, atque vt perpetuò seruanda, atque illibata permaneant communi iudicio decreuerunt. Et tanquam non hoc iudicium sub præconij communis acclamatione sufficeret, viri-*

bus, quæ tradita canonicè comperio, obseruare ac venerari profiteor. Non mirum igitur si antiqua Ecclesiastica disciplina adegerit Episcopos statum ac iura Ecclesiarum suarum se inconcussa habituros canonica sponsione pollicери: vt videre est in Concilio 11. Toletano c. 11. quem refricans præfatus Iuo ep. 73. sic subnectit. *Ipse enim summus Pontifex antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ Ecclesiæ, & decreta prædecessorum suorum se inuiolabiliter seruaturum profitetur. Sic reliqui Pontifices ante consecrationem examinantur.*

** Extat in Bibl. Cluniac. p. 510.

tim vnusquisque consulitur, ipse quoque Matisconensis inquiritur, qui nimirum non minùs quàm cæteri omnes Episcopi, rata priuilegia & inuiolabili ac perpetuo iure seruanda, liberè cunctis audientibus profitetur. Et quia in eisdem priuilegijs, hoc inter cætera sub anathematis intentatione cautum est, ne cuilibet Episcoporum liceat in præfati Cœnobij Monachos excommunicationis promulgare sententiam, Episcopus autem non absolutè (sic se funditus excusabat) excommunicationis iaculum intulit, sed ita vt perhibebat iræ commotus ait. Si qui sunt mei iuris in illo Monasterio, quos mihi liceat excommunicare, excommunico. Cùm igitur in hac excommunicatione prædictum Episcopum licet ignorantem contra priuilegia Romanæ Ecclesiæ quomodolibet egisse Abbas conuinceret: ille autem se priuilegiorum tenorem ac seriem se legisse vel agnouisse, constantissimè propulsaret: Tandem sancto decernente Concilio, ad hunc decisionis finem causa illa perducta est, vt præfatus Episcopus propriâ manu super sanctis Euangelijs superpositâ iuraret, sicque Apostolicæ Sedis Legato, sanctoque Concilio satisfaceret, sic autem proditur illicò noxam eluisse indiculum Sacramenti. Audiat (inquit ipsemet Episcopus Matiscensis) Dominus Petrus Ostiensis Episcopus, & omnis sancta Synodus, quia eo die, quo Cluniacum commotus adueni, non in contemptu seu despectu Sedis Apostolicæ, vel Domini Alexandri Romani Pontificis, hoc egi, & priuilegiorum tenorem ac seriem quæ modò in nostris auribus lecta sunt, tunc ad liquidum non cognoui, sic me Deus adiuuet & ista sancta Euangelia, &c. Illicò præfatus Matiscensis Episcopus, pauimento prostratus veniam petijt, seseque peccasse confessus, septem dierum pœnitentiam in pane & aqua ieiunaturus accepit. Iterum autẽ cùm non diu postea Landricus mediatus Drogonis successor, grauiora ipsi Mona-

ſterio in odium immunitatis intuliſſet diſpendia, Petrus Albanenſis Epiſcopus vindicandi Apoſtolicorum priuilegiorum ergò, Legatus à Gregorio VII. in Galliam venit,* à quo ſacrô euocatô cœtû, Landricus quoque, vt iudicio ſe ſiſteret compulſus eſt. *Ibid.p.511.& ſeq.
Iterúmque Apoſtolicæ Sedis lectis munificis reſcriptis, anathema fuit in eos inclamatum, qui priuilegia à Romanis Pontificibus indulta præſumerent temerare, acerbiùſque etiam actum fuiſſet cum ipſo Landrico, niſi Legati mandato & Patrum monitis acquieuiſſet, obedientiamque Apoſtolicis decretis plenariam ſpopondiſſet ſeſe in poſterum præſtiturum. En quanti fecerint Galliæ priſci Præſules, Apoſtolica priuilegia: quæ qui violaſſe conuinceretur (inquit Petrus Saniulianus, tractans de prædicto Cabilonenſi Concilio, Antiquitat. Matiſc. lib. 1. p.283.) non contra mutire permittebatur: ſed admiſſi piaculi fatendo reatum, obſtringebatur demiſsè veniam promereri. Ex his inſignis notæ exemplis, fit ſatis ſuperque exploratum, quòd ſi horum in Patrum conſeſſu, controuerſia quæ nunc vertitur inter Epiſcopum Lingonenſem, & ſuum Capitulum fuiſſet agitata, lectô Iulij II. priuilegiô (quo Eccleſiæ Lingonenſi is Pontifex indulſit, vt Epiſcopalis curia nunquam poſſit ab ea diuelli, nec ſecari Tribunal eius iuridicum, aut alibi vſpiam in Diœceſi per communicationem ſacræ iuriſdictionis inſtaurari:) conatus qui aduerſus huius conceſſionis tenorem inſtruuntur, Patres ipſi properè retruſiſſent: Epiſcopum verò qui non ſedilis quidem iudicialis, ſed Cathedræ ipſius Pontificalis diſſectionem aut duplicationem expetit & ſatagit, debitæ Pontificijs apicibus reuerentiæ rependen-

dæ feriò admonuiſſent, atque vt quieſceret ab hoc molimine eidem vel ſua auctoritate ſuaſiſſent, vel certè eius niſibus conſertis manibus repugnaſſent, atque Synodico iudicio omnia eiuſmodi conamina ſtuduiſſent auſpicatò retundere. Fuerunt ſiquidem ſummorum Pontificum prærogatiua reſcripta impertita Eccleſiis, à Patribus Gallicanis habita ſemper inuiolabilia ac prorsùs ſacroſancta. Vnde Arnulph. Lexou. ſcribebat ad Alexand. 3. epiſt. 41. *Priuilegia Romanorum Pontificum, quaſi quædam eorum teſtamenta credenda ſunt: nec à morte teſtatoris expirant, ſed potiùs ab ipſa contrahunt firmitatem, nec defectu perſonæ, ſublata perit authoritas eorum, quæ religiosè ſemel inſtituta noſcuntur.*

II. Porrò Iulij 2. diploma non modò priuilegij vim habet, ſed etiam iudicij aut ſaltem præiudicij patentiſſimi. Efferbuerat enim proximè elapſis ſæculis inter Præſules Lingonenſes & Clerum populúmque contentio, ob ſedilia forenſia ſeu vt aiunt Officialatus curias & auditoria, Epiſcoporum nutu vel conniuentia diuerſis in Diœceſis oppidis erecta & pedetentim inſtaurata. Quoniam curiæ Epiſcopalis & Tribunalis Eccleſiaſtici, ac ſacræ iuriſdictionis diſtractione, dignitas Matricis Eccleſiæ minuebatur, ſenſimque excidebat; vrbi verò plurimùm ornamenti & incolis commodi hoc diſcidio ſurripiebatur. Magno igitur æſtu & zelo à Cathedraticis Canonicis & vrbicis Decurionibus deſudatum eſt, vt Pontificiæ iuriſdictionis curiam, temporum iniuria vel æmulorum malitia ſic diſpertitam vindicarent, atque ad ſinum Eccleſiæ Matricis, vti ad centrum, reuocarent, hancque vt tot ſæculis conſtiterat intra vrbis concluderent ambitum. Pijs igitur ſuis expoſtulationibus Epiſcopos per

Papę auctoritatem contemnere, & eius decretis refragari, idem ac Spiritui ſancto repugnare Gallicani Epiſcopi cenſuerunt, qui in cauſa Contumelioſi Epiſcopi Regienſis Iudices ſub Cæſario Arelatenſi, Ioannis PP. 2. Legato, conſedere; Apud Sirmond. Tom. 1. antiq. Cōcil. Gall. p. 234. & 236. Scitè ideò ac ſanctè Goffridus Epiſcop. Carnot. ſcribebat ad æquiuocum ſuum Vindocinenſem Abbatem, ſe non audere ſummorum Pontificum priuilegiis; etiam in Diœceſanæ auctoritatis diſpendium editis, ipſi autem Abbati conceſſis repugnare. *Quorum*, inquit, *viſis priuilegiis* (Vrbani & Paſchalis 2.) *cùm eis reſiſtere nec vellemus, nec poſſemus*, ſine *profeſſione illum* (Fromundum eiuſdem Abbatis deceſſorem) *benediximus.* Refert integram Chartulam ipſemet R. P. Sirmond. in notis ad Goffrid. Vindoc. epiſt. 26. lib. 2.

ſeriem ſedentes compulerunt, vt Eccleſiæ Principis dignitatem, nouâ noxiáque plurium eiuſmodi ſedium excitatione collapſam, opportuno tandem remedio reſarcirent, atque fortiſſimo etiam propugnaculo communirent, ni ſemel reſtaurata ſimili in poſterum ſciſſurâ dilaberetur. Annuerunt tandem Cleri ac populi æquis ſupplicationibus, religioſiſſimi benigniſſimíque Antiſtites: atque ne vnquam iuridica Sedes Eccleſiaſtica à quoquam huius Eccleſiæ Præſide diuideretur aut diſtraheretur, non modò promiſerunt data fide indiuiſum Tribunal curiæ Epiſcopalis Lingonibus conſeruare, ſed inſuper vt eorum ſucceſſores illibatam hanc prærogatiuam Hierarchici Principatus, Epiſcopali vrbi aſtruerent: initô cum Clero & populo religioſo fœdere ſtatuerunt, vt quiſque recens ordinatus Epiſcopus, vrbem ineundo præſtare Sacramentum ſolemne teneretur, de non diuellenda ab vrbe iuriſdictionis Eccleſiaſticæ curia in toto vel in parte. Quem ritum municipalis legis vigore voluerunt eſſe ſtabilitum, adeòvt fas non eſſet Epiſcopo in vrbem introire, priuſquàm eiuſmodi iuramentum ſub ſacroſancta numinis obteſtatione exeruiſſet, ſicque vt demonſtrauimus vſu inualuit, à Paſtore & grege, vtrímque receptô more. Verùm cùm oppidorum incolæ, qui gliſcente corruptelâ, auditoria Eccleſiaſtica ſibi vendicauerant, eorum ſuppreſſioni obniterentur, nec monitis, nec precibus vellent ſuorum ipſorum Antiſtitum obſecundare: tandem Ioannes de Amboſia perdignus Præſul Lingonenſis, ſarciendæ vnitatis & pacis ſua in Diœceſi cura ac amore, ſanctionem edidit qua Epiſcopali auctoritate vetuit vllum iuridicum conſeſſum Ec-

clesiasticum, alibi quàm in Episcopali vrbe haberi, hocque vnicum Tribunal sacræ iurisdictionis decreuit semper indiuisum consistere, abrogatis quibúsque aliis auditoriis, & subselliis forensibus penitus submotis. Quam constitutionem cùm Clerus Cathedraticus, Capitulari decreto pro lege perenni recepisset, atque vnanimi astipulatione comprobasset: nec tamen illi refragatores quicquam cederent, sed mordicùs sua velle sedilia retinere viderentur, Romam ex parte Episcopi, & Cleri populíque Lingonensis itum est, réque omni ad summi Pontificis Iulij II. cognitionem deuolutâ: atque æquo libramine ab ipso supremo Ecclesiæ Iudice ponderatâ, prælibata Episcopi & Cleri sanctio, Apostolica auctoritate laudata est, editúmque Pontificium diploma* quo definitum fuit, non plus quàm vnum Tribunal Ecclesiasticum, tota in Diœcesi Lingonensi permitti oportere, hoc ipsum Lingonensi Ecclesiæ Principi debere perpetim & inconcussè inhærere, ideóque alia omnia nuperis temporibus excitata, diuersis in Lingonensis Episcopij locis subsellia, omninò amouenda esse & nunquam restauranda. Hoc verò decreto Apostolico quod authentici iudicij vim, nemo inficiabitur obtinere, dissectionem & duplicationem Episcopalis solij fuisse constat, dictante Christi Vicario prohibitam solemni præiudicio: cùm vt ostendimus hîc de minori ad maius ratio procedat. Nam qui inhibet columnam concutere, multò magis vetat conuellere, quæ eam sustentat stylobatem. Porrò hinc fortissimum habent Cathedratici Lingonenses aduersus sui Episcopi cœpta præsidium: Enimuerò axiomata sunt* Canonica [a] *Generi per speciem derogari:*

* Exscriptum est infrà ad calcem operis.

* In regulis iuris [a] regul. 34. [b] reg. 74. [c] reg. 64.

[b] *cùm quid vnâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ, non debere admitti:* [c] *quæ contra ius fiunt, ipso iure penitus irritari.* At nulli itidem licet ambigere, an id quod nunc adoritur Episcopus, contra ius ab eo pertentetur, vergit enim contra Apostolici tenorem decreti, imò iudicij, quo iis quæ insumpsit & promouet consiliis, sagaci opportunóque præiudicio pridem fuit sacrosancta auctoritate obuiatum. Datô enim sicut à nobis conuictum est, quod Iulij II. Pontificis prælibata sanctio, iudicij pondus habeat, suo sanè vigore, non tantùm præiudicium, nitenti Episcopo dissectionem Pontificiæ Sedis irrogat; verùmetiam firmissimum ac ineluctabile obstaculum interponit. Cùm Apostolicæ Sedis iudicia inuiolabilia sint, atque sacrosancta debeant ab omnibus præsertim Ecclesiasticis Præsulibus existimari. *Non potest* (scribit Gelasius PP. ad Faustum Legatum *) *Apostolicæ Sedis sententia à quoquam resolui, quam & vox Christi & Maiorum traditio, & Canonũ fulsit auctoritas.* Vnde & qui ante Gelasium diù satis Ecclesiæ præfuit, Innocentius I. edixit, * vt quisquis Episcopus iudicio Apostolicæ Sedis refragaretur, iudicio ipse Apostolico fieret obnoxius. Hilarius autem summus Ecclesiæ Hierarcha, qui Leone magno ad præmium abeunte, gubernacula nauis Apostolicæ suscepit moderanda: in ea quam scribit Epistola ad Leontium Foro-Iuliensem Episcopum aliósque Præsules Viennensis Prouinciæ, par esse piaculum declarat, iudicio Apostolici Pontificis obniti, atque Christo ipsi Domino repugnare. *Nihil,* inquit, *aduersum venerandos Canones, nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei iudicium valeat. Nolumus namque Ecclesiarum priuilegia quæ semper sunt seruanda confundi,*

* In Commonitorio ad eundem contra Euphemiũ Patriarch. CP. Tom. 2. Conc.

* Epist. ad Rufinum & cæteros Episcopos per Thessaliam constitutos.

Epist. 4.

&c infrà, *quia per hoc non minùs in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur.* * Ideóque in Concilio Romano Nicolao I. Pontifice ac Præſide anathema iis inclamatum fuit, quicúmque Apoſtolicæ Sedis priuilegia vel iudicia aliáque programmata in commodum & præſidium Eccleſiarum edita contemnerent vel tranſilirent. *Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones vel decreta pro interdictione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.* Et iure quidem meritiſſimo; nam ſi olim qui Leuitici Pontificis iudicio obedire detrectabat, politici Iudicis ſententiâ exitio addicebatur, *ne malum*, ait ſacer contextus, *in Iſraël* peſſimo hoc exẽplo excitatum pullularet. Certè qui Apoſtolicis iudiciis refragatur, Romani Pontificis, ſummi poſt Chriſtum Dominum totius religionis Chriſtianæ Ducis ac Iudicis, qui Chriſti ipſius Vicariam perſonam gerit, & in quo ob huius repræſentationis Sacramentum & creditum humanæ ſalutis miniſterium, totiúſque Eccleſiæ patrocinium & imperium Deus, Opt. Max. incommutabilem ſibi obedientiam reſeruauit, ſententiis & decretis hierarchicis audet obluctari, eáque ſpernere, vel impetere, fit diuinæ non humanæ animaduerſionis reus. Sic enim dicebat Petrus primus Chriſti Vicarius Ananiæ qui ſibi Apoſtolorum apici illudere non exhorruerat, non homini ſed Deo contumeliam ipſum intuliſſe; * quapropter & diuina vſus qua in terris fungebatur auctoritate ſpiritu oris ſui, Apoſtolici honoris temeratorem interfecit, ſtupendæque huius vltionis exemplo, omnes qui Sedi Apoſtolicæ iniurij vel immorigeri forent,

* Quod Domini quoque firmatur oraculo Apoſtolis ſuis (quorum primus, hoc eſt Princeps & vertex fuit Petrus, Matth 10. 2.) dicentis. *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Luc. 10. 16.

Deut. 17. 12. Vide Sigonium lib. 6. de Repub. Hebræor.

* Huc pertinet quod ſcribit S. Paulus, cuius eſt Pontifex Romanus æquè ac B. Petri verus & vnicus hæres, 1. Theſſ 4. *Qui hæc ſpernit non hominem ſpernit, ſed Deum qui Spiritum ſuum ſanctũ nobis dedit.*

rent, velut fulmine cælitus delapso perculit. Sed non tantùm quandiù in terris sedit Petrus, imò & postquàm cruce in cœlum euectus, in regno gloriæ consedit: quàm seuerè in illos semper animaduertit qui sui successoris imperio, decreto, iudicio ausi sunt se opponere, vel visi sunt eius mandata aut programmata aspernari. At non est huius loci horum historiam texere: * cùm eo cum Episcopo agatur, qui Sedi Apostolicæ religiosissimè obsequitur, summíque Pontificis supremam auctoritatem adeò reueretur, vt pro oraculis habeat quicquid è Petri solio ipsemet sacræ potestatis apex & Oecumenicus Ecclesiæ Iudex, vel ex gratia indulserit, vel ex iustitia dictauerit: modò ex sublimi hoc throno, priuilegia, vel Iudicia eiusmodi cognoscat emanasse. III. Porrò Apostolicũ rescriptum, cuius vim & auctoritatẽ inculcamus, non modò priuilegij gratiam obtinet & iudicii vigorem, sed & Pontificiæ constitutionis insuper habet pondus. Non enim Iulius 2. Ecclesiæ Cathedraticæ Lingonensi hanc tantùm immunitatem impertiuit, vt in capite vel membris nunquam posset diuelli. Nec suo duntaxat iudicio subsellia extra Episcopalem vrbem exequendæ mysticæ iurisdictionis causâ instaurata; & in Matricis Ecclesiæ detrimentum & vnitatis Hierarchicæ dissidium erecta, submouit ac euertit: sed insuper eodem suo Apostolico diplomate edixit vt iurisdictionis Ecclesiasticæ Curia Lingonibus inconcussè persisteret, indiuiduáque ac integra ibi perpetuis temporibus ab Episcopis seruaretur. Constitutionis igitur Apostolicæ sibi vendicat auctoritatem Pontificium eiusmodi pragmaticum: ex qua ratione peculiarem etiam efficaciam consequitur. Nam A-

* Vide in huius enarrationis vicem Commentarium rerum gestarum sanctissimi Apostolorum Principis Petri, è sacris scripturis SS Patribus & probatissimis scriptoribus concinnatum opera ac studio P. Caroli Stengelij Benedictini &c. Romæ editum & Paulo 5. Pontifici Max. dicatum.

Inserta est sub nota epist. Act. 3. Synodi 8. Oecum.

postolicæ Sedis de Christianæ doctrinæ Theoria & sacræ disciplinæ Oeconomia constitutiones, vim habent legis inuiolabilis, resque apud omnes orthodoxos explorata est, quòd sicut summi Pontificis (cuius vt ad Nicolaum I. dudum scribebat S. Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha, æquè *sacrosancta ac inculpata est potestas*) Iudicia à quoquam retractari nequeunt, sic nec ipsius sanctiones Ecclesiasticæ à nullo quisquis sit mortalium irritari possunt, imò nec sine grauis piaculi reatu impeti aut temerari. In Concilio Chalcedonensi acclamatum est anathema iis qui vsque ad vnum iota Leonis magni, cuius rugitus, Petri voces dicebantur, dogmaticam non reciperent Epistolam. In 8. autem Synodo generali, quæ quarta fuit Constantinopolitana actione 4. diris deuotus ac execrationibus obrutus est Photius schismaticus, quòd inquisitus, an Pontificum Romanorum statuta reciperet, doloso silentio abnuere videretur. Atque ibidem act. vltima, c. 2. Canonica vltio extrema intentata est his, qui Apostolicorum Pontificum (qui Spiritus sancti instrumenta sunt) decretis obsecundare recusauerint, aut quicquam ex horum capitibus rescindere aut oppugnare ausi fuerint. *Quod si quis deprehensus* (inquiunt Oecumenici huius consessus Catholicæ Ecclesiæ Proceres) *post hanc nostram sanctionem, ex his capitibus* * *quidquam ab illis editum resciderit: Sacerdos aut Clericus de gradu suo deijciatur, Monachus aut Laicus à cœtu Christianorum, quoad eum facti pœniteat, excludatur.* Et S. quidem Ambrosius pridem antea exclamauerat in Concilio Aquileiensi: Indignum esse Pontificatu, qui Pontificum stare decretis abnueret. Quod etsi de Episcoporum iudiciis in Sy-

* *Quæcumque*, (scilicet, *à beatissimo Papa Nicolao* (sic habet initium huius Canonis) *veluti Spiritus sancti instrumento, eiusq. successore sanctissimo Papa Hadriano declarata sunt: quæque diuersis temporibus de constituenda componendaque Ecclesia CP. &c pronuntiata sunt, &c.*

nodo Prouinciali vel Nationali (de qua agit eo loci Ambrosius) prolatis quis possit accipere: maiori tamen ratione de summorum Pontificum Romanorum (qui ipso teste Ambrosio * *rectores domus Dei sunt & ianuæ cælestis regni custodes*, Christique speciales Vicarij, ac ouilis Christiani supremi Pastores) decretis ac constitutionibus Petri è throno editis potest ac debet intelligi. Sapienter enim Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum obseruauit & docuit Cathedram Petri cui insidet Romanus Antistes Cathedræ Moysi in eo successisse, quòd non minùs, imò magis, Petrus & eius successores quàm olim Moyses & Aaron ex officio summi Sacerdotij leges ferre possint, & decreta ac statuta circa doctrinam, disciplinam & Ecclesiarum ordinem sancire. * Eâdem verò mente præditus Gennadius Massiliensis Presbyter, eius libri opifex qui extat apud S. Augustinum tom. 3. inscriptus de Ecclesiasticis dogmatibus, Zozimi Papæ auctoritatem piè & eleganter *Regularem* appellabat, cap. 26. eapropter quod sola esset sufficiens ad Ecclesiasticas regulas præfigendas condendósq; Canones, & Hierarchicas sanciendas constitutiones. Qua & ratione iussiones Apostolicæ Sedis, & mandata aut statuta Romani Pontificis, obstrictoriam vim S. Augustinus ** sic habere censebat, vt obsequendi *necessitatem* Ecclesiarum Præsulibus, ipsa ingerere, ore & opere profiteretur. Et Theologorum quidem communis est sententia Papam qui vniuersalis Ecclesiæ summus sub Christo moderator est * leges condere posse & statuta circa res sacras præscribere, quæ omnes Laicos & Clericos ipsosque Præsules in conscientia obligare valeant. Id palam professi sunt præ-

* In cap. 3. 1. ad Timoth. & lib. 1. ep. 7. ad Siricium PP.

* Ideòque decreta Romanorum Pôtificum Ecclesiastica perpetuam habent vim canonum, etiamsi libris canonum non sint inscripta, *can. si Romanorum dist.* 20. Nota in his omnibus quæ pro suprema summi Pôtificis in Ecclesia auctoritate afferimus: summam Regum potestatem temporalem nos exceptam intelligere. Nec enim distincta Imperia confundere nitimur: sed ex præcipuo operis huius instituto studem' vnitatem Ecclesiasticam tragicè à pacis Christianæ, & sacri principatus osoribus, dilaceratam, sarcire.

** Epist. 157. ad Optatum Episcopum ipso in limine. Idem & Patres Ephesini Concilij Oecumenici professi sunt in sententia aduers. Nestorium quod & Nicolaus I. notat epist. 9. ad Mich. Imp. CP.

* Vide S. Thomam in Opusc. contra Græcos, Card. Ca-

ietanum lib. de instit. & auctoritate Romani Pontificis, Robertum Arboricensem Episc. tom. 2. de vtriusque gladij potestate, & Remundum Ruffum in lib. aduers. Carol. Molinæum.

* Non vnam duntaxat, sed duas pseudosynodos coactas fuisse à Photio ex Epistolis Nicolai & Hadriani Rom. Pontif. actisque octauæ Synodi generalis colligimus, maximè verò ex cap. 2. act. 7. Et in vna quidem Legatos Sedis Apostolicæ vt mandata sua transilirent damnando Ignatium, compulisse constat ex epist. Nicolai 7. & 8. In alia verò Legatos supposuisse liquet ex act. 8 Concilij Oecumenici præcitati.

fatæ Synodi octauæ Patres. Nam eo in plenario Catholicæ Ecclesiæ conuentu, Papæ decreta vim Canonis habere, hocque nomine censenda esse, perspicuè declaratum est. Cùm enim ibi de Pseudolegatis ageretur, qui in Conciliabulo, seu vt Magnus scribit Nicolaus, latrocinali Concilio acto sub Photio contra Ignatium * à Sede Apostolica sese missos, vt cœtui interessent, & robur gestis Synodicis auctoritate summæ ipsius Sedis adijcerent, non veriti fuerant comminisci: Patribus visum est ad eos qui hoc scelus admiserant damnandos, latam pridem in quosuis eiusmodi fictores ac impostores à Martino Papa sententiam, quam Canonem appellabant, aduersus hos intorquere. Ideòque communi placito, Canon ipse quod legem faceret inuiolabilem cunctis audientibus perlectus fuit act. 8. Nec à sacro consessu sancitum vt vim in posterum obtineret, sed simpliciter admissus, quòd omnibus persuasum esset, ex se plenam habere canonicæ constitutionis firmitatem. Ita ad damnandos Iconomachos, quorum antesignanus Crithinus ad Synodum iubente Basilio Imperatore adductus, Catholico dogmati de pio imaginum cultu noluerat acquiescere: superuacaneum censuere Patres, Canonem Synodalem cudere: cùm Nicolai Papæ sanctio extaret Apostolica, qua & fides declarata & probata, & hæresis damnata, sequacésque nefandi dogmatis anathemati fuerant suppositi. Canonica igitur sanctio ipsius Beatissimi Papæ publicè recitata est: moxque à Patribus regulam Apostolicam sequentibus, anathema aduersus Crithinum eiusque sectatores votis ac vocibus consonis acclamatum. Quid quod Synodicos Canones virtutem & ef-

ficaciam à Papæ poteſtate recipere patenter Patres Concilij Conſtantinopolitani contra Acephalos celebrati cognouerunt? Siquidem in ſententia Synodali contra Anthimum edita, quæ legitur in 5. Synodi huius actione, gratias Chriſto Domino referunt immortales, quòd eius nutu Agapitus Papa veniens Conſtantinopolim, proculcatos Niceni, Epheſini, ac Chalcedonenſis Conciliorum Canones ab Anthimo & eius ſymmyſtis erexerit, iiſque marceſcentibus, diuina & Apoſtolica auctoritate, diù à piis quibuſque deſideratum tandem indiderit vigorem. *At magno Deo & Saluatore noſtro* (inquiunt) *non permittente talia vſque in finem procedere, miſſus eſt huic regiæ vrbi ſecundùm ipſius deitatem, Agapitus ſancta & beatæ memoriæ Papa beatiſſimus, qui ſtatim ſacris Canonibus MANVM CVM DEO PORREXIT, & ipſum Anthimum de ſua Sede, ſibi non conueniente, depulit.* Nec enim aliud ſonat, *manum cum Deo Canonibus porrigere*, quàm iis diuinam vim, cuius Apoſtolica dextera omnipotentiæ organum eſt, energiam ſua auctoritate impertiri. Ideò ante ipſam Synodum celebratam, Orientales Epiſcopi in ſupplici libello ipſimet ſanctiſſimo Pontifici porrecto aduerſus antedictum hæreticum, enixè petunt ab ipſo Papa Epiſcopali ſolio illum mox deijci ac expelli, quem Apoſtolicæ Sedis iudicio, Pontificúmque antecedentium oraculis, plenè iam conſtaret in cauſa fidei eſſe damnatum. Porrò in prima actione alia recitatur eorumdem ad ipſummet Pontificem epiſtola, qua ſic contra hæreſeωn ſatores gladij Apoſtolici exeri obſecrant mucronem, vt Eccleſiæ quietem in manu Pontificis omninò aſſerant repoſitam eſſe, cuius auctoritas adeò ſit efficax, vt

Tom. 2. Concil. part. 1.

conatus impiorum non modò retundere queat, sed (quod Synodi præhabitæ minimè præstare suis decretis potuerant) penitus comprimere, atque obruere tot scandalorum auctores. Subnectunt verò sanctissimi Patris sententiam, paternis eiusdem decretis antea prolatis consonam, finem perfectum dissidio posse suborto imponere, eo quòd Apostolici Præsulis sententia non humana vox sit, sed diuina. Ideò in 5. Synodo generali quæ post Agapiti Papæ felicem ad Christum migrationem, aduersus Eutichianos sub Vigilio mediato eius successore habita est, collatione 2. legitur & probatur Eutichij Constantinopolitani Patriarchæ, tam proprio quàm communi Orientalium nomine directa, ad ipsum Vigilium Pontificem rescriptio. In qua Epistolæ decretales summorum Pontificum de fide scriptæ, sicut quatuor Conciliorum primariorum definitiones omni reuerentia suscipiuntur, habenturque tanquam sacræ doctrinæ Canonicæ perscriptiones. Et condere quidem posse summum Pontificem circa fidem canones, res explorata est, ipso iudicio Catholicæ Ecclesiæ, quæ super exortis de fide controuersiis, ipsius Pontificis iudicium, quasi viuum Dei in terris oraculum, non modò consuluit, sed eius sententiæ ita acquieuit, vt quod Papa è Cathedra Apostolica definierat, * pro firma ac fixa regula certáque determinatione haberi voluerit: hæreseos verò ab ipso Pontifice etiam sine Synodico plenario consessu damnatos, prorsùs exhorruerit * atque pro indubitatis hæreticis habendos censuerit. Sic factum in Pelagij, Aerij, Priscilliani, Iouiniani, Vigilantij aliorúmque multorum hæresibus, quas Apostolicæ Sedis iudicio reprobatas ac profliga-

* Nota omnia Pontificum rescripta quæ in Decretalibus referuntur, non esse Apostolica decreta. Non enim semper Pontifices è Cathedra loquuntur, vel vt Pontifices scribũt. Quapropter Cardinalis Bellarm. eorum argumenta iure spernit qui ex eiusmodi rescriptis, seu suppositis, seu à Pontificibus vt priuatis Doctoribus editis vim priuilegio Sedis Apostolicæ Præsulibus diuinitus collato, inconcussæ in fide firmitatis inferre conantur; & ex dictis quibusque errores in fide Pontificibus vt Christi Vicariis & Petri successoribus imponere non verentur. *Constat* (inquit Bellarm.) *multa esse in epistolis Decretalibus quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solùm opiniones Pontificum de ea re nobis declarant.* Lib. 4. de Rom. Pontifice c. 4.

* Id vel Caluinus non obscurè fatetur lib. 4. Instit. c. 7 vbi ait apud veteres habitã notam pietatis communionis nexu Ro-

tas legimus, sine Oecumenici conuentus Ecclesiastici expresso suffragio. Cùm autem Pontifex Maximus regulas circa fidem possit statuere; quæ à quocunque sine violatæ religionis nexu temerari nequeunt: ita & Canones circa mores & disciplinam Ecclesiasticam condere potest, quorum adeò obseruatio inuiolabilis sit, vt hos nemo citra diuinæ Maiestatis offensam & conscientiæ labem possit transilire. Ideò in Decretorum suorum calce summi Pontifices Dei omnipotentis, Apostolorúmque, quorum solium tenent, indignationem passim refractariis interminantur. Ecclesia verò semper suspectos de hæresi habuit, qui summi Pontificis sancitas de sacra Politia leges procaciter contemnere viderentur. Ratio à Gofrido Vindocinensi huius rei eximia assignatur, epist. 30. *Quoniam*, inquit, *eodem spiritu quo dictante & lex prima per Moysen data est, & per Christum secunda; sancta & Apostolica Sedes, leges quas Canones appellamus dedit & ipso inspirante exposuit.* Hanc & attingit Petrus Cellensis lib. 6. epist. 23. vbi ait Religionis ipsis sanctis summísque Rectoribus, Deum sua sic consilia reuelasse, *Vt etiam ad supplementum Euangeliorum, Epistolarum, & Prophetarũ perpetua stabilitate Canones & Decreta statuerint, pari penè obseruantia cum Euangelio tenenda.* Nec modò Occidentalium hæc fuit Doctorum persuasio vulgaris, sed & Orientalium mystarum eadem fuit de Apostolicæ Sedis Antistitum decretis seu canonicis sanctionibus existimatio. Testatur siquidem Barlaam Episcopus Giracensis epist. 1. ad Græcos, *de vnione Romanæ Ecclesiæ & processione Spiritus sancti*, * regulares Epistolas Romanorum Pontificum, ab eis in vniuersas Orbis partes cùm ad promouendam Chri-

manæ Ecclesiæ fuisse cõiunctum. Summum e contra dedecus eius à gremio alienum esse atque sacræ synaxis commercio ab ipsa præcisum § 5. Idem §. 12. hanc fuisse priscis temporibus Romano Pontifici potestatẽ, vt quos Episcopi freno coercere non poterant, ipse reprimeret; perduelles qui vnitatem fidei proscindebant castigaret, & §. 13. dura capita eliderer. Quo verbo vt maximam Pontificis in peruicacia hæreticorum retundenda auctoritatem agnoscit, sic perspicuè satis insinuat multos falsorum dogmatum auctores iam olim Pontificis summi potentia domitos, ac profligatos fuisse, vimq; qua impietatem eorum Ecclesia cõpressit, à Petræ quam Christus in fundamento posuit, ineluctabili robore, ac soliditate perpetua dimanasse. Nec dubium quin Ecclesia enascentes hæreses *Coryphææ Sedis, in qua* (vt ait Gennadius Patriarcha C-P. dictus antea Georgius Scholarius, in fine defensionis Cõcilij Florentini) *claues fidei posuit Christus*, & Ecclesiastici impe-

ſtianæ pietatis doctrinam, tum ad ſtatuendam ſeu ſarciendam diſciplinam, politiámque ſacram ordinandam directas, iam olim in Græcia ſummæ auctoritatis pondus obtinuiſſe; hactenúſque etiam poſt conflatum ſchiſma, in Orientalibus Eccleſiis permulta religioſè obſeruari, à Romanis Pontificibus, qui à Beato Clemente vſque ad ſanctum Silueſtrum, orbis curam geſſerunt, piè inſtituta atque ab eorum conſtitutionibus originem habentia. Commendat verò ex eo maximè Occidentalis Eccleſiæ ordinem, vnionem, concordiam quòd vnico Hierarchiæ Principi ſumma conſenſione tota ſubiaceat, mirâque quam defert ſummo Pontifici iubenti, decernenti, iudicanti obedientia eniteat. *Huius quidem gentis vniuerſa multitudo*, inquit, *ſub vno eſt ordinata principio, Eccleſia videlicet Romana & eius Præſule, quem omnes honorant & metuunt: non tanquam armis & vi dominantem, nec tanquam humana lege vel gentis ſucceßione, vel multitudinis tumore dominium ſumentem: ſed tanquam ab ipſo Chriſto Domino ordinatum, & in terris vices gerere ab eo conſtitutum. Itaque illius mandata cum omni reuerentia, omnes, non tanquam Apoſtolica tantùm, verùm etiam Dominica ſcripta recipiunt & adorant, & nihil ita durum ab eo iubetur*, (circa religionis, vt poſtea innuit, œconomiam) *vt non quietè parati ſint ad implendum: & omnes ab illo eo corrigi ſua & retractari ſuſcipiunt: omniumque ab eo dependet ſacerdotium.* Præclariori hoc ipſum teſtificatus eſt monimento, ſanctus Bonifacius Epiſcopus Moguntinus & Martyr, vt refert Deus-dedit Presbyter Cardinalis tituli Apoſtolorum in Eudoxia ſub Victore 3. Papa, lib.* 1. de rebus Eccleſiaſticis c. 251. ex dictis & geſtis eiuſdem beati viri concinnato. Hæc enim

ibi de

rij faſtigium ipſiuſque Eccleſiæ fundamentum, auctoritate conterendo, ad illud Propheticum reſpexerit, idque reipſa impleuerit *Filia Babylonis miſera, Beatus qui tenebit & allidit paruulos tuos ad petram, Pſalm. 136.* hoc eſt fœtus impietatis nouellos ad Petram Apoſtolicæ fidei illidet ac antequam vires capiant enecabit.

* Extat apud Henricum Caniſium tom. 6 antiquæ lection. & tom. 3. Biblioth. SS. Patrum.

* Mſſ. ſeruatur in Bibliotheca Vaticana, cum tribus aliis eiuſdem tituli. Refertur in nouo decreto, diſt. 40. poſt can. *ſi Papa.*

ibi de Romanæ Ecclesiæ præeminentia, Pontificisque maximi potestate, illustris aureáque prorsùs ipsius Martyris contexta hæret sententia. *Sancta Romana Ecclesia, priuilegio specialis auctoritatis diuinitus & humanitus caput omnium Ecclesiarum post Christum Iesum effecta, secundùm Antistitis vel rectoris sui qualitatem & valetudinem, afficit totius Christianitatis membra, vt illius incolumitati sua respondeant incolumitate, & congaudeant, & nihilominus eius langoribus suo langore consentiant, & sicut eius gloria, iuxta Apostolum, conglorificantur, sic eius deiectione deijciuntur, &c. Et re vera tanta reuerentia apicem præfatæ Apostolicæ Sedis omnes suspiciunt, vt nonnullam* SACRORVM CANONVM DISCIPLINAM, *& antiquam Christianæ religionis institutionem magis ab ore Præsulis eius, quàm à sacris paginis & paternis traditionibus:* (quibus tamen sibi prælucentibus docet & regit Ecclesiam *) *expetant: illius velle illius nolle tantùm explorant, vt ad eius arbitrium suam conuersationem & ipsi remittant, aut intendant. Quod si, vt summopere sibi & omnibus expedit, Zelo domus Dei sine intermissione tabescens fidelis dispensator & prudens existens, Deo & hominibus opere & sermone irreprehensibilem sese conseruare studuerit, vt verè fatear vniuersum penè mundum secum attonitum & sollicitum post Deum currere facit: ex vtroque sexu populos diuersæ professionis, conditionis & ætatis cateruatim Domino suo, super omnia bona sua constituendus ducit. Si verò suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus (quòd magis officit sibi & omnibus; nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Cuius culpas istic redarguere præsumit mortalium nul-*

* Vide replicationem inclytæ memoriæ Cardinalis Perronij ad Ministrorum Caluinistarum quorumdam respōsionem super extraordinaria quam prætendunt vocatione, &c. Inter diuersa præclari ipsius auctoris opera pag. 73. sect. 61.

lus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi forte deprehendatur à fide deuius. * *Pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertunt propensius pendere. Saluo enim diuinæ omnipotentiæ mysterio, vt dignum est, loco ab ipso secundo, illud beati Iob non incongruè aptari sanctæ Romanæ Ecclesiæ potest:* * SI DESTRVXERIT NEMO EST QVI ÆDIFICET, ET SI INCLVSERIT HOMINEM, NVLLVS EST QVI APERIAT EI, SI CONTINVERIT AQVAS OMNIA SICCABVNTVR, ET SI EMISERIT EAS SVBVERTENT TERRAM. *Nec immeritò, cùm ipse specialius in Petro cœli terræque retentet habenas.* * *Hæc cùm omnium fidelium in Christo spiritalis sit mater, nemo debet renuere illius feriri disciplina, vel emendari censura, iuxta illa Prouerbia Salomonis. Ne dimittas legem matris tuæ, riga eam in corde tuo iugiter, qui enim abijcit disciplinam infelix est, & stultus homo despicit matrem suam.* Hæc ille Martyrij aureola coronatus Germaniæ Apostolus. Qui per *leges Ecclesiæ Romanæ*, Canonicas insinuat summorum Pontificum sanctiones; nam legis vim habent, & legum nomine passim apud Maiores nostros censebantur. Hinc Gofridus Vindocinensis Abbas prælibatus ad cognominem suum Episcopum Carnotensem scribens, lib. 2. ep. 29. aduersarios suos dicebat, *claues sanctæ Ecclesiæ agitare, & leges Catholicæ & Apostolicæ Sedis violare*: & sequenti ad eundem epistola: *si quis Apostolicæ Sedi, quæ leges Canonum dedit, in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit, sed desipit.* Ita S. Bernardus lib. 1. de consid. ad Eugenium c. 4. vbi conquæritur Aposto-

* An Papa, cum totam Ecclesiam docet, in his quæ ad fidem pertinét aliquo casu errare possit, accurate expendit Cardin. Bellarm. qui negatiuam probat ex scripturis, Patribus & ratione lib. 4. de Rom. Pótifice cap. 3. per totum. Eidem sententiæ suffragatur Cardinal. Perronius vbi sup.

* Iob 12. 14. 15.

* Matth. 16. 19.

licum palatium legibus Iustiniani perstrepere; subdit, sacras leges potiùs illic decere personare. Idem lib. 3. c. 8. priscos Canones Pontificios de plenitudine potestatis Papæ laudat ac inculcat. *Cedente fratre Domini* (Iacobo) *quis se alter ingerat* (inquit) *Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta Canones tuos, alij in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: Tua verò extenditur & in ipsos qui super alios potestatem acceperunt, &c. Stat ergo inconcussum priuilegium tuum, tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis.* Porrò libro de præcepto & dispensatione c. 3. inter præcepta & leges computat, perscriptas à summis Ecclesiæ Moderatoribus *Canonicas constitutiones*, quarum obseruationem subditis inuiolabilem, dispensationem, solis, eorum qui Canones suprema auctoritate cœlitus concessa ediderunt, successoribus, debito cum moderamine permissam esse asserit. Idem verò sanctus Doctor causam agens apud Innocentium 2. Ecclesiæ Lingonensis * (cuius iura in præsentiarum, tanto freti exemplo, vindicamus) dolet contemptam fuisse à Metropolitano & duobus eius suffraganeis, quam ad Sedem Apostolicam exe-ruerat, in negotio eiusdem Ecclesiæ, appellationem, canonicásque ab iisdem temeratas, vitiosa Præsulis haud idonei consecratione, leges. *Quem contra tuam, Pater, castam iustamque dispositionem, non timuerunt eligere, etiam post appellationem tui nominis ausi sunt execrare, &c. Rogo vbi ius, vbi lex, vbi sacrorum auctoritas Canonum, vbi reuerentia maiestatis?* ep. 166. quo loco perspicuum est vel leges & canones pro synonimis, Sanctum vsurpare; vel legis auctoritatem sacris Canonibus tribuere. At primum verisimilius, quoniam

* Magno zelo S. Bernardus Ecclesiæ Lingonensis incommoda propullauit, decora procurauit, iura tutatus est. Id videre est in ipsius Epistolis, maxime 164. ad Innocentium Pontificem, inscripta, *Actio Lingonensis Ecclesia*, itē 165. ad Falconem Decanum & Guidonē Thesaurarium Ecclesiæ Lugdunensis: 166. & 167. ad Papam antedictum: 168. ad Episcopos & Cardinales Romanæ Curiæ: 169. Iterum ad Innocentium Papam: 170. ad Ludouicū Iuniorem Regem Francorum. Extant super eodem negotio variæ literæ Petri Clunia-

censis ad ipsum sanctum Bernardum aliosque, inter eiusdem Petri opera, quæ excusa habentur in Bibliotheca Cluniac.

ægrè ferebat vir sanctus, vt ex dictis anterioribus liquet, ciuiles leges in causis Ecclesiasticis diiudicandis adhiberi, pondúsque in Pontificio Tribunali vbi sacra tractantur obtinere: quæ sacris legibus, hoc est Canonibus, debent expendi. At hoc ipsum clariùs insinuat in monitis ad Eugenium Papam, præcitato lib. 3. de consid. c. 4. vbi editos ab ipsomet Pontifice, Remis dum mystica comitia celebraret, Canones de Cleri disciplina, non modò *instituta*, vocitat, sed *mandata*, quæ cupit vigorem plenum recipere. Porrò cæteri pij Doctores itidem censuerunt, regulares sanctiones à Pontificibus summis elicitas quas Canones nuncupamus, legum habere auctoritatem, cùm in Ecclesia id valeant eiusmodi Canones, quod in Republica leges quemadmodum eximia obseruatione R. Pater Iacobus Sirmondus, Societatis IESV Theologus, sacræ antiquitatis præcipuus hoc sæculo illustrator, admonuit, aureis illis notationibus quas in Goffridum Vindocinensem prælaudatum, ex selectioribus sapientiæ Christianæ monumentis, excerptas concinnauit. Nec longè ab hac sententia fuêre etiam iurisperiti recentiores, qui Gallicanæ Ecclesiæ immunitates feruenti studio astruxêre. Iacobus siquidem Leschasserius, vir doctiss. qui ex instituto rem aggressus est, solerter notat ac euincit ex Iustiniani Imperatoris sanctione, Canones inter leges numerandos esse: hósque Imperialium Constitutionum iam olim obtinuisse vigorem. Quod non modò de Synodicis Canonibus vt putat, sed maximè de Pontificiis à Sede Apostolica emanatis verum esse, ipsius Iustiniani data ad Agapetum Pontificem probat rescriptio, Concilij Constantinopolitani con-

Lib. 2. ep. 30.

Tract. de libert. antiqua & Canonica Ecclesiæ Gallicanæ, ad suprem. Franciæ Curias c. 1.

tra Acephalos prolegomenis inſerta. *Sequentes*, ait, *in omnibus Sedem Apoſtolicam, quæ ab ea ſtatuta ſunt prædicamus. Et profitemur illa inconcuſſe ſeruari.* At diu ante Iuſtiniani Principatum, Valentinianus iunior edixerat propria conſtitutione Pontificis Romani decreta intemerata eſſe, atque ab omnibus pro lege habenda. *Hoc autem perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm alijs contra conſuetudinem veterem liceat ſine Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare*, SED ILLIS OMNIBVS PRO LEGE SIT, QVICQVID SANXIT VEL SANXERIT APOSTOLICÆ SEDIS AVCTORITAS. legitur etiamnum ſub oram Cod. Theodoſiani inter Nouell. Theodoſij & Valentin. titulo 24. *de ordinatione Epiſcoporum*: vt Petrus ipſe Molineus, Caluinianæ hæreſeos vexillifer, in reſponſione * ad glorioſæ memoriæ Cardinalem Perronium, fatetur *lib.* 16. *c.* 20. ipſam pro genuina agnoſcens ſanctionem. Verùm quia hìnc ducta pro Apoſtolicæ Sedis principatu ipſum multum angit obiectio, quò ſe vertat neſciens, in furorem abreptus contra auctorem excandeſcit, Valentiniani Imperatoris memoriam probris ac maledictis onerans. Puſillanimum enim fuiſſe ait hunc Cæſarem, deſidem ac impium, atque vt ex Sidonio infert, *amentem ſemiuirum*. Non eſt huius

* Excuſa prodiit ex arce Sedanenſi, typis Ioannis Iannonij anno 1627. Quomodo autem coaluerit hæc impietatis farrago paucis quæſo, pie Lector accipe, quæ fuſiùs mihi Soulatius, ex pſeudominiſtro gratia Dei iampridē Catholicus, narrauit. Receptó Cardinalis Perronij librô, hunc magnæ Britanniæ Rex Præſulibus ſuis & viris Academicis ſcholę Oxoniēſis & Cantabrigenſis examinandum dedit, iuſſitque, vt quoniam opus ipſum à præſtantiſſimo auctore concinnatum ſchiſma Anglicanum ſtirpitùs exſcinderet, id machinis omnibus diſſoluere connitenentur. Regi vt obſecundaretur, à ſingulis enixè elaboratum eſt, quæque ab iis, ſiue laceſſendi, ſiue calumniandi auctoris illuſtriſſimi ac eminentiſſimi ſtudiô, eiuſque libro auctoritatem detrahēdi, excogitata fuerant, vnum in codicem coniecta, Regi, vt Anglicanæ ſapientiæ ſelectiſſima, eam in rem, monimenta ac prædicamenta, ſtrenue cum præſtiti ab illis officij ſignificatione oblata fuerunt. Aderat tū forte profugus Molineus, qui gratiam vt captaret regiam, Præſulum ac Doctorum Anglicanorum tradita ſymbola componere, Gallicoq. eloquio quo Cardinalis liber contextus erat, quàm concinnè exprimere, atque propriis digeſta capitibus in lucem quantocyus emittere, Regi ſi adlubeſceret, ſpopondit. Homini impudentiſſimo, qui Cardinalitiæ lucubrationis elegantiam non modò æmulari at exſuperare promittebat, Rex vt crederet, Præſules ſuaſionibus præſtiterunt. Conſignata igitur Miniſtello fuerunt illico omnia adornatæ reſponſionis adminicula: ſtipendia etiam addita Regio munere At hæc haud effecerê, vt ille expectationi quam dederat vlla ex parte reſponderet. Cum enim promiſſis ſeſe minimè, etiam poſt diutinas inducias, eximeret: tandem cauſatus eſt librum Gallice in Anglia vix benè excudi poſſe. Igitur Sedanū ſe recepit, vbi diu expectatum, demùm euulgauit reſponſum: Sed vt ſuppreſsô penitus Anglorum no-

mine quorum labore constructum fuerat, sic eâ quam furto consequi gloriâ sperauerat minimè comparatâ, quin potiùs sempiterno sibimet inustô dedecorê. Nam præterquam quod ipso hoc futili molimine, se tali Antagonistæ quo cum confligere ausus est, sese prorsùs imparem demonstrauit, omniúq; ludibrio hac sua se temeritate exposuit; Nænijs sanè ac ineptijs suis præterea effecit, vt Hæreticæ factionis conglobatæ imbecillitas patesceret, fides verò Catholica magis robusta ac syncera eniteret: nec hoc modò, sed vt insuper inuicti Cardinalis fœtus clarior ac carior euaderet: putida verò sua commentatio tineis, blattis & muribus corrodenda quiete relinqueretur. Enimuerò vbique contemptus iacet ipse Molinæi liber, nec exilem hactenus promeruit replicationem. Eam nimirũ ob causam, quod nugis scurrilibus quibus delectatur auctor, scateat, vixque quicquam aliud contineat, quam quod millies fuit ab hæreticis Molinei magistris obiectum, totiesque ac pluries ab Orthodoxis Doctoribus confutatũ.

loci apologiam pro Valentiniano 3. contexere: quem ab innata bonitate & incorrupta fide *pium Principem*, Sidonius ipse à Molineo adductus carmine 23. appellat: idque non adulatoriè, sed syncerè, vt cusum sub hoc Augusto numisma probat, quo Pij cognomentum communi generis humani voto ipsimet Valentiniano ascriptum est. Quamobrem nec contumeliosè eidem Sidonius, *semiuiri* tribuit epitheton, * sed quod adhuc iuuenis & vix ex ephebis egressus puerili penè manu in palatio Ætium, vtriúsque militiæ Comitem arrogantiùs se gerentem necauerit, furore percitus ob contemptam ab eo, imperij, in se adolescentulo Principe maiestatem: vnde & circunstantium Palatinorum confectum fuisse Ætium gladiis, Prosper commemorat. At hæc minimè ad rem faciunt, nec enim conuitia quæ Molineus (eorum vt se prodat asseclam, quos *Majestatem blasphematuros* * prædixit Apostolus) in Valentinianum Imperatorem congerit ipsius odio cuius is cognomentum meritò retulit pietatis; latæ legis de summa Sedis Apostolicæ in Ecclesia reuerenda potestate, sancitorumque à summo Pontifice Canonum perpetua firmitate, quicquam ponderis detrahunt, tùm quòd vitia Principum eos auctoritate leges ferendi haud exuunt, tùm quòd ipsa lex à Valentiniano promulgata, vt ipse Imperator insinuat, primatui à Christo Rege gloriæ

* Vide Sidon. carm. 2. 5. 7. 23.

* Iud. in epist. vers. 8. collimat & locus Petri 2. ep. c. 2. *Dominationem contemnunt*: quem ex autographo sic reddit Erasmus, *qui gloria præcellentes viros non verentur conuitijs incessere*. In hoc passim laudatus, vt notat Pater Iacobus Bolduceus in expositione Epistolæ Cathol. B. Iudæ Apostoli quæ libris eiusdem authoris assuta hæret, *de Ecclesia ante legem & post legem*.

Petro suo in terris Vicario & eius successoribus impertito, ac Synodorum Oecumenicarum, quæ Sedis Apostolicæ supremam auctoritatem prædicant constitutis innixa sit, atque à Theodosio Principe pientissimo (cuius virtutem ac religionem Molinæus contra innatum bonos Principes lacessendi morem plurimum attollit) recepta, probata, atque eius codici, non dubium quin ipsius nutu vt nomine, intexta fuerit. Adde, nihil reipsa Pontificis Maximi Decretis, imperialem eiusmodi sanctionem auctoritatis contulisse: cuius cælestis potestas minimè pendet ab homine, per se enim constat, sufficienter à Christo Domino obfirmata. Vnde & Valentinianus Augustus in ipsius suæ sanctionis limine (quæ occasione latæ à Leone Papa sententiæ, in causa Chelidonij Vesontionensis & Hilarij Arelatensis, editorúmque pro Gallicanæ Ecclesiæ tranquilitate ab ipsomet Pontifice decretorum, emanauit.) profitetur, haud suo è pragmatico, statuta Apostolica mutuari vigorem. *Erat enim* (inquit) *ipsa sententia sine imperiali sanctione valitura: quid enim tanti Pontificis auctoritate in Ecclesias non liceret?* Sed hoc edictum exeruit Pius Princeps, cùm vt deuotum in Sedem Apostolicum animum testaretur, tum vt ex suscepto Officio (nam supremo Principi competit sacram Politiam sartam tectam seruare, & vt Iustinianus innuit loco præcitato, immorigeros Sedis Apostolicæ præceptis ad obedientiam Canonicam compellere) Ecclesiasticum ordinem, pacémque, compresså, sæcularis potentiæ terrore, quorumdam refragantium peruicaciâ, communi Reipublicæ ac Ecclesiæ bono astrueret ac propagaret: quod & ipse in legis suæ exordio testatur, pacem

Ecclesiarum vbique stabilem fore asseuerans, si hoc pacto Rectorem suum, Pontificem vtique Apostolicum, agnoscat ac colat vniuersitas. Et rectè quidem ac religiosè. Siquidem verum est quod Renatus Choppinus Iurisperitus Galliæ eximius, in Poëtica epigraphe quam libris suis planè aureis de sacra Politia præfixis, ea de re admonuit

Cæsaris haud eadem, fateor, quæ munera Petri,
Distinctique Iouem dirimunt à Principe fasces,
Vna nec imperij in Clerum populumque potestas.
Sed quia stat geminis fultum diadema columnis,
Religione ac Iustitia in superosque virosque:
Sacra sacerdoti, curanda politica Regi
Vt Canonum *hic* custos *sit,* QVORVM CONDITOR ILLE, *&c.*
Mutuo vt auxilio subiectæ commoda gentis
Curent, communem & foueant hinc inde salutem.

Eô fine Reges Christianissimi; (qui, vt idem Choppinus præfatur, etsi Ecclesiæ Gallicanæ commoda studiosè semper promouerint, iura propugnauerint, numquam tamen debitæ sanctissimo solio reuerentiæ iugum excussere, quinimò sese perpetim præstitêre, *Sedis Petri cultores officiosissimos, obseruantissimos, obsequentissimos*) Capitularia sua ac pragmatica procuderunt, quibus se leges quidem haud Ecclesiæ præscribere professi sunt, sed potiùs Ecclesiasticas leges vindicare, * suis intextas vt annulis insitas gemmas religiosè seruandas proponere, Sedisque Apostolicæ Pontificum id assensu quin & commonitione exequi, quorum Decreta vt pura fidei orthodoxæ prædicamenta, pietatis oracula, mysticæque politiæ axiomata; etiam iussere ab omnibus districtè custodiri, ad hoc

* Vide singulas in singulos Capitularium libros præfationes, quibus illa à Piis Principibus elicita pragmatica quæ ad res sacras, seu personas Ecclesiasticas pertinent, *Auctoritate Apostolica firmata* fuisse asseruntur. Porrò in permultis capitibus, leges ex Apostolicorum Præsulum responsis, de-

ad hoc obsequium Carolus Magnus Patrum verbis & exemplis vsus suo subditos imperio, fideles quosque Clericos & Laicos præclaro hoc monimento passim hortabatur. *In memoriam B. Petri Apostoli, honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, Ecclesiastica esse debeat magistra rationis.* Ita & Ludouicus Pius eius filius, profitendo Apostolicam Sedem matrem esse omnium Episcoporum, azylum omnium Ecclesiarum, summum religionis Tribunal, cuius Pontifici dispositioni, *Omnes*, inquit, *Maiores Ecclesiasticas causas & Episcoporum iudicia, ANTIQVA APOSTOLORVM, eorumque successorum auctoritas reseruauit. Quoniam culpantur Episcopi qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit*, Addit. 4. n. 16. Ita & Karolus huius filius cognomento Caluus, hæc sanciens de consilio Præsulum ac procerum suorum in Ticinensi conuentu, cap. 1. *Vt sancta Romana Ecclesia sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur, neque quisquam contra ius & potestatem ipsius aliquid iniustè agere præsumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro vniuersali Ecclesia Pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.* Cap. 2. *Vt honor Domino & spiritali Patri nostro Ioanni summo Pontifici & vniuersali Papæ, ab omnibus conseruetur, & quæ secundùm sacrum ministerium suum* AVCTORITATE APOSTOLICA DECREVERIT, CVM SVMMA VENERATIONE AB OMNIBVS SVSCIPIANTVR, ET DEBITA ILLI OBEDIENTIA IN OMNIBVS CONSERVETVR: subscripta est hæc definitio à 50. Episco-

cretis, ac Synodicis statutis, & cæteris Canonicis institutis selectæ promulgantur. v. g. lib. 1. c. 5. 22. 27. 51 56. 59. 80. 82. 85. 97. 196 139. lib. 2. c. 19. lib. 5. c. 55. 86. 167. 219 220. lib. 6. c. 74. c. 119 (vbi lex de Chorepiscoporum suppressione à Sede Apostolica nuper edita seruari iubetur.) c. 267. cuius prænotatio est: *vt nullus Apostolicas sanctiones temerare præsumat, sine status sui*, vt est in contextu, *periculo.* Vide & libri eiusdē c. 287. 299. libríque 7. c. 90. *de Apostolicis & Canonicis decretis minime violandis*, & 91. quo Carolus Magnus capitula huiusmodi *hortatu Apostolicæ Sedis*, perscripsisse & c. 103. *Apostolica auctoritate* subnixũ, *ad ampliorem obseruantiam* conciliandam, se, ipsa condidisse testatur. *Eademque auctoritate* Ludouicus Pius dicit (c. 187. ipsius libri 7.) *se Synodum habuisse, Sedem Apostolicam vt iubent Canones magnis in causis consuluisse, definitionemque super* his inde cum Episcopis flagitasse. Idem sanxit cap. 265. *constitutiones, contra Canones & decreta Romanorum Præsulum*

pis inter quos Isaac Lingonensis ordine conspicuus enituit post tres Sedis Apostolicæ Legatos & Galliæ vniuersos pene Metropolitas, quibus Hincmarus Remensis Canonum acerrimus vindex præluxit. Qui mores hominis nouerit scriptáque euoluerit * facilè deprehendet, nunquam calculum huic Regiæ ac Synodicæ sanctioni ipsum fuisse additurum, nisi ex Canonicæ, adeóque Euangelicæ legis præscripto persuasum habuisset ius ferendi leges in commune Ecclesiæ (cuius gubernacula ipse Pontifex tenet) commodum, circa res sacras summo ipsimet Religionis Antistiti competere, plenariámque eum in mysticæ Oeconomiæ dispensatione potestatem obtinere, ideóque omnimodam in his quæ ad eius officium spectant eidem obedientiam deberi. Certant hodie nonnulli disquirendo anxiè, num Pontifex queat Ecclesiasticas edere sanctiones, aut sancitas possit solùm exequi, atque vt ab aliis seruentur efficere. Qui sanè operam ludere mihi videntur. Cùm enim ex sacris ipsis Canonibus liqueat, Archiepiscopum posse Canones in Synodo perscribere, qui Suffraganeos astringant, vniuersáque in Prouincia seruari debeant: nonne abs re est inquirere an omnium Metropolitarum Princeps summus Christi Iesu Vicarius, Petri successor, Pastor Ecclesiæ Oecumenicus, cui ligandi & soluendi Pontificium ipso Christi ore concessum est, cui regni cælorum claues, hoc est summa Dei in terris regni potestas, Omnipotenti incarnati Verbi dextera traditæ sunt, decreta possit exerere, Canones sacro digito exarare, qui vbique diffusas quaqua latè patet Pastorale quo pollet imperium oues deuinciant ad sui obseruationem? Quæstio equidem inter Theo-

non valere. c. 277. Pontificem per Vicarios suos posse declarauit, Synodos Gallicanas retractare c. 323. Iudicatum à Comprouincialibus Episcopum ad Sedem Apostolicam licere appellare. Denique libri huius corollarium est. *Maxime triũm vltimorum capitula librorum* (qui de rebus Ecclesiasticis agunt) *Apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maxime, Apostolica interfuit legatio.* Hallucinantur igitur qui mera auctoritate regia leges de rebus sacris tulisse hos Principes arbitrãtur: quarum constat robur à Sede Apostolica desumptum.

* Perspicienda insuper est Nicolai PP. I partim collaudatoria, partim increpatoria ad ipsum Hincmarũ epist. serie inter cæteras 18. Tom. 3. Concil. p. 1.

logos agitur, * *An Prælati Ecclesiæ habeant potestatem condendi leges Ecclesiasticas obligantes in conscientia?* Occasio hanc discutiendi fuit neotericorum sectariorum peruicacia, qui Ecclesiasticæ potestatis odio tales leges vel circa doctrinam, vel circa disciplinam à Præsulibus inficiantur constitui posse. At vnanimis est in contrarium Orthodoxorum Doctorum sententia, resolutióque Theologorum communis, hanc auctoritatem Ecclesiæ Antistes habere, aliàs ruituram funditus mysticam Ecclesiasticæ politiæ congeriem. Et praxis equidem conuincit, Antistes sua quemque in Diœcesi, censuram quoad doctrinam, constitutiones quoad mores, & disciplinam propria auctoritate edicere. Hactenúsque Bibliothecæ Patrum insertæ sunt, Præsulum Parisiensium * variæ censuræ seu damnatorum ab ipsis errorum in fide indices, constitutiones etiam diuersæ quæ Ecclesiæ disciplinam componunt, aut astruunt, déque rerum sacrarum statu decernunt. His nemo vnquam quæstus est auctoritatem defuisse: quin potiùs vt sanctæ & legitimæ inter Ecclesiastica pragmatica locum spectabilem demeruerunt. Igitur non possum non demirari, quî fiat, vt quod vnicuique Episcopo sua in Diœcesi licere ipso est vsu exploratum: summo Pontifici, qui totius Ecclesiæ Pastor est, in vniuersa Ecclesia inficiantur sui Apostolatus iure competere. Sanè B. Hieronymus testis est * Synodos Orientis & Occidentis, cùm Damasi Papæ amanuensis esset, Apostolicum Oraculum de rebus grauissimis consuluisse, responsáque se exceptore fuisse singulis reddita. Ipse verò in summo fidei Christianæ dogmate petiit ab eodem Pontifice edoceri, dicendarúmque siue tacen-

* Vide Stapletonum in antidotis Apostolicis, tractantem v. 24. c. 15. & v. 4. c. 16. Act. Apost. Rursúsque in Promptuar. Catholico eadem de re aduersus Caluinum disputantem feria 3. Hebd. 2. Quadrag. Necnō Card. Bellarm. de sacr. Bapt. lib. 1. c. 16. Becanum in summa Theolog. tract 3. de Legibus c 6. de lege humana qu. 1. aliósque Theologos recentiores.

* Biblioth. tom 4. & 6. vbi referuntur etiam Metropolitarum Senonens. aliquot constit. quæ in calce partis 2. tom. 3. Concil. itidem habentur.

* Epist 11. ad Ageruchiam de Monogamia tom. 1.

Idem eodem tom. epist. ad Damas. de nomine hypostasis.

darum in diuinis hypostaseon sibi dari auctoritatem. S. Augustinus damnari ab Innocentio Papa Pelagianam hæresim procurauit: * Atque in quæstione difficillima de origine animæ, penitus ipsius Innocentij ac eius successoris Zozimi placitis acquieuit, atque omnino acquiescendum, summam ob auctoritatem, à quibusq; censuit, adeo vt hac de re amplius *dubitare nefas esse* diceret, *Christiano.* Ipsemet cum collegis synodalia iudicia ab eodem Pontifice & sequacibus Pontificibus firmari voluit, aut certè non dubitauit posse retractari: * Patres Chalcedonenses suas definitiones Leonis Papæ decretis flagitauerunt * honorari. Quintæ Synodi Proceres Epistolas Decretales Romanorum Pontificum de ipsa fide, pro regula, summa aduen eratione susceperunt, iisq; eumdem quem Synodorum quatuor decisionibus, honorem se deferre professi sunt. * Idem antecedentium Conciliorum generalium Patres fecisse. Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in apologetica responsione pro Concilio Florentino contra Marcum Ephesinum, * authenticis indicat documentis: inter quæ illud minimè sub silentio prætereundum est: in quarta Synodo Oecumenica, præclaram hanc sententiam, quæ in sacra legitur Valentiniani ad Theodosium (quam Patres recitari fecerunt) fuisse probatam: *Vt Beatissimus Romanæ vrbis Episcopus cui principatum sacerdotij antiquitas contulit, locum & facultatem habeat de fide & sacerdotibus iudicandi.* Vnde infert ex ipsius Concilij iudicio, Papæ circa dogmata & mores exercendi iudicia, statutáque exerendi plenam conuenire potestatem. Ideóque antiqua Concilia Galliæ summorum Pontificum sanctiones & decreta pro

* Epist. 92. è Synodo Mileuitana ab Augustino scripta, Ipsiusque & collegarum nomine missa ad Pap. Innoc. tom 2.

* Epist. 90. ad Innoc. necnon epist. 219. ad Cœlestinū Papam, & lib. 1. de peccato originali, c. 8. & 9. tom. 7.

* In relatione Synodica ad eumdē sanctiss. Papam quæ substat actis ac decretis ipsius Concilij part. 3. Græce & Latine edita refertur to. 2. Concil.

* Collatione 1.

* Habetur Græce & Latine, tom. 4. Concil.

Extat 1. parte Cōcilij Chalcedon.

oraculis habuerunt, eaque sibi in omnibus præluce-re, * ac ijsdem sese adhærere & semper inniti, vt inconcussis fidei & disciplinæ fulcimentis, voluerunt. Quin & pij quique, Pontifici, ex officio iubenti, iudicanti, decernenti quæ ad Dei gloriam, Ecclesiæ vtilitatem, communémque hominum salutem conferunt, summo vt Christi Vicario, quin & vt Patres Orientales prælaudati apertè pronuntiant, *ipsi Christo*, necessariò obtemperandum semper existimauere: illi porrò refragari in doctrinæ aut disciplinæ Christianæ œconomia quasi immane scelus exhorruere, hoc maximè abhorrere à pietate arbitrantes, illius scita salutaria contemnere, aut religiosis statutis obniti, cuius supremam in Ecclesię regimine potestatem *& vox Christi* (vt Beatissimus scribit Gelasius *) *& Maiorum traditio & Canonum fulsit auctoritas*. Et verò haud dubium est, eos qui Pontificiis, de rebus sacris, legibus (quæ propriè ad Apostolicum spectant officium) ex contemptu potestatis aduersantur, grauiter peccare. Enimuerò Apostolus docet, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistere*, sibique hoc reatu consciscere *damnationem*. Ideóque *sublimioribus potestatibus* obediri ab omnibus monet oportere, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quam sententiam S. Bernardus appositè ad statum Ecclesiæ referens, * notanter dicit obedientiam, quam hîc Apostolus rependi potestatibus præcipit, summo potissimùm Pontifici deberi, ad eumque sententiam illam pertinere, etsi *non singulariter*, attamen *principaliter*: vt qui vice Dei inter mortales præemineat, quique omnium saluti, Christi nomine ac officio prospiciat. Cui si honor & obedientia denegetur, nec

* Plenam huic assertioni fidem faciunt, acta & decreta Synodica Conciliorum Galliæ, quæ tribus tomis digesta nuper summo totius Galliæ applausu, vniuersęque Ecclesiæ bono edidit R.P. Sirmondus Soc. Iesu celeberrimus Theologus, indefessus sacrarum Galliæ antiquitatum indagator.

* Epist. 4. ad Faustum Magistrum Conc. Tom. 2.

Rom. 13. 1. 2.

* Lib. 3. de consid. c. 4. inter medium & finem. Idem verò ep. 183. ad Conradum Regem Romanorum; *Legi, inquit, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quam sententiam cupio & omnimodis moneo custodire in*

exhibenda reuerentia summæ & Apostolicæ Sedi & beati Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari imperio.

munus creditum poterit exequi, nec ipsa sub cœlestis Hierarchia consistere. Quapropter sicut cùm Princeps alicui dat magistratus dignitatem, tuendæ etiam auctoritatis, quæ in bonum vergit publicum, ius eidem attribuit: sic Christus cùm abeundo in æthera sui loco Petrum Oecumenicum animarum curatorem in terris reliquit, sui in nos amoris, vt loquitur S. Ambrosius,* Vicarium constituit, potestatem oues non modò regendi & pascendi, sed itidem coercendi eidem consultò impertitus est. * *Pasce*, inquit, *oues meas* alimonia nimirum cœlestis doctrinæ, & virga salutaris disciplinæ, * sine quarum altera, vt Ecclesiæ ordo & politia corrueret, sic & religionis stabilitas titubaret, prorsúsque corporis mystici connexione dissoluta, membrorum etiam singulorum à capite dissidentium periret incolumitas. Ex quo Theologico syntagmate perspicuum euadit salutem Ecclesiæ in obedientia, quæ summo Pontifici, Ecclesiæ capiti, Episcoporum apici, sanctissimo orbis terrarum Antistiti, totiúsque familiæ Christi Oeconomo, Patrique, Pastori, ac Principi ex diuina institutione debetur, omnino esse repositam. Hácque ratione Christum in cœlis triumphantem Petro per Angelum imperasse, vt sanctificatas gentes fidei & gratiæ infusione, Euangelicáque prædicatione collectas, ac linteo Ecclesiasticæ communionis consociatas, suo gremio pascendas susciperet paternéque complecteretur: verùm etiam iussisse vt discolas & Pastorali voci inobsequentes, pacémque & vnitatem mystici gregis sua peruicacia concutientes, *gladio spiritus* percuteret, *occiderétque* etiam & degluberet, ac salutari mortificatione, nimirum, vt explicat Petri

* Lib. 10. in Luc. c. 24. cui succinit Chrysost. hom. 87. quæ & postrema est in Ioan.

* Ioan. 21. 18.

* S. Greg. lib. 20. Moral. c. 6.

Act. 10. 11. &c.

socius, *Sathanæ tradendo ad interitum carnis*, id est carnalis proteruiæ, *vt spiritus saluus fiat*. Qua & potestate ipsemet Petri cooperarius verè Apostolicè vsus est, cùm & prædicationi suæ improbè repugnantes *Sathanæ* ad tempus torquendos *tradidit*, tenebrísque circumfusos sua imprecatione palpare coegit in meridie. At quo Petrus Paulo eminentiori præcellebat gradu Apostolicæ potestatis, * eo insigniori facinore supremæ sibi concessæ in Ecclesiam auctoritatis iura tutatus est. Nam qui vmbra simplici morbos quoslibet depellebat, solaque voce mortuos ad vitam reuocabat: sic etiam solo flatu sacratissimi oris, eos qui salutaria monita sua contemnebant perenni dabat carnis exitio. Cuius exemplo ducti vt imperio prædicti sequaces Ecclesiæ summi Antistites sui Apostolici principatus, cui vnio, pax & salus totius Christianæ plebis innititur, auctoritatem studiosissimè propugnarunt, atque censuris quàm seueris eos perculerunt, quæ præcepta sua & statuta auderent impetere, * vel præfixis à se terminis quomodolibet obluctari. Nempe non quod propriæ gloriæ vindicias agerent: sed vt potiùs Maiestatis diuinæ imperium mortales inter assererent propagarentque, necnon Ecclesiæ paci consulerent & suæ aliorúmque saluti. Id verò pulchrè profitebatur & syncerè B. Hilarius PP. epist. 4. ad Episcopos aliquot Viennensis Prouinciæ, obtestando, se iura sacræ auctoritatis tueri, nec vt confundantur vlla ratione permittere, *quia per inobedientiam non minùs in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur:* subinsinuans gloriæ ambitum neminem debere ideò sibi impingere. *Cùm expectatio*, inquit, *fructus nostri*

1. Cor. 5. 5.

1. Timoth. 1. 20. Act. 13. 11.

* S. Cyprian. ep. ad Quintum Euseb. Cæsar. lib. 2. hist. c. 14. S. Chrysost. homil. 87. in Ioan. S. Ambr. in cap. 2. ad Galat. tractans illud, *Ascendi Hierosolymam videre Petrum*. Hieron. ep. 89. ad August. Ipsaque August. ep. 19. ad eumdem Hieronym. aliique veteres Doctores passim scribentes in prædictum locum.

* Pontificum decreta conuellere, nefas, Rufinus Aquileiensis, quamquam durè ab Anastasio Papa habitus fatebatur. Vt testis est S. Hieronym lib. 3 Apologiæ cont. ipsum Ruf c. 5.

ministerij, non in regionum latitudine, sed in acquisitione ponatur animarum. Eademq; de causa Symmachus Pontifex scribebat ad Cæsarium Arelatensem Præantistitem seniorem.* Ad sanctissimæ Trinitatis instar indiuiduam esse summi Sacerdotij potestatem: ideóque sacrosanctam Religionem Catholicam pessumdari, atque omnem eius vim & potestatem infringi, si quæ de summis Sacerdotibus semel statuta sunt violentur, quæ perpetua decet consistere. *Quanta enim* (subdit) *Vicariis beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in Sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissoluantur?* Nempe si ita esset, actum foret de Ecclesia, cuius salus (ait elegantissimè S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos) in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot Sacerdotes: quia vnusquisque Episcopus dum Pontificis maximi dignitatem reuereri & iussis parere detrectabit, sibi suo in districtu, supremam auctoritatem arrogabit. Vnde contesseratio Ecclesiarum dissoluetur, & corpus tot capita habebit quot membra,* sicque doctrinæ ac disciplinæ vnitas ac conformitas, quæ ex mystici corporis compagine resultat, & ex intemerata eiusdem cum vnico capite connexione dependet, prorsùs discissa ** peribit. Iustè igitur ac prouidè S. Leo, ne tam infausta in Ecclesiá Catholicam prorumperent scandalorum profluuia: Pontificiam auctoritatem fortissimo censuit Canonicæ districtionis propugnaculo muniendam fulciendámque sanciens solemni edicto, ne cuiquam Antistitum liceret Apostolici Pontificis iudiciis, mandatis & decretis refragari, vel in sacra

quælibet

* Alium enim post hunc eiusdem Sedis Præsulem cognominem extitisse, planè euicimus, in Opusculo nostro Chronhistorico de S. Ægidio, in quo propriam vtriusque texuimus Chronologiam, apodictico etiam commentario suffultam. Editum fuit Luteriæ apud Rob. Steph. inter alia quædam opuscula nostra Miscellanea anno 1629.

* Lege Innocentij 3. epistolam ad Episc. Petracoricensem: *Cum nobis,* &c. lib. 1. epist. Decret.

** Hanc mystici capitis in Ecclesia vnitatem benè S. Hieronymus ex verbis Domini ad Petrum. *Tu es Petrus & super, &c.* collegit l. 1. ad Iouin. *Licet,* ait, *super omnes Apostol. ex æquo Ecclesia fortitudo solidetur: tamen propterea inter 12. vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Eamdem causam traditi diuinitus Petro Primatus assignans profusè explicat S. Cypr. lib. de vnit. Eccles.

quælibet eius constituta leuiori offensione impingere: veniæ omni spe præcisâ ei qui tanta præsumptione Sedis Apostolicæ auctoritatem impeteret. * *Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ. Ne quid verò sit quod prætermissum à nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, qui de Ecclesiasticis Ordinibus & Canonum instituta sunt disciplinis, ita à vestra dilectione obseruari mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari*, epist. Decret. 1. Ita Apostolicarum sanctionum Pontificiorúmque statutorum auctoritatem magnus ille Pontifex permanere decernit sacrosanctam, vt noxam fore inexpiabilem pronuntiet admissurum, quisquis hanc temerare præsumpserit: & iure omnino, siquidem vetus Apostolicæ Sedis axioma est: * *Canones soluere, est in religionem committere.* Quapropter Hincmarus Remensis Metropolita, alioqui propriæ dignitatis sarciendæ, imò & prouehendæ percupidus, S. Leonis quam exscripsimus, commemorata sententiâ, quasi suprema quadam coruscatione perculsus, hoc monitum suggerit Ecclesiarum Præsulibus perpendendum, epist 7. quæ peculiariter directa est ad Comprouinciales Remensis Ecclesiæ: Ex hoc *quanto studio de præstitutis anteriorum Pontificum priuilegiis conseruandis vniformis sententia debeat conseruari cordatus quisque attendat: & vnde quisque nostratium pro fideli reuerentia ac conseruatione meritum beatæ remunerationis potest acquirere, ne præuaricando pe-*

* Porrò & ipsi recentiores acephali, qui collectis viribus Romani Pōtificis Petri successoris supremam potestatem impugnarunt: lucidis interuallis potientes eiusdem in Ecclesia Principatus necessitatem ad doctrinæ & politiæ vnitatem conseruandam seriò comprobauere. Philippus Melanchton in epist. ad Theodulphum Orator. *Ad hæc*, inquit, *Rom. Pontificis auctoritatem & vniuersam politiam Ecclesiasticam reuerenter colimus, modò nos non abijciat Rom. Pōtifex.* Idem ep. 74. quæ est de dissensionib Ecclesiasticis prænotata. *Prodesset meo iudicio Monarchia illa Rom. Pontificis, ad hoc vt doctrinæ consensus retineretur in multis nationibus. Quare potest facile conciliari cōcordia in hoc articulo de superioritate Rom Pontificis, si de cæteris articulis conuenire possent.* Ita & Martinus Bucerus Caluini Magister epist. 75. suo & collegarum nomine fatetur.

* *Christi regno propriam non debere deesse politiam seu præcipiendi auctoritatem. Quin nusquam esse debere obedientiam maiorem, subiectionem*

pleniorem, potestatis reuerentiam religiosiorem. Vnde per se nō obstare profitetur, *quin Rom. Pontifex suam potestatem retineat,* modò ea in ædificationem vtatur, quam se etiam asserit sacrosanctā, ea ratione, habere: nempe videbat nec doctrinæ consensum, nec Ecclesiasticam disciplinam conseruari posse sine vno visibili Ecclesiæ capite.


* In indiculo instructionis, à sancta Sede Apostolica tradita Ennodio & Fortunato Episcopis, Venantio Presbytero, Vitali Diacono, & Hilaro Notario Legatis Hormisdæ PP. ad Anastasium Aug. tom. 2. Conc.

riculum incurrat magnopere caueat, c. 28. Quod opportunum & congruum monimentum hîc ideo libuit assuere, vt Dominus Lingonensis Antistes æqua lance perpendat an securè possit cœptis suis insistere: cùm ea promouere nequeat, absque Apostolicæ Sedis iniuria, nam quæ conatur cum Iulius II. speciali præiudicio anteuerterit, Pontificióque suo Decreto præpedierit, nonnisi cùm illius constitutionis iactura, proindéque Apostolicæ auctoritatis dispendio, ne dicam contemptu, adeóque propriæ conscientiæ deliquio & reatu, ea quæ nunc affectat & molitur ad colophonem potest perducere.



COROLLARIVM.

PERILLVSTRIS EPISCOPVS AD pacem & concordiam pijs affectibus reuocatur: Summique Pontificis arbitrium religiosè deposcitur, aut eiusdem Paternum certè imploratur auxilium.



CÆTERVM nunc vsque videtur excusatione dignus Reuerendissimus Antistes, quod Pontificium priuilegium, iudicium, statutum nuperis eiusmodi consiliis obuium & repugnans fortè non deprehenderit: siquidem ignorantia facti (non iuris) excusat; atque peccatum non nosci *nisi per legem* Apostolus docet. Proindéque ipsa Pontificiæ constitutionis ignoratione potest perillustris Episcopus hactenus à culpa legitimè se tueri.* Ast ex quo ad eius

* Attamen decretum Papæ sic ligat ignorantes, vt gestum ab ipsis contra illud, sit ipso iure nullum. *Depra-*

notitiam Apostolica sanctio prælibata deducta fuerit, deinceps nullam ei fas erit nisibus suis excusationem prætendere: sed datâ opera necesse fuerit in *lapidem offensionis & scandali impingere*: Esa. 8. 14. aut properè gressus reflectendo ex interpellato itinere redire, cùm obstante Pontificali prohibitione, illum vlterius pergere,* nec liceat nec deceat. Vidit equidem Ezechiel Propheta sub specie *currus similitudinis gloriæ Domini*, mystica *animalia plena oculis ante & retro*, discurrentia ad similitudinem *fulguris coruscantis*: quæ Præsulum Ecclesiæ simulacra esse ænigmatica S. Gregorius solerti ostendit indagine. Et plenos quidem oculis ante & retro designari docet, quia prudentiâ quam in primis Episcopi dotibus Apostolus desiderat, debent potissimum enitere. Currunt autem *ad similitudinem fulguris*, quia feruenti spiritu exequi debent quæ eis constiterit ad Dei gloriam conferre, & populi salutem. Nam quemadmodum ex prudentiæ fonte profluit, vt Episcopus in negotiis arduis nôn sit ad determinandum facilis, sed diù multùmque expendere debeat, omnia circumspicere & considerare quæ ex his quæ tum fiunt possint oriri aut consequi: iuxta Sapientis dictum, Prou. 4. 23. *Oculi tui recta videant & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*, & Prou. 19. 23. *Qui festinus est pedibus offendit, & contra Deum feruet animo suo*: Sic ex prudentiæ ipsius pendet officio post studiosum examen, quæ agenda sunt strenuè exequi, vt monet S. Thomas 2. 2. qu. 47. a. 9. Cuius doctrinæ Sapientis astipulatur sententia Eccles. 21. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox*, scilicet post maturam agendorum ponderationem. Verùm quia Episcopi etsi officio Angeli sint, natura tamen sunt homines,

bend lib. 6. cap. penult. & ibi glos. pen. in addit. & extrauag. Ecclesia glos. decernentes, & glos. irritum. Ioan. 22. Vide epist. Nicolai magni II. ad Photium CP. Ecclesiæ inuasorem, vbi citat & explicat Apostoli sententiam, Rom. 4. 15. *Vbi non est lex, nec præuaricatio.*

* S. Isidor. Hispal. in epistola ad Eugenium Toletanum, expressè docet nulli Episcoporũ fas esse, quæ statuta sunt semel à Romano Pontifice infringere: hancque maximè notandam subnectit rationem. *Quia Petri dignitas potestatis, etsi ad omnes Catholicarum Eccles. Episcopos est transfusa: specialius tamen Romano Antistiti, singulari quodam priuilegio velut* CAPITI tributa est, *quæ cæteris ideo celsior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet obediẽtiam à capite seiunctus Acephalorum schismati se reddit obnoxium. Quod sicut illud S. Athanasij de fide sancta Trinitatis, sancta Ecclesia approbat & custodit. QVASI SIT FIDEI CATHOLICÆ ARTICVLVS, quod nisi quisque fideliter firmiterque credi-*

derit, saluus esse non poterit.

ideóque vt in ratiocinando falli possunt, sic etiam in consultando decipi, ne semel malè suggesta sibi consilia immobiliter apprehenderent, aut cœptis sibi gregique suo noxiis illecti boni specie pertinaciùs inhærescerent, diuina dignata est bonitas & sapientia, declinando huic periculo, opportuno remedio prouidere. Nempe vt superiori auctoritate cohibiti, possent à cursu præcipiti reuocari, atque à mystici currus auriga admoniti impetum noscerent reprimere, ac pedem sistere, eximio pietatis ac humilitatis exemplo. Ideò quemadmodum vidit Propheta, animalia *non ibant* tantùm, sed *& reuertebantur*. Quod mysterium Innocentius III. magni meriti ac ingentis famæ Pontifex, à se sagaciter obseruatum præclarè insinuauit, in Commonitorio ad Archiepiscopum ac Capitulum Turon. de audiendo super controuersia ipsius Ecclesiæ Turon. cum Dolensi; mox à Sede Apostolica proferendo iudicio. *Licet*, inquit, *in Ezechiele legatur, animalia ibant & non reuertebantur: tamen sequitur in eodem: animalia ibant & reuertebantur. Quamuis autem hæc vocum dissonantia secundùm sacrum consonet intellectum, & varias expositiones habeat mysticas & morales, possunt tamen per animalia munda quæ ruminant & vngulam findunt, Rectores Ecclesiæ non incongruè designari, qui discernendo findunt vngulam, & ruminans meditando: qui dum aliqua statuunt quæ postmodum non retractant, eunt & non reuertuntur. Cum verò aliquid statuunt, quod postmodum reuocant* CONSILIO SANIORI, *eunt, & sicut de animalibus legitur, reuertuntur.* Motu autem proprio cùm deceat summum Pontificem ad quem id propheticum principaliter refert, sic agere: idipsum inferiores Prælatos monitu & impulsu ipsius

Pontificis, cuius imperio ſubſunt, facere omnino conſentaneum eſt. Sicut enim ſupernæ Hieruſalem beati municipes ad nutum rediuiui, iamque immortalis Agni ſedentis in Throno gloriæ, ſiſtuntur, ſummáque demiſſione conticeſcunt, cuius perſonante tuba, continuò *ſilentium in cælo factum* fuiſſe teſtatur Ioannes arcanorum cæleſtium mirabilis inſpector. Sic certè myſticæ inferioris Hieruſalem proceres, cæleſtis Agni, æternique Pontificis in terris Vicarij vocem condecet reuereri, vt quamquam feruentiori impetu, in ea quæ contra fas aliquando expetunt proſiliant, tamen ipſo iubente lubenter conquieſcant, imò ſuos ab incœpto tramite reflectant greſſus, vt quò vult, ſummus diuinæ currus gloriæ inter mortales moderator protinus ſeſe conuertant, eiuſque monitis ac placitis pro Dei honore & communi ſalute humiliter ſuffragentur. Ideò in ſerie Propheticæ viſionis memoratæ ſubnectitur. *Cùm fieret vox ſub firmamento ſubmittebant alas ſuas.* Quia perſonante ſummæ Sedis oraculo, Prælati omnes conticeſcere debent ſuæque intentionis & poteſtatis pennas, vbi Epiſcoporum Epiſcopus Dei Vicarius eloquitur, gradumque ſiſtere iubet, ſine cunctatione demittere, atque voci eius penitus acquieſcere, ac vltra deinceps non progredi. Sic olim fecit Cyprianus beatiſſ. Martyr, * qui cùm intentiſſimo fidei zelo æſtuaret, hæreſéſque vehementer execraretur, collecto ſuorum collegarum cœtu, vbi baptiſmum ab hæreticis collatum omnino reprobandum, & ideò repetendum cenſuiſſet, atque etiam feruente ſtudio vbique ſuam hanc ſententiam propagare & ſtabilire niſus fuiſſet: Stephano tamen ſummo Pontifici conatus ſuos auctoritate ac traditio-

* S. Auguſt. lib. 1. contra Donatiſtas c. 18. & 19. & epiſt. 48. ad Vincẽtium. At non modò S. Cyprianum reſipuiſſe, ſed & collegas eius qui Concilio Carthag. ſub eo habito interfuerant interpellante Stephano Pontifice ad ſaniora conſilia, quàm quæ inierant rediiſſe, teſtatur S. Hieron. in Dialogo cont. Lucifer. aſtipulatur & Vincent. Lirin. in aureo Opuſc. contra *Prophanas vocum nouitates*, vbi Cyprianum Stephano ad extremum vſque ſpiritum adhæſiſſe affirmat.

ne Apostolica retundenti, ac sacratissimo oraculo nouitatem eiusmodi explodenti, proprio tandem cedens genio auscultauit, *virgamque* Pastoralem Ecclesiæ supremam *aduenerатus*, pedem ab impetu quo penè proruerat continuit, suoque cruore vnitatem Ecclesiæ, in quam inordinato hoc conatu paululum impegerat, gloriosissimè profuso assertam sarciuit, obsignauit. Sic S. Hilarius Arelatensis Archipræsul comperitur insignis modestiæ ac pietatis exemplo Apostolico Imperio obsequutus, qui cùm Ecclesiæ suæ iura paulo ardentiùs persequeretur, in nescio quem potestatis excessum delapsus, qua Pontificium suum plus æquo dilatare videbatur: à S. Leone Papa interpellatus * ad se reuersus à cœptis properè resiliit, vbi conamina sua Pontificio intellexisset rescripto fuisse cohibita. Ita & Hincmarus fecit Metropolita Remensis, Hugo Lugdunensis, & Richerius Senonensis, qui non modò tuendæ dignitatis, sed & amplificandæ potestatis affectu nonnulla molientes Pontificia auctoritate repressi, Decretis Apostolicæ Sedis, suorum etiam, vt ipsis videbatur, iurium dispendio obsecundare maluerunt, quàm apud Deum noxam & apud posteros labem inobedientiæ contrahere. Nec dubium quin piissimus Lingonensis Antistes, qui summum Ecclesiæ Antistitem præcipua semper deuotione coluit, supremámque qua vice Christi in terris ille præeminet, potestatem religiosè hactenus reueritus est, hâc disquisitionê percepta Iulij II. Apostolici Pontificis inhibitoria sanctionê, de Ecclesiæ Lingonensis iurisdictione haud diuellenda & minimè dignitate minuenda, à Sedis Episcopalis dissectione vel geminatione quam nuper aggressus est lubens

* Auctor vitæ S. Hilarij Arelatens. apud Cujacium l. 15. Obseruat. ca. 38. sub oram. *Hilarius* (ait) *totum se ad placãdum animum S. Leonis, inclinata humanitate conuertit. misit primit' sanctum Rauennium tunc Presbyterum, postmodum proprium successorem, deinde S. Nectarium, sanctumq; Constantinum præcipuos Sacerdotes,* &c. subdit, vt etiam Suffragationem Auxiliaris Præfecti vrbici ad S. Leonem leniendũ adhibuerit, hacque interuentione adeptus sit admissæ culpæ indulgentiam. Digna est scitu hæc historia quam Card. Baronius non legit. Siquidem in notis suis ad Martyrol. Rom. 3. Non. Maij (quæ dies memoriæ sacra est B. huius Hilarij) resipuisse eumdẽ quidem coniicit, at minimè conuincit, plena rei gestæ destitutus notitia: quam auspicato assecuti in notationũ ipsius Card. supplementum hic expromere, operæ precium censuimus. Porrò eamdẽ obseruationem supra pag. 308. in margine obiter delibauimus, omissâ quam hic reponimus sacri priscique historici

abſtinebit, atque vt olim Abraham Patriarcha filium immolaturus voce interpellatus Angelica extenſam ad percutiendum dexteram continuit, ſtrictúmque gladium recondidit. Vnigenitum ſuum intactum dimittens (vt cœlitus proclamatum fuerat) illæſum: ſic equidem Pater ille & Antiſtes Eccleſiæ Lingonenſis audito coangelici Pontificis Apoſtolico oraculo, manum quam ad diuiſionem vnicæ ſuæ & ſponſæ & filiæ iamiam exeruit, à plaga hac inferenda protinus cohibebit, ipſamque quam amandam, fouendam & tuendam ſuſcepit, lubens illæſam ſinet & ſeruabit incolumem. Nec enim verendum reor quod Apoſtolicis velit iuſſionibus refragari, quas ipſo ſuæ ordinationis Sacramento * ſyncerè ſe obſeruaturum profeſſus eſt: aut diuiſionem perſequendo, facinus Leuitæ illius cupiat renouare, qui vxoris corpus, proprio in fruſta gladio concidens, & vbique per terminos populi ſui diſpertiens, conclamare fecit: *numquam talem rem factam eſſe in Iſrael*, Iudic. 19. 29. 30. Nec enim vnquam viſum eſt in Eccleſia, vt Epiſcopus propriæ Sedis diuiſionem pertentaret, ſponſæque ſuæ diſſectionem, neſcio quo geminandæ dignitatis ſuæ affectu meditaretur. Vnuſquiſque certè Epiſcopus eſt expreſſa teſtificatione.

* In veteri codice Canonum Gallicanæ Eccleſiæ ante annos circiter 700 in membrana deſcripto (vt ex nota patet) cuius apud me extat autographum ipſo in 1. lib. limine, qui ſummorum Pontificum à S. Clemente ad S. Gregorium decreta, quibus Gallicana regebatur Eccleſia, continet, affixa cernitur inſignis Metropolici Pontificis profeſſio, qua poſt exactam Catholicæ fidei confeſſionem ipſe ſub Sacramento Apoſtolica decreta ſe ſeruaturum promittebat, ſeq; B Petro & eius Vicario debitam ſubiectionem & obedientiam ſpondebat redditurum. Hinc habes quàm ridiculus ſit pſeudominiſter Molinæus qui in lib. de Vocat. Paſtorum perſuadere nititur ſponſionem obedientiæ quam Epiſcopi Gallicani ſummo Pontifici faciunt recèns inuectam fuiſſe, at iam demonſtrauimus p. 269. ex vetuſtiſſimo more in Galliis recepto Epiſcopos ſua in ordinatione profeſſos fuiſſe ſe *decretales S. Apoſtolicæ Sedis conſtitutiones reuerenter ad ſeruandum ſuſcipere, &c.* Inſuper pollicitos *Beato Petro eiuſque Vicario, cui ligandi atque ſoluendi poteſtas diuinitus tradita eſt: fidem & ſubiectionem per omnia exhibere.* Quâ ſponſione præſtitâ, Archiepiſcopo demum ſe ſubiectos fore promittebant. Cæterum non ipſe Archiepiſcopus conſecrari poterat à Suffraganeis quin prius ſimilem ſubiectionem ac obedientiam ſummo Pontifici ſe exhibiturum religioſè iuraſſet, vt ex citato codice, cuius ſynceritatem, veneranda ipſa vetuſtas, quæ primo ſe eius prodit aſpectu, inſinuat, perſpicuè conſtat. Ex his itaque patet falſitas eiuſdem Molinæi ad calcem prædicti libri aſſerentis, olim ſoli Archiepiſcopo & non Papæ Epiſcopos obedientiæ ſponſionem præſtitiſſe: Cùm vterque, nempe tam Metropolitanus quàm Suffraganeus ſemper profeſſionem in ordinatione ſua emiſerit parendi ſummo Pontifici: quam Patres (vt Lechaſſerius ſupra citatus tradit) *Canonicam ſeu regularem*, paſſim appellabant; apud quos & illud vulgare inoleuit: *Papa non obedire eſt obire; non parere eſt perire.* Steph. Tornac. epiſt. 131. ad Decan. & Capit. Eccleſ. Aurel.

Ecclesiæ suæ sponsus. Igitur cum ea spirituali connubio fit vnum corpus & vna caro. At verò, vt ait Apostolus, Ephes. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet illam*: vnde monet viros, *vxores suas vt diligant & protegant. Vir caput est mulieris*, inquit, *sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse seruator corporis eius. Viri igitur diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.* Pulchrè autem Christum appellat seruatorem corporis Ecclesiæ; quippe qui ne ipsa læderetur, aut à se diuelleretur, semetipsum obiecit excidio: vnde Propheta, *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus*, Esa. 53. 5. Hincque est cur Christus in cruce distentus, clauis confossus, spinis redimitus, lancea transfixus, totoque corpore plaga & liuore coopertus, nullam tamen ossium fracturam perpeti voluit, sed intimâ integritatê agnum sese mysticum illum esse prodidit, de quo scriptum erat, * *Os non comminuetis ex eo.* Nempe quia in ossibus, structura corporis potissimum consistit; quæ ideo carne & pelle teguntur, neruisque compinguntur, quòd ipsorum fulcimento & compagine corporis sustentatur moles. Ecclesiæ igitur, quæ Christi plenitudo dicitur, ossa ipso in Christi corpore naturali, speciem præferebant: quamobrem maluit Christus pellem suam dilacerari, carnémque omnem transfigi & contundi, sanguinémque ipsum ex intimis cordis meatibus, ferali haustum mucrone diffundi, imò & ipsum quoque exhalare spiritum, quàm ossium suorum integritatem lædi, hoc est Ecclesiæ suæ vnitatem diuidi, connexionem dissolui, incolumitatem violari. Hoc

* Exod. 12 46. Ioan. 19. 36. Vide Origen. tom. 10. in Ioan. & S. August. enarrat. in Psal. 33. hęc verba tractantem. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur*: vbi & illud mysticum de Christo adducit ac explicat. *Os eius noli frāgere*, Exod. 12. Nota & præclarum istud eiusdem S. Doctoris dictum in v. 11. Psal. 34. *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi? O corpus*, inquit, *Christi Ecclesia! omnia ossa tua dicent, Domine quis similis tibi? Carnes persecutioni cesserunt, ossa non sunt comminuta.*

verò

verò myſterio non tantùm inſinuauit Dominus quo amore Eccleſiam ſuam proſequeretur: dum vt illam ſeruaret, ſemetipſum obiecit exitio: *ſed inſuper expreſſo monimento ac inſigni exemplo omnes Eccleſiarum Præſules edocuit, quo affectu complecti quiſque eorum debeat Eccleſiam ſibi myſtico fœdere deſponſatam: nempe ſic vt eius honorem zelo feruenti propugnet, atque integritatem vt tueatur & conſeruet, omnia ſua exponat, vitamque ipſam potiùs profundat, quàm ſciſſuram illi vel iacturam inferri à quoquam patiatur: * Tantùm abeſt, vt ipſe ſplendorem illius obſcurare, ſtatum conuellere, vnitatem proſcindere, iura diſtrahere, conſortium deſerere audeat. Sanè vniuerſalis Eccleſia ad humani corporis, ſub vno capite, diuerſorum membrorum nexu & conteſſeratione, conſiſtentis, formam, vt paſſim docet Apoſtolus, compoſita eſt. Vnde particulares Eccleſiæ, Catholicæ ipſius membra ſunt, myſticáque oſſa, quibus, ea qua conſtat plenitudine ac amplitudine, fulcitur: cuius vniuerſalis corporis connexio, vt diuina lege inſolubilis eſt; ſic eius cuiuſque membri eſt inuiolabilis integritas, Spiritu ſancto ſolemni edicto decernente, *Os non comminuetis ex eo.* * Proindéque nulli cùm liceat oſſis quantulum ſit, huius myſticæ compaginis firmitatem infringere, multominùs fas eſt Epiſcopo, qui ſacræ huius portionis, plenitudinis Eccleſiaſticæ, tutor ac ſeruator eſſe debet, incolumitatem temerare, vnitatem diſſoluere, ſtabilitatem concutere, diuellere dignitatem. Sicut enim olim Salomon ſolerti iudicio deprehendit, illam matrem haud eſſe infantuli quæ mellita lingua, at cruen-

Ioan. 10. 11. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Vide homil. S. Chryſ. 59. in Ioan. quæ luculenter de Chriſti hac in re imitatione diſſerit.

* Iuo Carnot. ep. 183. *Epiſcopus,* inquit, *qui iura Eccleſiæ ſuæ diripi ſinit, ſacrilegij particeps & exitor Epiſcopatus iudicatur.* Conſonat & gloſ. not. in can. *Conuenior.* 32. qu. 8.

* Perlege S. Bern. ſerm. inſcriptum *de cute, carne, & oſſibus animæ.*

3. Reg. 3.

ta mente eiusdem ambiebat sectionem: sed eam quæ visceribus super natiua prole, commotis, ad diuisionis verbum, non minùs quàm ad gladij feralis aspectum, expauerat, exque materni amoris synceritate exclamauerat, nullatenus puerulum diuidendum: at vt illæsus seruaretur, Regem ipsum enixè obsecrabat, integrum vt iuberet potius æmulæ tradi, quàm duas in partes dissecari. * Sic certè si ab Antistite Ecclesiæ deposceretur diuisio, inordinato hoc affectu paternum non habere patenter se proderet animum: cùm eius concisionem experteret, cuius vnionem fouere, ac integritatem ex officio, ipsum, optare & conseruare, decet. Vt igitur Ecclesiæ Lingonensis Reuerendiss. Episcopus se verum ac genuinũ parentem ostendat, omne debet cõsilium diuisionis procul abiicere, atq; sacrosancti sui muneris memor, paternos induendo affectus, longè alios affatus quàm quos nuper exerere visus est, depromere; serióq; apud supremum Ecclesiæ Hierarcham obtestari, se Ecclesiæ suæ scissuram (eo quod lex * Pontifici prohibeat propriam discerpere vestem) prorsùs exhorrescere, atque ex præcordiis optare & ore syncero exposcere, inuiolabilem eiusdem permanere vnitatem. Hoc verò paterni amoris testimonium, hoc pastorale solatium, hoc Episcopale subsidium, ab eo petit & exigit, coniugalis nexus subnixa iure, & ipso fulta sponsæ titulo, Ecclesia Lingonensis: quin & amantissimè, blandísq; quibus potest vocibus ipsum interpellat, vti explosis quibúsque maleuolis suggestionibus, diuortij funesta inchoatione suppressa, dierum desponsationis suæ recordetur, quando ipsi incorporata, *osque de ossibus & caro de carne* eius effecta, insolubili nexu eidem con-

* Hinc S. Bern. epist. 158. ad Eugen. *Vnum scio*, inquit, *non patris, non matris illa vox erit: nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.*

* Leuit. 21 *Pontifex, id est sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, &c. vestimenta non scindet.* Ad quem locum Origenes hom 12. in Leuit. inter init. & med. monet Sacerdotẽ summum exemplo Domini, vt sponsam non deserat aut deturpet, sed, vt vestem sacram, seruet illæsam. *Hic est*, inquit, *vere qui vestimenta sua non disrumpit, sed semper ea munda, semper INTEGRA, semper*

iuncta, ipsiúsque curæ ac patrocinio, vt corpus capiti coaptatum, diuino arcano delecta fuit. Præsidium eius igitur, sacrosancti huius fœderis iure & debito implorat, eumdémque per venerandam coronam adiurat atque obtestatur, ne suæ integritatis impetitoribus consensum præbeat, præstetve, sacri nominis auctoritate, auxilium. Quinimò conuersis in propitiatoriũ, vti Cherub, obtutibus, Arcam, cuius clientelam suscepit, sedulò custodiat, direptores quosuis huius Sacrarij virgâ æquitatis feriat & depellat, atque versatili gladio ab inuasione sacræ arboris, & horti conclusi, ac mysticæ integritatis sigillo signati fontis, aditu, potenter coerceat. Nec verò ipsi, hoc proprio defungenti munere, subsidium deerit, sed aderit potentissimum, huic incumbendo, præsidium. Est enim in Hierarchia subcœlesti, summus sub Deo religionis apex, Romanus Pontifex, qui, vt ait S. Bernardus, *sæculum ipsum suscepit gubernandum*: quique cùm sit speciale diuinæ prouidentiæ instrumentum, & Christi omnipotentiæ organũ singulare, Ecclesias omnes earumque Antistites, vt suo sub imperio continet, sic tutelæ suæ tegit ac protegit patrocinio, Patrum Pater, vniuersitatis Episcopus, omniúmque Ecclesiarum basis & firmamentum. Ad quem ideò confugientes quique orbis Antistites, possunt præclara Cassiodori verba * appositè referre. *Vos speculatores Christiano populo præsidetis, vos, patris nomine, omnia diligitis, quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia.* Quamquam enim *Rectores*, vt ait Sapiens, *Deus in vnaquaque gente constituerit*, singulisque Ecclesiis Angelum proprium deputauerit tutelarem, hunc tamen Oecumenicum Præsidem, supremum moderatorẽ,

casta seruauit. Lege & Isid. Hispal. Comment. in Leuit. c. 12. inscripto, *de sacerdote magno & cultu eius*, post medium: vbi quæ de Pontifice Leuitico, ad Euangelicum traducit.

* Lib. 11. epist. 2. ad Ioan. PP.

Ecclef. 17. 14.

visibilem Archangelum his omnibus proposuit, cuius præsidio & tutelæ supposuit vniuersas *familias gentium*, hoc est omnes Ecclesias toto orbe diffusas, cunctósque earum populos atque Præfectos. Vnde Petro iniunxit Christus non modò vt fratres confirmaret, sed oues quoque omnes suas & agnos pasceret, submonendo vt cœlestis alimoniæ pabulo illos reficeret, baculo summæ potestatis defenderet, atque gladio spiritus igneo, vallaret & tueretur.* Quemadmodum igitur Michaël Archangelus, Hebræorum Angelo pro sibi commendato populo decertanti, opémque ipsius vt potentioris interpellanti, astitit, suoque subuexit præsidio: sic & Petri hæres & successor, qui totius Ecclesiæ, vt dudum Michaël, Synagogæ curam gerit: Episcopo Lingonensi lubens aderit, manúmque adiutricem exhibebit, si pro Ecclesiæ commissæ integritatis custodia, suum vt omnium Patris ac communis Opitulatoris patrocinium voluerit implorare, hisque vocibus opem summi Apostolatus deprecari, quibus olim Ioannes Sarisberiensis Carnutensium Episcopus, gloriosique athletæ Christi Thomæ Cantuariensis manus & oculus, Alexandrum III. Pontificem Maximum compellauit. *Membris est vigor à capite & à S. R. E. post Deum salus est omnium Ecclesiarum: vnde incumbente necessitatis articulo, ad successorem Petri, Vicarium Crucifixi, clamamus, ad quos enim confugiendum nisi ad R. E. vbi viget diuinæ legis custodia & totius sacerdotij principatus? Idcirco Sanctitati vestræ supplicamus vt nobis in auxilium exurgatis.* Verùm si pro Ecclesia sibi credita abnuerit Episcopus interuenire, eiusque defensionem vt debet assumendo, Sedis Apostolicæ, pro eius tutela, implorare noluerit opitula-

Psalm. 21. 28.

* Nec modo tutorē Ecclesiæ Christus Petrum instituit, sed & medicum eiusdem esse voluit. Quod præclare S. Ignatius CP. Patriarcha intulit in epist. ad Nicolaum PP. supplicatoria, quam Patres 8. Synodi act. 3. legi fecerūt, lectamque probauerunt. In hac enim hôc nomine opem Petri sibi afflictæque Ecclesiæ Orientali, ab ipso Pontifice efflagitat: quod Romanus Pontifex Petri hæres & successor, vnicus corporis Christi, hoc est Ecclesiæ totius, Medicus fuerit ab ipsomet Christo Seruatore cōstitutus.

Epist. 53. 193. 220. 298.

tionem, non est tamen cur Clerus Lingonensis & populus animum despondeat. Quandoquidem ex ipso supremi Apostolatus officio, aderit collabanti Ecclesiæ, atque proprij Episcopi præsidio destitutæ, vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, Pastorque Oecumenicus, qui sacratissimam dexteram porriget auxiliatricem & solatium præstabit opportunum, necessariúmque patrocinium non modò suppeditabit, sed & ipsum Episcopum (sicut dudum S. Gregorius Fortunatum Neapolitanum Præsulem admonuit *) quòd hac in parte suo minus satisfaciat muneri paternè officij commonefaciet, quin vniuersa conamina elidet, quibus ille propriæ Ecclesiæ immunitionem, imò dissectionem satagit. Resistunt (vt prælibatum est) Angelis aliquando Archangeli, cùm & Michaël, Persarum Angelo obstiterit, contra Angelum Hebræorum annitenti. Sic verò & summus Pontifex inferiorum Præsulum illegitimis votis atque conatibus; ex munere quo in commune totius generis humani commodum, Dei dispositione defungitur, solet obniti: atque aduersus noxia ipsorum molimina, quibusque Ecclesiis, iustæ defensionis impendere præsidium. Ad hoc enim *mons iste sublimis in verticem montium*, cœlitus subuectus fuit, vt non tantùm sua celsitudine omnibus collibus præemineret, sed etiam sacræ suæ potestatis amplitudine, seu potiùs plenitudine, vniuersis qui aliquo concutiuntur grauamine, aut pulsantur discrimine, opitularetur. Vnde B. Athanasius strenuus assertor & vindex gloriæ Dei-hominis, sic cum collegis suis Episcopis Ægypti, opem Felicis summi Antistitis pridem deposcebat. *Romana Ecclesia firmamentum fixum & immobile percepit, quoniam*

* S. Gregor. lib. 7. ind. 2. epist. 110. Qua Fortunatum Episcopum grauiter reprehendit, quod qui Vnitati gregis sibi commissi studere potissimum debuerat, diuisionem inuexisse ac promouisse, propriam in Ecclesiam diceretur. *Comperimus*, inquit S. Pontifex, *in duas se partes populum diuisisse: & quia nobis triste & tibi graue est, inter habitatores memorata ciuitatis prodijsse discordiam, quorum Vnitati studuisse debueras. Ideo charitatem tuam in his hortamur affatibus, vt cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinatione transmittas qua, &c. aduersariorum intentionibus ac obiectis per omnia valeat respondere, vt veritate cognita salubrem hic finem causa suscipiat, & solaque inter te & filios tuos pax sicut decet & charitas perseueret.*

Mich. 4. 1.

*ipsam formam vniuersorum titulorum** lucidißimam, Dominus Iesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa enim est sacer vertex, in qua omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, releuantur; & sicut in Christo conseruantur Christiani; ita & in petra, id est Christo, vel in Petro, ** Petri confirmantur Ecclesiæ. Ita & auct. qq. n. & vet. test. ap. S. Aug. qu.* 75. Petri enim Apostolicæque Sedis omnes orbis Ecclesiæ sunt filiæ, quæ ideo quoties aliquo concutiuntur incursu, ad Romanæ Ecclesiæ sinum & Petri successoris præsidium solent ac debent confugere. Est enim Sedes Apostolica * *lapis adiutorij, arca salutis, columna veritatis, thronusque* non tantùm *Iustitiæ*, sed & gratiæ Sedes ac misericordiæ. Quamobrem scitè Iuo Carnotensis percelebris Episcopus, Paschalem Petri successorem exorando, hac eum interpellatione affabatur, ep. 258. *Quoniam apud Sedem Apostolicam viget misericordia & iustitia, à quibuslibet oppreßis humiliter ad eam recurrendum est, vt ibi vnusquisque accipiat, aut iustum pro rerum veritate iudicium, aut pium pro Apostolica moderatione solatium.* Igitur Ecclesia Lingonensis eo quo concutitur discrimine, *ad montem* hunc sublimem *oculos* subleuat, *vnde auxilium* vel solatium sperat sibi adfuturum: vtque *pullus hirundinis clamitans*, imò sicut *columba* perterrita *fugit* tremula *in foraminibus petræ.* Petræ inquam illius quam Christus posuit *in fundamentum Ecclesiæ.* Petræ illius mysticæ *quæ fundit riuos olei*, misericordiæ scilicet & salutis. Petræ, quæ *mons est excelsus ceruis, refugium Herinacijs*, vt ab incursu quo impetitur Apostolicæ auctoritatis protecta vmbraculo, secura & immunis esse queat. Clamat ad Petri successorem, vt suos gemitus paterna pietate excipiat, aduolantémque ad eius po-

* Hoc est *Ecclesiarum*, quæ *Tituli* prisco ex vsu appellantur vide lib. Pontificalē, quem alij Damaso PP. alij Anastasio Bib. tribuunt in Euaristo: & Pij PP. & M. epistolas ad Iust. Vienn. Huius nominis & vsus diuersas ex vtraque politia indigitat auctoritates Card. Baron. in notis ad Martyrol Rom. 7. Kal. Aug. vbi etiam monet non omnes Ecclesias, sed quæ matrices duntaxat essent apud veteres, Tituli sortitas fuisse appellationem.

** *Christi Vicario.* Nam Petrus hôc nominê, etiam petra est fundamentalis Ecclesiæ, at petra angulari lapidi innixa: cuius suffulta robore, ædificium vniuersū sustentat. Hinc S. Leo ser. 3. de anniuers ordin. suæ, sic Dominum inducit Petrum alloquentem. *Tu es Petrus; quoniam tu quoque petra es qui mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

* 1. Reg. 4. 1.
Hebr. 11, 7.
1. Timoth. 3. 15.
Psalm. 120. 1.
Esa. 18. 14.
Cant. 2. 14.
Matth. 16. 18.
Psalm. 103. 18.

tentiæ manum, dextera iustæ defensionis communiat, atque Apostolico patrocinio foueat & tueatur. Petri vmbra infirmos recreabat, dextera debiles erigebat, defendebat vox eius insontes. Apostolicæ igitur Maiestatis sacris vestigiis prouoluta, filia mœrens & misera, opem benignissimi Patris, Christi amoris Vicarij, Petríque ipsius successoris deuotissimè implorat, itidemque humillimè deprecatur, vt id nunc quod Patrem, quod Petrum, quod Romanum Pontificem, immaculatæ columbæ nutritorem, quod Pastorum decet Principem, totiúsque Ecclesiæ parentem ac vindicem faciat & impertiat. *Iam securis ad radicem arboris est posita*: vt stirpitus Lingonensis Cathedræ dignitas excidatur, vnitas diuidatur, & infaustâ scissurâ pessumdetur integritas. Solius autem Pontificis qui vicem Dei in terris gerit, adeò ingentem cladem potest dextera amoliri. Præstet igitur tanto in discrimine subsidium, quod iustitia & pietas exigit, soláque potest, qua pollet suprema auctoritas impendere: propulset imminens afflictæ excidium, quod solus impedire potest. Voci enim eius, cui *claues regni cœlorum traditæ sunt*, quique solus supremo arbitrio *omnia in terris ligat & resoluit*, nihil est quod possit obniti, nullus est, qui verbo obsecundare non debeat. Petro enim Christo duce pridem cesserunt tumentes marini gurgitis vortices, & vectes ferrei, eius præsentia reclusi sunt. Mors ipsa, voce ipsius exterrita, spolium dimisit, & aduocata eiusdem oraculô vita, in artus exanimes protinus fuit refusa. Igitur non est quod necem aut iacturam vereatur intentatam Ecclesia Lingonensis, si Petri hæres * potestatis suæ Presidium ei dignetur impertiri. Fluctus enim quibus

Act. 5. 15. 3. 6. 2. 14.

Matth. 3. 10.

Matth. 14 29

Act. 12 10.

Act. 9. 40.

* Petrus etenim qui adhuc in propria Sede viuit &

præsidet, ait Chrysologus epist. ad Eutichet. Sedis suę possessori, non vices modo suas cõcessit, sed & indidit vires.

ipsa quatitur, solo ille nutu comprimet & elidet; Catenas angustiæ quibus illa constringitur, solo iussu discutiet, exitium porrò quod vertici eiusdem impendit, ex scissuræ funestæ imminenti discrimine, ipso obtutu depellet: atque illibatæ integritatis tutela, vnitatisque sacrosanctæ opportuna conseruatione, mysticum in ipsius Ecclesiæ corpus, vitales, quos fere iam exhalat, spiritus refundens, perennem ei incolumitatem comparabit. Non enim vt quódam Iephte, filiam in paterno honore gloriantem, paternóque in amore confidentem, proprio ense immolabit pius Pater: sed viscerum memor suorum, gladium in dilectæ prolis perniciem strictum potius amouebit, Christique cuius gerit in terris vices, imperio vtens præcipiet protinus in vaginam recondi: ac ipsum Angelum qui plagam inferre tentat, & solem natiui huius Ecclesiæ splendoris, *profusâ indignationis phialâ* obscurare nititur, à noxio cohibebit conatu: auspicatóque *aduolans ab ortu solis, pacisque æternum Euangelium proferens*, subortos hac contentione, sacratissimo suo oraculo compescet motus, dissidentes conciliabit affectus, fœdus sacrosanctum spiritualis connubij Episcopi cum Ecclesia resarciet, insolubiléque pronuntians, diuisionem omnem consopiet, ac inuiolabili nexu concordiæ & amoris sponsum cum sponsa deuinciens, pristinum non modò vtriusque seruabit decus illibatum; sed Ecclesiæ ipsius dotes ampliori exornabit decore, vberioríque benedictionis cumulo illius Antistitis merita coronabit, sibique ipsi, hôc præclaro ac verè Pontificio facinorê, eminentis Iustitiæ ac pietatis, immortale pariet monimentum.

Iudic. 11. 39.

Ioan. 18. 11.

Apocal. 16. 8.

Apoc. 7. 2. 16. 6.

FINIS.

Per eum & in eo qui A *est &* Ω.



AVCTORIS PROTESTATIO.



VAMQVAM neminem lædere hac in re dissertatione voluerim: abhorreamque prorsus, sanam in Ecclesia Catholica Apostol. & Romanę doctrinam, vel leuiter impingere: Tamen quia ad sanctuarij lancem iubet Deus sacerdotes expendere munera, quæ ad cultum ipsius inferunt ac offerunt, hoc meum opusculum, quod Ecclesiasticæ vnitatis affectû ac pacis studiô contexui, libenter eiusdem Ecclesię examini, sacris ponderibus trutinandum, subijcio. Nec modo hunc librum, sed cæteras omnes meas lucubrationes, siue iam typis excusas, siue hactenus ineditas, à prima dictiuncula, syllaba, littera, ad extremum vsque apicem, summi Pontificis ac S. Sedis Apostolicæ intemerato iudicio, omni animi demißione summitto, paratus si quid à me secius dictum scriptumve sit, viui ipsius, Christi, apud mortales, oraculi, imperiô emendare. Ita spondeo, ita voueo,

ANDREAS DV SAVSSAY Presbyter Parisin. Theologiæ Profess. ac sacrorum Canonum in alma Parisiorum Academia Doctor.





I.

SERIES PRINCIPALIVM RESCRIptorum, seu Pontificiorum ac Regiorum aliquot Diplomatum, vrbicorumque monimentorum, quorum Apographa in huius operis contextu, reponere ad calcem, in vberius causæ subsidium, promisimus.

INNOCENTII III. PP. SANCTISSIMI AC CELEBERRIMI TRIA INSIGNIA SVPER NEGOTIO ECCLESIÆ LINGONENSIS RESCRIPTA. Quibus perspicuum fit, cùm Ecclesiæ vtilitatibus aduersa molitur Episcopus, Capitulo, tutelam Ecclesiæ assumendi, ex officio, probatóque à S. Sede Apostolica more, ius competere.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Venerab. F. G. LINGONENSI EPISCOPO, &c.



ICET iuxta testimonium veritatis necesse sit, vt veniant scandala, quia tamen secundùm idem: væ homini illi per quem scandalum venit, dolemus non modicum, cum inter viros Ecclesiasticos, qui pacem euangelizare tenentur, seditionis alicuius materia pullulat, *& litigiorum incentiua sub-*

crescunt, cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant in vinculo pacis, & vnitate tractari. Quamuis autem super quorumlibet Ecclesiasticorum virorum discordia plurimum doleamus, maiori tamen dolore concutimur, cum *vel pater in filios, vel filij seditionem suscitant in parentem*, & illos discordia diuidit: quibus ad *vnius Ecclesiæ obsequium deputatis, deberet esse cor vnum, & anima vna.* Sanè cum tu Lingonien. Ecclesiæ *caput* existas, dilecti autem filij Decanus, & Canonici Lingonien. sint *membra* ipsius, ac tua; tanto vos vellemus ad inuicem charitatis vinculo couniri, vt vicissim vestra onera portaretis, & tu membris dolentibus condoleres, & ipsi suis tibi vicibus, in vnitate deseruirent. Verùm (sicut accepimus) inimico homine superseminante zizania, tanta inter vos discordia est suborta, vt dictis Canonicis te coram venerabili fratre nostro Lugdunen. Archiepiscopo super dilapidatione, & insufficientia in causam trahentibus, tu ad Apost. Sedis audientiam appellasti, festum beati Lucæ proxim. futurum terminum appellationi prosequendæ præfigens, quem ijdem Canonici ad Dominicam, qua cantatur Iubilate Deo, proximo præteritam, sicut eorum continebant literæ, coartarunt. Nos igitur vtrique partium deferre volentes, ne sub intemperie aëris, & caloris intemperantia cogamini ad Sedem Apostolicam laborare, fraternitati tuæ sub peremptorio per Apostolica scripta mandamus, quatenus hinc ad festum beati Michaëlis proximo futurum Apostolico te conspectui repræsentes, Canonicorum responsurus obiectis, & propositurus, si quid proponere volueris contra ipsos, nisi forsan interim inter vos pacis possint fœdera reformari. Scias autem nos partem aduer-

ſam ad eundem terminum citauiſſe, ita vt illi, quorum nomina per tuas nobis literas expreſſiſti, perſonaliter ad nos accedant, his, quæ propoſueris reſponſuri. Ad hæc tibi fortiùs inhibemus, ne occaſione huius diſcordiæ bona Eccleſiæ tuæ dilapidare præſumas. Datum, Romæ XVII. KALEND. IVNII ANNO PRIMO.



II.

IDEM, EIDEM.



SINE dolore tibi, & pudore ſcribere non valemus, cùm Sedes Apoſt. quod olim in te dignoſcitur approbaſſe, nūc peccatis exigentibus cogitur improbare. Cùm enim ab ipſo tuæ promotionis principio inter te, & dilectos filios Canonicos Lingonen. multæ pullulauerunt quæſtiones, nec vnquam, poſtquam tuo commiſſa fuit regimini, pacem habuerit Eccleſia Lingonen. ſicut fama refert publica, & quamplurium Prælatorum, & religioſorum ipſarum partium literis, noſtro eſt Apoſtolatui ſuggeſtum, non ſolum mobilia, ſed etiam immobilia ipſius Eccleſiæ adeò diſtraxiſti, quòd quæ olim inter Gallicanas Eccleſias nobilis fuerat, & famoſa, nunc habeatur ab his, qui in circuitu eius ſunt, in opprobrium & contemptum. Super quibus, cum à Lingonen. Capitulo coram venerabili fratre noſtro Lugdunenſi Archiepiſcopo Metropolitano tuo delatus fuiſſes: vt eius iudicium declinares, Apoſtolicæ Sedis

audientiam inuocasti : festum Beati Lucæ proximè præteritum terminum appellationi prosequendæ præfigens : quem Lingonen. Capitulum ad Dominicam, qua cantatur : Iubilate Deo, proximè præteritam coarctarunt, Quæ vtique cùm tam per literas, quàm nuncios vtriusque partis ad nostram audientiam peruenissent, volentes tibi, & eis pro intemperie aëris, & caloris distemperantia paterna solicitudine prouidere, tibi per scripta nostra mandauimus, vt huius occasione discordiæ bona Lingonen. Ecclesiæ minimè dilapidare præsumeres ; festum beati Michaëlis proximè præteritum sub peremptorio terminum assignantes, quo te nostro conspectui præsentares ; obiectionibus Capituli responsurus, & propositurus contra ipsos, si quid velles proponere quæstionis. Cùm autem Canonici Lingonenses, & illi præsertim, quos personaliter ad petitionem tuam literis fecimus Apostolicis euocari, ad nostram accessissent præsentiam : & nos tuæ volentes fraternitati deferre, ipsos diu detinuimus, aduentum tuum aliquandiu expectantes. Comparuerunt tandem in præsentia nostra duo Nuncij tui, quibus (licet procuratores non essent) in Consistorio nostram dedimus audientiam : & quæ ab eo proposita fuerunt, audiuimus diligenter : facientes literas nobis pro te transmissas in nostro & fratrum nostrorum auditorio recitari : in quibus continebatur expressum, quod in Cistercien. Cap. in multorum religiosorum & aliorum præsentia, signum viuificæ crucis acceperas, vouens pro amore Iesu Christi ad partes accedere transmarinas : quod tamen post edictum peremptorium à te procuratum constitit esse factum. Et licet ipsi Ca-

nonici sæpius reclamarent, quod in expectando plus debito grauarentur, sententiam tamen nostram vsque in vigilia Natiuitatis Domini proferre distulimus, credentes quod tu venires, vel saltem sufficientem mitteres responsalem. Quamtumcúnque verò nobis sit molestum te in aliquo molestari, quia tamen incumbit ex iniunctæ administrationis officio corrigenda corrigere, & reformare in melius, quæ circa Ecclesiarum statum noscuntur minus licitè attentata: volentes etiam in iudiciis iuris ordinem obseruare, habito cum fratribus nostris super negotio ipso consilio, te pro contumacia manifesta, & dilapidatione vulgata, quam non solùm ad aures nostras fama publica detulit, immò etiam Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum religiosorum virorum testimoniales literæ demonstrarent, ab administratione totius Lingonen. Episcopatus, tam in spiritualibus quàm in temporalibus omnino suspendimus: auctoritate tibi præsentium iniungentes, districtiùs, vt suspensionem procures inuiolabiliter obseruare. Volentes autem, nisi fortè cedere malueris, quod saluti tuæ magis credimus expedire, causam, quæ inter te & dilectum filium Decanum Lingonen. pro Ecclesia vertitur, super dilapidatione, & insufficientia & aliis multis iniuriis, & grauaminibus per te ipsi Ecclesiæ irrogatis examinari celeriùs, & Canonico fine decidi: ne, si fuerit diutiùs prorogata, cadat irreparabiliter Ecclesia Lingonen. quæ iam videtur ex parte maxima cecidisse, ipsam venerabili fratri nostro Parisien. Episcopo duximus committendam: per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cum ab eo fueris requisitus, ipsius adire præsentiam non post-


ponas: responsurus obiectis, & obiecturis quæ volueris contra Decanum * agentem pro Ecclesia memorata. Si verò de vtriúsque partis voluntate processerit, quod per ipsum Episcopum diffinitiua sententia proferatur, ipse auditis hinc inde propositis, & ascitis sibi viris prudentibus, quos tanto negotio cognouerit expedire, causam ipsam fine canonico terminabit. Alioquin gesta vtriúsque partis redacta in scriptis, & sigilli sui munimine roborata, ad præsentiam nostram transmittet, præfigens partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Interim autem per dictum Parisien. Episcopum, per Procuratorem idoneum, Lingonen. Ecclesiæ præcipimus prouideri. Datum vt suprà.

* Nota.



III.

Idem O. Episcopo Parisiensi, & Magistro P. de Corbolio Canonico Parisiensi vt ipse vna cum Episcopo præsignato, controuersiam Capituli Lingonensis contra proprium Episcopum pertractet.



VM olim dilecti filij Decanus & Canonici Lingonensis contra Episcopum suum, ad citationē nostram ad petitionem ipsius Episcopi procuratam, ad Sedem Apostolicam accessissent, expectauimus si Episcopus idem, qui personaliter citatus fuerat, nostro se conspectui præsentaret. Qui cum nec venisset, nec misisset idoneos responsales, habito

cum

cum fratribus nostris super negotio ipso, consilio, ipsum pro contumacia manifesta, & dilapidatione vulgata, quam non solum ad aures nostras fama publica detulit, immò etiam Archiepiscoporum, Episc. & aliorum religiosorum virorum testimoniales literæ demonstrarunt, ab administratione totius Lingonen. Episcopatus, tam in spiritualibus, quam temporalibus omnino suspendimus: eis literis Apostolicis districtiùs iniungentes, vt suspensionem ipsam curaret inuiolabiliter obseruare. Volentes autem, nisi fortè cedere mallet, quod saluti suæ meliùs expediret, causam, quæ inter ipsum Episcopum, & dilectum filium Decanum Lingonen. pro Ecclesia vertebatur super dilapidatione, & insufficientia, & aliis multis iniuriis, & grauaminibus ipsi Ecclesiæ per eundem Episcopum irrogatis, examinari celeriùs, & Canonico fine decidi: nè si prorogaretur diutiùs, caderet irreparabiliter Ecclesia Lingonen. quæ iam videtur in parte maxima cecidisse: ipsam tibi frater Episcope duximus committendam: per Apostolica scripta mandantes, quatenus partibus conuocatis, si de vtrius partis voluntate procederet, quod per te diffinitiua sententia proferretur: auditis hinc inde propositis, & ascitis tibi viris prudentibus, quos tanto negotio cognosceres expedire, causam ipsam fine Canonico terminares. Alioquin gesta vtriúsque partis redacta in scriptis, & sigilli tui munimine roborata, ad præsentiã nostram transmitteres: præfigens partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui præsentarent. Interim autem in procuratorem idoneum Lingonen. Ecclesiæ præcepimus prouideri. Cùm autem prædictus Decanus, & socij

eius cum prædictæ commissionis literis recessissent, dilectus filius E. Archidiaconus Lingonen. aduenit: ad cuius instantiam te fili Magister P. duximus eidem negotio adiungendum: cùm in primis literis esset expressum, vt tu frater Episcope viros tibi prudentes asciscires. Volentes igitur vt tenorem prædictæ commissionis inuiolabiliter obseruetis, licet ex abundanti, ad multam tamen instantiam Archidiaconi memorati discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus si dictum Episcopum per iudicium inueneritis innocentem, ipsum non solùm ab interdicti sententia, verumetiam ab impetitione Decani, & Capituli super obiectis appellatione postposita penitùs absoluatis. Personales autem quæstiones, si quas idem Episcopus, & tam prædictus, quàm maior Archidiaconus aduersus Decanum, vel aliquos Canonicorum habuerint, audiatis, & sublato appellationis obstaculo, curetis fine debito terminare: talem ad procurationem ipsius Ecclesiæ interim deputantes, qui neutri parti esse debeat de ratione suspectus.

Datum Lateran. IIII. idus Februarij an. II.



IIII.

Ludouici VII. Francorum Regis Christianissimi

CONSTITVTVM.

Quo in Cleri ac populi Lingonensis gratiam edicit, ciuitatem Lingonensem numquam Gallici sceptri Imperio submouendam, nec Episcopalis iuris quicquam, inde quouis modo vel occasione transferendum.



N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, Prouidentes quieti & tranquillitati subiectorum nostrorum fidelium, *attendentes etiam feruorem fidei ac deuotionis,* * *quam nobis & prædecessoribus nostris Regibus Franciæ Lingonenses, circa limitem Regni nostri constituti tam Clerus quàm populus irreprehensibiliter à multis retrò temporibus exhibuerunt*, præsentis paginæ Priuilegij duximus confirmandum, quod *ad statum & incolumitatem Coronæ nostræ* credimus profuturum. Ad petitionem ergo dilecti ac fidelis nostri Gauteri Episcopi Lingonensis, assensu & voluntate charissimi filij nostri Philippi statuimus, quod nec nobis nec alicui successorum nostrorum Regum Franciæ liceat, *Ciuitatem Lingonensem* vel aliquid eorum quæ tenet Episcopus Lingonensis de nobis, de manu nostra & dominio, *in posterum dimittere* neque in alicuius alterius personæ dominationem, *modo aliquo vel occasione deinceps transferre*. Quod vt perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem Chartam sigilli nostri authorita-

* NOTA.

te ac Regij nominis charactere subtus annotato iussimus roborari. Actum Senonis anno ab Incarnatione Domini, millesimo centesimo septuagesimo nono, astantibus in Palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. S. Comitis Theobaldi Dapiferi nostri. S. Guidonis Buticularij. S. Reginaudi Camerarij. S. Radulphi Constabularij. Data vacante Cancellaria. *Huic diplomati appensum hæret sigillum maius regium viridi ceræ impressum.*



V.

LVDOVICI XI. GALLIARVM REGIS CHRISTIANISSIMI PRAGMATICVM.

Quo, ob eximiam suam in sanctum Mamantem deuotionem, IVS REGALE à pientißimis suis Decessoribus Capitulo Lingonensi, Sedê Episcopali vacantê, condonatum, sacro eidem sodalitio rursus adicit ac confirmat, inuiolabiléque fore decernit.

NOTA. In hoc edendo Pragmatico, nos ob antiquitatis cultum, obseruasse punctuatim priscam Gallice scribendi rationem.



OVYS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE: Sçauoir faisons à tous presens & aduenir, nous auoir receu l'humble supplication de noz bien amez les Doyen & Chapitre de l'Eglise de Lengres, contenant que à cause de la fondation & dotation de laditte Eglise qui est de fondacion Royal, ils ont plusieurs beaulx droictz, prerogatiues & preheminances: Et entre autres tant de droict que par priuilleiges a eulx donnez & octroyez par noz

predeceſſeurs Roys de France, ils ont droict ET ACCOVSTVME' TOVTES ET QVANTES FOIS QVE LE SIEGE EPISCOPAL DE LADICTE EGLISE VACQVE, DE AVOIR LA REGALE ET ADMINISTRATION DV TEMPOREL ETSPIRITVEL DE L'EVESCHE' dudict Lengres, & de y commettre Officiers de par eulx, qui ſont tenuz leur rendre compte, & d'en receuoir les fruicts, prouffiƈts & emolumens, à la charge toutesfois de ſupporter les charges ordinaires & accouſtumees, & de rendre compte de leur adminiſtration au futeur Eueſque. Duquel droit leſdictz ſuppliants ont ioy & vſé de tout temps & anciennetté. Et ſoit ainſi que depuis le treſpas de feu Maiſtre Guy Benard n'aguieres derrenier Eueſque dudict Lengres, iceulx ſuppliants en vſant dudict droict & priuilleige, ayent prins & mis en leurs mains le temporel & ſpirituel dudict Eueſché. Et pour le Regime & gouuernement d'iceulx, aient commis gens & Officiers ainſi que faire deuoient, & auoient accouſtumé faire en tel cas. Mais aſſez toſt apres noſtre Bailly & autres noz Officiers de Sens ſe ſont tranſportez audict lieu de Lengres, & illecques ſe ſont efforcez de ſaiſir, arreſter & mectre en noſtre main tout le temporel dudict Eueſché, & de commectre Officiers. Et pareillement au ſpirituel. En quoy faiſant ont faict pluſieurs grans tors, griefs auſdicts ſuppliants, dont ils ont appellé & releué leur appel en noſtre Court de Parlement à Paris. Et neaulmoings leur a conuenu fraier & ſupporter grans fraiz enuers iceux Officiers pour les deſpens qu'ilz diſoient auoir faictz en la matiere. Et depuis noſtre ſainct Pere a

translaté nostre amé & feal cousin, Maistre Iehan Damboise, naguieres Euesque de Maillezais, de l'Eueschée dudict Maillezais à l'Eueschée dudict Lengres. Auquel nostre cousin iceulx suppliants ont rendu compte de leursdicte administration. Et par ainsi n'ont aucun interest à poursuiure leurdict appel, fors seulement pour auoir declaration de nullité desdictz abuz & entreprinses faictz contre leursdicts priuilleiges; afin que ou temps aduenir quant la vacation dudit Eueschée escherra, nosdictz Officiers n'ayent cause leurs faire aulcungs empeschemens. En nous humblement requerant que actendu ce quedict est, & mesmement que n'auons aucun interest en la matiere, il nous plaise pour les releuer des fraiz & charges, leur faire ladicte declaration en confermant iceulx priuilleiges & mectre ledict appel au neant, ou aultrement sur ce leur pourueoir de nostre gracieulx & conuenable remede. POVRQVOY nous ce que dict est consideré, voullans releuer nos subgects de trauaulx & oppressions indeües, & mesmement lesdictz supplians pour consideration des grans pertes & dommaiges qu'ilz ont euz & soustenuz au moyen des guerres & diuisions qui ont esté en nostre Royaume. A iceux Doyen & Chappitre de l'Eglise de Lengres supplians pour les causes dessusdictes, ET POVR LA SINGVLIERE AMOVR ET AFFECTION QVE AVONS AV GLORIEVLX MARTIR MONSIEVR SAINCT MAMMES PATRON D'ICELLE EGLISE de nostre grace especiale, plaine puissance & auctorité Royal AVONS CONFERME ET CONFERMONS PAR

CES PRESENTES les priuilleiges à eulx donnez & octroyez par noz predecesseurs, touchant ladicte Regalle & administration du temporel & espirituel dudict Euesché le Siege Episcopal vaccant, & auons declaré & declarons les entreprinses, tors & griefz à eulx n'aguieres faictz par nosdicts Bailly & Officiers de Sens, contre iceulx priuilleiges nulz & de nul efect & valleur; & comme telz les auons mis & mectons au neant comme chose non aduenuë, & pareillement auons mis & mectons ladicte appellation au neant sans admende, & sans ce que iceulx supplians soient tenuz la poursuir aulcunement. Et quant adce auons imposé & imposons sillence perpetuel à nostre Procureur present & aduenir. SI DONNONS EN MANDEMENT par ces mesmes presentes audict Bailly de Sens, & à tous noz aultres Iusticiers & Officiers ou leurs Lieuxtenans, presens & aduenir, & à chacun d'eulx si comme à luy appartiendra, que de noz presens grace, declaration & confirmation ilz facent, seuffrent & laissent iceulx supplians & leurs successeurs ioyr & vser paisiblement sans leur faire mectre ne donner aulcun destourbier ou empeschement au contraire. Lequel se faict mis & donné leur estoit ilz le repparent & reuocquent, & remectent ou facent repparer & reuocquer & remectre tantost & sans delay au premier estat & deu: car ainsi nous plaist-il, & voullons estre faict. Et afin que ce soit chose ferme & estable à tousiours, nous auons faict mectre nostre seel à ces presentes, sauf en aultres choses nostre droict & l'aultruy en toutes. DONNE' au Plessiz du Parc le cinquiesme iour d'Octobre, l'an de grace mil cccc. quatre vingtz & vn.

Et de noſtre regne le vingt & vngnieſme, ainſi ſigné ſur le reply, PAR LE ROY, les Eueſques d'Alby & de Poitiers, Maiſtres Iehan Chambon, Pierre de Sacierges & aultres preſens AMYS. Et plus bas Contentor, BVDE', & ſeelles ſur cire verte où il y a vn Roy armoyer, & contreſceellees des armoiries de France en lacz de ſoye rouge & verte.

Collacion a eſté faicte à l'original ſain & entier, par nous Anthoine Bourſault licencier és droictz, Preuoſt de Nogent le Roy, en vertu de certaines lettres Royaux en forme de compulſoire à nous addreſſees, en dacte du quatrieſme iour de Mars mil cinq cens trente, ſignees par le Conſeil, Picart. Et ſeellees en ſimple queuë de iaulne, impetrees pour la part de venerable & ſcientificque perſonne, Maiſtre Richard Rouſſat grand Archidiacre & Chanoine en l'Egliſe de Lengres, Adminiſtrateur perpetuel de l'Hoſtel-Dieu de Suxe, apellé auec nous Guillaume Salomon Notaire & Practicien és Cours dudict Lengres pour noſtre Greffier en ceſte partie. Es preſences dudict Rouſſat, & de honneſtes hommes Maiſtres Maurice Pomey, & Eſtienne Thiebeley Procureurs de nobles & ſcientificques perſonnes, Maiſtres Iehan Damoncourt & Ancel Petit, Chanoines en ladicte Egliſe, le troiſieſme iour du mois d'Auril mil cinq cens trente. Signé L. Demetay.

VI.



VI.

IVLII SECVNDI PONTIFICIS MAX. APOSTOLICA de conseruando Lingonis Episcopalis Curiæ indiuiduo Tribunali CONSTITVTIO.



VLIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI ad perpetuam rei memoriam, His quæ pro vtilitate & commodo cunctorum Christi fidelium salubriter & prouidè facta fuisse dicuntur, dum locorum & temporum conditio ac approbata consuetudo requirit, vt firma perpetuò & illibata persistant, libenter cùm à nobis petitur, Apostolici adijcimus roboris firmitatem. Sanè pro parte dilectorum filiorum Communitatis hominum Ciuitatis Lingonensis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim venerabilis frater noster IOHANNES EPISCOPVS LINGONENSIS in eius primo ingressu in dictam Ciuitatem tempore quo de persona sua Ecclesiæ Lingonensi prouisum fuerat, pro iocundo eius aduentu, cupiens populum suæ curæ commissum sibi reddere acceptabilem, ac proinde considerans quod sicut ipse relatione ciuium & incolarum dictæ Communitatis acceperat in illa patria, quippe IN EXTREMA PARTE REGNI FRANCIÆ sita pro maiori temporis parte, guerrarum turbines & seditiones Principum & Domi-

norum illarum partium hactenus viguerant, & in ipsa Ciuitate aut propè illam NON ERANT PORTVS, TRANSITVS AVT FLVMINA PER QVÆ MERCATORES ET NEGOTIANTES MERCES SVAS, quæ vt plurimum in frumento & vino consistebant, ad vsum communitatis & hominũ prædictorum, defferre possent, propter quod pauci mercatores inibi conuersabantur. Quodque SI FORVM CVRIÆ SPIRITVALIS SOLVM IN DICTA CIVITATE TENERETVR, CIVITAS IPSA AB HOMINIBVS MAGIS FREQVENTARETVR, ac mercatores & aliæ personæ merces & negotia sua liberiùs & commodiùs exercerent nonnullorum prædecessorum suorum Lingonensium Episcoporũ qui ex præmissis causis forũ curiæ spiritualis IN IPSA CIVITATE TANTVMMODO TENVERANT vestigiis inhærendo ac omnia & singula per ipsos prædecessores eidem communitati concessa confirmando & approbando: INTER ALIA STATVIT ET ORDINAVIT, QVOD DEINCEPS FORVM SVÆ CVRIÆ huiusmodi TAM PER SE QVAM SVOS OFFICIALES IN DICTA CIVITATE TANTVMMODO, præterquam pestis & guerrarum temporibus ac nonnullis aliis causis tunc expressis, ET NON ALIBI teneretur & exerceretur. Et alia fecit & concessit, provt in quibusdã literis authẽticis dicti Ioannis Episcopi propria manu subscriptis & suo sigillo munitis, plenius dicitur cõtineri. Quare pro parte Episcopi, Communitatis & ciuium prædictorum nobis fuit humili-

ter supplicatum, VT CONFIRMATIONI, APPROBATIONI, STATVTO, ORDINATIONI ET CONCESSIONI PRÆDICTIS pro illorum subsistentia firmiori ROBVR APOSTOLICÆ CONFIRMATIONIS ADIICERE aliasque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. NOS IGITVR QVI CVNCTORVM CHRISTI FIDELIVM VTILITATES ET COMMODA LIBENTER PROCVRAMVS, præfatum Episcopum ipsiusque Communitatis singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes huiusmodi SVPPLICATIONIBVS INCLINATI CONFIRMATIONEM, APPROBATIONEM, ET CONCESSIONEM PRÆDICTA, AC PROVT ILLA CONCERNVNT OMNIA ET PER-SINGVLA in dictis licteris contenta, quatenus sint in vsu, AC INDE SECVTA QVÆCVNQVE, AVCTORITATE APOSTOLICA, TENORE PRÆSENTIVM CONFIRMAMVS ET APPROBAMVS, PRÆSENTISQVE SCRIPTI PATROCINIO COMMVNIMVS, PLENAMQVE ROBORIS FIRMITATEM OBTINERE DECERNIMVS, SVPPLENTES OM-

NES ET SINGVLOS DEFECTVS, SI QVI FORSITAN INTERVENERINT IN EISDEM, NONOBSTANTIBVS CONSTITVTIONIBVS ET ORDINATIONIBVS APOSTOLICIS, AC DICTÆ ECCLESIÆ STATVTIS ET CONSVETVDINIBVS, IVRAMENTO, CONFIRMATIONE APOSTOLICA, VEL QVAVIS FIRMITATE ALIA ROBORATIS, cæteríſque contrariis quibuſcunque. NVLLI ERGO OMNINO HOMINVM LICEAT HANC PAGINAM NOSTRÆ ABSOLVTIONIS, CONFIRMATIONIS, APPROBATIONIS, CONSTITVTIONIS ET DECRETI INFRINGERE VEL DE AVSV TEMERARIO CONTRAIRE. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit INDIGNATIONEM OMNIPOTENTIS DEI & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. DATVM ROMÆ apud ſanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo tertio decimo, ſeptimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo. *Sic ſignatum ſupra plicam* A. DE CABREDO, *& ad dorſum ſub cauda*, A. DE CASTELLO, *& circa finem* Ia. Suongonius.

La preſente coppie a eſté par moy Greffier de la Chambre de Ville à Langres ſoubz-ſigné, extraicte du liure eſtant aux Archiues de ladicte chambre d'icelle. Et collationnee pour ſeruir où il appartiendra ce que de raiſon. Faict audict Langres ce iourd'huy

troisiesme du mois de Septembre mil six cens trente.

Par Ordonnance de Messieurs les Maire & Escheuins de ladicte ville de Langres.

N. Hubert.



VII.

DECANI ET CAPITVLI LINGONENSIS ECCLESIÆ: Humilis ad GREGORIVM XIII. PP. supplicatio, de non secando antiquissimo Episcopatu, nouáque in priscæ Matricis Ecclesiæ fundo, Cathedra (quam Diuionenses contra sacras leges petebant) minimè erigenda,

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino GREGORIO eius nominis DECIMO TERTIO, Pontifici Maximo. Decanus & Capitulum insignis Ecclesiæ Lingonensis, Apostolicæ Sedi immediatè subiectum, cum omni subiectione & reuerentia beatissimos pedes suppliciter deosculatur, salutémque plurimam dicit.



BEAT. P. Pontificiæ leges, quarum cognitione S. V. præcellit; eáque virtuti, pietati & religioni coniuncta, S. V. ad summum Apostolicæ Maiestatis apicem diuina voluntate prouecta est, expressis Canonibus vetant, ne ibi Episcopi constituantur, vbi nunquam fuerunt: néue Cathedrales Ecclesiæ, aut Episcopatus noui erigantur, nisi gens aliqua recèns ad fidem Catholicam conuersa fuerit: quæ

quotidianam Paſtoris ſui præſentiam requirat, vt in officio contineatur. VETANT ETIAM MVLTOMAGIS CATHEDRALES ECCLESIAS, imò Præbendas, & alia Beneficia Eccleſiaſtica DIVIDI; hoc eſt EX VNA, DVAS FIERI, ſine legitima cauſa. Sed illud omninò iure, ratione, æquitate prohibitum, Chriſtianæq; religioni è diametro repugnans, vt Abbatia regularis in Cathedralem Eccleſiam migret, vt Monachi regulares habitu mutato, iuramenti, voti, religionis, profeſſionis obliti, Canonici ſeculares, vel potiùs apoſtatæ fiant, ſuíque Ordinis regulam habitúmque deponant. Quodnam igitur malum Diuionenſes noſtros in eam conſpirationem induxit, vt ſollicitatis, ne dicam adornatis trium Ordinum Burgundię ſuffragiis, oppidum ſuum Epiſcopatus Lingonici membrum à ſuo capite diuelli, in eo oppido nouum Epiſcopatum erigi, nouam Eccleſiam Cathedralem ex Abbatiali fieri, Canonicos ſeculares ex Regularibus Monachis creari, conſecrari & inaugurari requirant? Eamque nouitatem è Rep. Chriſtiana eſſe, phalerato verborum fuco non modò Chriſtianiſſimo Regi noſtro Henrico perſuadere, ſed etiam ſpeciali S. V. priuilegio ex Apoſtolica Cancellaria obtinere, vel potiùs extorquere præſumant? Nouum eſt hoc, B. P. & nunquam auditum, vt Epiſcopatus vnquam Diuione fuerit, aut Epiſcopalis ibi Sedes, aut Eccleſia Cathedralis erecta. Oppidum quidem celeberrimum, Ducatus Burgundiæ caput, & incolarum virtute, nobi-

litate, opibus, frequentia, & amplissimo supremæ Curiæ Parlamento celeberrimum, in Lingonensi tamen Episcopatu ac Diœcesi ab omni memoria situm: à quo tanquam membrum à corpore diuidi, diuellíque non potest. Quid enim, si Diuionensem Archidiaconatum, qui præcipuos sex Decanatus cõtinet, ab Episcopo Lingonensi dirimas, lanies, diuellas, Episcopo Lingonensi prętcr tiaram, infulam palliúmque, denique titulum noménque restabit? Quid erit Episcopus Lingonensis, nisi mutilum caput, truncum, & sine nomine corpus? Siccine Lingonensis ciuitas vetustissima totius regni, à Regibus benè fundata supra firmam petram, fidei Catholicæ columen, Religionis orthodoxæ verus archetypus, tutissimum Christianissimi & optimi cuiusque perfugium dehonestabitur? Siccine Cathedralis Ecclesia ibi fundata splendorem suæ dignitatis amittet? Sic Episcopus Dux Lingonensis, Franciæ Par, à Corona Regia mouens, suo iure, patrimonio, iurisdictione priuabitur, & actione finium regundorum vocatus, Episcopatus sui fines in eam angustiam reduci videbit, vt vix totus ambitus viginti milliaria contineat, Diuionensi regione seclusa? Quis non videt innumeras lites & contentiones ex huius nouitatis seminario produci, quarum leuissima quæque scintilla tractu temporis ingens forte incendium suscitabit? Nec verò poterunt nostri Diuionenses tantæ iniquitatis caussam vllam prætexere: neque locorum distãtiam neque Pastorum incuriam allegare. Tanta est

enim Ciuitatis nostræ & Diuionensis oppidi vicinia, tam parua distantia, vt vno die quilibet etiam pedes, pedetentim ambulans, nedum cursor, aut eques, ex oppido manè egressus, antè solis occubitum ciuitatem ingredi possit. Episcopi verò qui Lingonensi Ecclesiæ præfuerunt, Desiderius, Gregorius, gentilis tuus Vrbanus, Bruno, aliíque permulti Sanctorum diario consecrati, extra omnem reprehensionis aleam positi, pro nobis intercessores existunt; alij subinde ad nostra vsque tempora. NOSTER CAROLVS HODIE TAM PROBE SVI MVNERIS PARTES EXEQVITVR; NVSQVAM AB EPISCOPATV SVO DISCEDIT; CIVITATEM AC DIOECESIM LVSTRAT, DIVIONENSES IPSOS VISITATIONIS SVÆ FREQVENTIA HONORAT, vt cum eo grauius expostulare, aut quotidianam eius præsentiam desiderare non possint. Ecquid igitur opus est Diuione nouum Episcopum creari? nouas Ecclesias Cathedrales ex Abbatialibus fabricari? contra bonos mores, Religionem, fidem? Lingonensem Ecclesiam, hac irreparabili iactura contra ius & fas Apostolica auctoritate mulctari? Sit igitur vrbs illa suis finibus, suo Parlamento, sua iurisdictione contenta: Nec in spiritualem Lingonensis Episcopi messem sine legitima causa falcem immittat. NON PATIETVR HANC EPISCOPATVS SVI DIVISIONEM, SECTIONEM, LANIENAM CAROLVS NOSTER;

Capitulum

Capitulum noſtrùm hanc indignitatem non ferret: ſed omni ſtudio TOTISQVE VIRIBVS CVM EPISCOPO NOSTRO, CVIVS NOS CONSILIARII SVMVS, ET EPISCOPATVS PATRONI TVTORESQVE FIDISSIMI, VNANIMI CONTENTIONE CERTABIMVS, VT ECCLESIA NOSTRA, QVÆ CATHEDRALIS EST, AB OMNI DIMINVTIONE LIBERA, IN SVA AMPLITVDINE ET INTEGRITATE PERSISTAT, & ab iniquiſſima Diuionenſium poſtulatione ſarta tecta præſtetur: ne dicatur aliquando de nobis illud Virgilianum; fuimus Troës; fuit Ilium: NEVE SCEPTRVM AB OMNI ANTIQVITATE QVÆSITVM, DE TRIBV LINGONICA TRANSFERATVR. Supereſt, B. P. quando totius negotij ſumma V. S. definienda committitur, vt ſuppliciter cum omni ſubiectione ac reuerentia, ſacroſanctos veſtræ Beatitudinis pedes prouoluti in genua deoſculemur, iuſtiſſimámque Lingonenſis Eccleſiæ cauſam S. V. ſtudioſiſſimè commendemus. Veſtram B. P. ſanctitatem quantùm poſſumus deprecamur obnixè, NE LINGONENSEM ECCLESIAM DIVIDI, hoc eſt EX VNA DVAS CATHEDRALES FIERI, AB EAQVE VELVT A CAPITE MEMBRVM PRÆCIPVVM DIVIONENSE OPPIDVM PERPETVIS TEMPORIBVS VNITVM ET ANNEXVM, ET AB EO DEPENDENS, AMPVTARI PERMITTAS: ambitioſámque nimis &

importunam noui Episcopatus postulationem, prosecutionémque perpetuo diplomate repellas; ISTISQVE CATHEDRALIVM ECCLESIARVM SECTORIBVS SILENTIVM IMPONAS, SVB ANATHEMATIS INTERMINATIONE ATQVE CENSVRA. Hoc singulari beneficio S. V. Ciuitatem vt antea semper Catholica fuit, eò magis cum vniuersa plebe totáque Lingonensi Diœcesi habebit obsequiosam & obnoxiam: Nos cum Episcopo nostro assiduos apud Deum Opt. Maxim. Deprecatores pro conseruanda S. V. incolumitate, prosperitate & pace. Ex æde Lingonensi S. V. deuotissima, pridie Cal. Ianuarij, 1578.

Ex ordinatione
Venerabilium Dominorum.

Deuotissimi S. V. Oratores, humillimíque seruuli, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Lingonensis, Apostolicæ Sedi immediatè subiectum.



VIII.

IOANNIS DE AMBOSIA EPISCOPI Reuerendissimi Lingonensis SANCTIO de Sede Episcopalis Curiæ, minimè extra vrbem Lingonicam vspiam in Diœcesi constituenda.

Extraict du liure ou sont Registrez les Tiltres de la Ville de Langres.



EHAN d'Amboise Euesque & Duc de Langres, Pair de France, Comte de Montsauljon, A tous ceux qui ces presentes lettres verront & orront. Salut, sçauoir faisons que nos chers & bien amez, les Bourgeois, manans & habitans de nostre Ville & Cité dudit Langres: nous ont exposé & remonstré que nostredite Ville & Cité dudit Langres, estoit & est assise & scituee sur les extremitez & frontieres du Royaume de France, & en pays ou de tout temps & ancienneté les guerres & diuisions ont par cy deuant eu cours par la plusparr du temps, & ou n'a encores de marchandise ny frequentation de marchans pour la difficulté de la scituation d'icelle Ville, qui est en pays lymitrophe, ou n'a port, passage, ne riuiere pour conduire, mener, ou charrier leurs marchandises, & au moyen desquelles choses ladicte Ville demeure comme non marchande & peu habitee, & n'ont les manans & habitans d'icelle Ville, pour maniere de viure & despendre leurs viures, comme graines & vins enquoy consiste la plusparr de leurs mar-

Charta hæc, inuersâ nescio quo casu, natiuâ serie diplomatum, transposita est: proprio enim ordine ante Bullam Iulij II. Pontificis Max. fuerat immediatè collocanda.

chandises aucune deduction, fors seulement à ceux qui vont, viennent & conuersent audict Langres au moyen de la Court espirituelle que nous & nos predecesseurs auons faict exercer en nostredicte Ville. Aussi que au moyen de semblables remonstrances que nosdicts Bourgeois & habitans par cy deuant auoient, & ont faictes à nosdicts predecesseurs Euesques dudict Langres, iceux bien aduertis & certifiez icelles estre vrayes, desirans le bien & vtilité de nostredicte Ville & Cité, & l'augmentation d'icelle, eussent & ayent ouctroyé & accordé à iceulx Bourgeois, manans & habitans de tenir & faire tenir & exercer ladicte Court spirituelle audict Langres seullement, sans icelle faire diuiser ou separer ou la tenir, ou faire tenir par eulx leurs Vicaires, Officiaulx ou autres de par eulx ailleurs en nostredict Diocese, fors en nostredicte Ville & Cité dudict Langres en quelque maniere que ce soit. Laquelle chose nosdicts predecesseurs ayent promis & iuré tenir garder & obseruer, sans iamais y contreuenir, tant à leurs premieres entrees qu'ils ont faictes en nostredicte Ville comme depuis, & que quant aucuns de nosdicts predecesseurs ont faict ou voulu faire le contraire, & qu'ils eussent faict tenir & exercer nostredicte Court & iurisdiction espirituelle, allieurs que en nostredicte Ville, fust à Dijon, Mussy, Barsuraube, Tonnerre, ou aultre part en nostredict Diocese, & il leur soit esté remonstré ce que dict est, ils s'en sont desistez & l'ont faict cesser en confermant, ratiffiant & approuuant les octroys & accords de tenir & reünir nostredicte Court & Iurisdiction espirituelle tant seullement audit Langres, en faisant ladicte reünion en telle maniere qu'ils faisoient, & ont faict exercer & te-

nir entierement nostredicte Court & Iurisdiction espirituelle en nostredite Ville & Cité & non allieurs. Et sur ce octroyees leurs lettres de ratiffication & approbation ausdits habitans. Nous ont en oultre dict & remonstré que en ensuiuant ce que nosdits predecesseurs auoient fait, promis & iuré les choses dessusdites, apres ce que auons esté promeu en nostredit Eueſché, & en faisant nostre entree en nostredite Ville, ayons fait semblables sermens que nosdits predecesseurs auoient accoustumé de faire, de garder, tenir & entretenir les priuileges, franchises, libertez & vsaiges desdits habitans qui leurs auoient esté octroyez par nosdits predecesseurs, & mesmement & par expres faire tenir & exercer nostredite Court espirituelle en nostre Ville & Cité de Langres seullement & non allieurs. Mais ce neaulmoings iceulx Bourgeois, manans & habitans de nostredite Ville, aduertis que auions disioincte, diuisee & separee nostredite Court espirituelle, & auions commis & deputez Vicaire ou Official en la Ville de Dijon, ensemble Greffier, scribe & autres officiers pour l'exercice d'icelle Court, qui iournellement s'exerceoit illec, qui congnoissoient & decidoient de toutes causes & matieres, qu'estoit venir directement contre lesdits octroys, accords, franchises, vsaiges, priuilleges & libertez de nostredite Ville & Cité ainsi baillez, conceddez & octroyez ausdits Bourgeois, manans & habitaus, au tres-grand grief, preiudice, dommage & interests d'icelle nostredite Ville & Cité, desdits habitans; & si par nous ny estoit mise prouision, pourroit tourner à la grande depopulation d'icelle Ville, & diminution de nosdits Bourgeois & habitans, qui sont mieulx entretenus au

moyen de nostredite Court & Iurisdiction espirituelle. Pour à quoy obuier & autres dommages & interests de nostredite Ville & Cité dudit Langres, & affin d'entretenir nosdits habitans en icelle, nous ayent & ont iceulx habitans tres-instamment prié & requis que en consideration aux choses dessusdites, nous les voulsissions entretenir en leursdits droicts, franchises, priuilleges & libertez, & iceulx de nouuel confermer, ratiffier & approuuer, & faisant cesser nosdits Vicaire Official & autres officiers qui seent audit Dijon, & autrement en nostredit Diocese, & leur deffendre de tenir ou faire tenir nostredite Court & Iurisdiction espirituelle audit lieu de Dijon & allieurs de nostredit Diocese, que en nostredite Ville & Cité dudit Langres, & revnir entierement nostredite Court de l'Officialité & Iurisdiction espirituelle, en telle maniere que doresnauant nostredite Ville & Cité & les habitans en icelle, n'en ayent ou puissent auoir aucuns dommages & interests, offrans de nous faire sommairement & de plain apparoir, par lettres, tiltres & instrumens des choses dessusdites à suffisance. POVRQVOY nous qui desiderons de tout nostre cœur ainsi que faire debuons, le bien, proffit, vtilité, augmentation de nostredite Ville & Cité, & de nosdits Bourgeois manans & habitans, & les entretenir en leurs droicts, franchises, vsaiges, priuilleges & libertez, inclinans liberallement à leurdite requeste. Apres ce que auons esté deuëment informez, tant par lettres, tiltres, instrumens que aultrement, deuëment desdits octrois, accords, & confirmations d'iceulx faits par nosdits predecesseurs Euesques, a nosdits Bourgeois, manans & habitans de tenir & faire tenir & exercer

noſtredite Court & Iuriſdiction eſpirituelle entierement, & ſeullement en noſtredite Ville & Cité de Langres, & non allieurs en noſtredit Dioceſe: conſiderans iceulx octroys auoir eſté faits & donnez par noſdits predeceſſeurs à bonne & iuſte cauſe, & que c'eſt l'euident proffit, vtilité, augmentation & entretenement de noſtredite Ville & Cité, & de noſdits Bourgeois & habitans, auſſi la ſcituation de noſtredite Ville & Cité, & les grandes pertes dommages qu'ils ont ſupportez & ſoubſtenus, & charges qui iournellement ils ſupportent & ſoubſtiennent pour l'entretenement, tuition & deffenſe de noſtredite Ville & Cité, comme eſtant ſur les extremitez de ce Royaume, en pays limitrophe, hors de port, paſſage, riuiere, communication de marchandiſe, pluſieurs aultres cauſes raiſonnables vrayes, & ad ce nous mouuans bien entenduës & conſiderees, en enſuiuant & entretenant les ſermens de nous & de noſdits predeceſſeurs, & meſmement celuy qu'auons faict en noſtredite premiere entree en noſtredite Ville & Cité. Nous de noſtre certaine ſcience, par l'aduis & deliberation des gens de noſtre Conſeil, & de nos Officiers tant en eſpirituel comme en temporel, & d'aultres ſaiges gens auec leſquels auons conſulté ceſte matiere, laquelle a eſté entre eulx diſputee, entenduë & bien digeree: auons loüé, ratiffié, confermé & approuué, & par ces preſentes loüons, ratiffions, confermons & approuuons tous & chacuns les octroys, accords, dons, priuilleges, franchiſes, libertez que par nous & noſdits predeceſſeurs Eueſques & Ducs de Langres ont eſté donnez, accordez & octroyez en noſtredite Ville & Cité dudit Langres, & à noſdits Bourgeois, manans

& habitans d'icelle. Et neantmoings & d'habondant entant que mestier est, Auons octroyé donné & accordé, donnons octroyons & accordons à nosdits Bourgeois, manans & habitans pour nous, & nos successeurs Euesques Ducs dudit Langres, que d'ores en auant ferons tenir & exercer entierement nostredite Court & Iurisdiction espirituelle par nos Vicaire Official, & autres Officiers en nostre Ville & Cité de Langres tant seullement & non allieurs, en quelque lieu que ce soit en nostredit Diocese, sinon que nous ou nosdits Vicaires fussions ou cours de la Visitation de nostredit Euesché, ouquel cas pourront sommairement congnoistre des matieres qui y suruiennent, ainsi qu'il est accoustumé de faire du temps passé & non aultrement : & aussi en temps que pestillence, mortalité ou hostilité regnassent audit Langres, en telle maniere que nostredite Court bonnement & seurrement sans peril de mort, ne se pueult exercer en icelle, ouquel cas la pourrions faire mettre & exercer au plus prochain lieu dudit Langres, où seurrement se pourroit exercer & non aultrement durant ledit temps tant seullement, & incontinent ledit temps de pestilence, mortalité & hostillité passé, & que on pourra estre seurrement audit Langres, nous ou nosdits successeurs ferons remettre & exercer ladite Court & Iurisdiction espirituelle audit Langres : & ne voullons ne entendons que durant icelluy temps de pestilence, mortalité ou hostillité, nous ne nosdits successeurs puissions acquerir aucune possession ou iouyssance au contraire, au preiudice des dons & octroys dessusdits, ne de nosdits Bourgeois & habitans de nostredite Ville & Cité de Langres. Et dés a present auons interdit, prohibé &

deffendu,

deffendu, interdiſons prohibons & deffendons, aux Vicaires, Official & autres Officiers eſtans par nous commis au lieu de Dijon ou allieurs en noſtre Dioceſe, en quelque part & lieu que ce ſoit, que doreſnauant ils ne tiennent ne exercent aucune Cour ou Iuriſdiction eſpirituelle de par nous en quelque maniere que ce ſoit audit Dijon ne allieurs en noſtredit Dioceſe, que en noſtre Ville & Cité dudit Langres, en declarant par ces meſmes preſentes nul & de nulle valeur & effect, tout ce que cy-apres feront & pourront faire au contraire, & leſquels noſdits Officiers quant à ce, auons reuocquez & reuocquons par ces preſentes, enſemble tout le pouuoir & auctorité que ſur ce leurs pouuons auoir donné & octroyé, & que cy apres leur pourrions faire donner & octroyer en quelque maniere que ce ſoit, en declarant pour nous & noſdicts ſucceſſeurs, non pouuoir ou deuoir doreſnauant tenir ou faire tenir & exercer noſtredite Cour eſpirituelle par noſdits Vicaires, Officiaulx & autres Officiers allieurs en noſtredit Dioceſe, que en noſtredicte Ville & Cité de Langres: nonobſtant quelconques diſpoſition de droict commun, par lequel il eſt loiſible à vng chacun Dioceſain pouuoir exercer ſa Court & Iuriſdiction eſpirituelle en quelque part qu'il veut de ſondit Dioceſe, & tous aultres droicts, couſtumes, ſtyles & vſages à ce contraires, auſquels & à tous autres droicts, conſtitutions, decrets & aultres choſes que l'on pourroit dire & alleguer contre la teneur de ces preſentes & effect d'icelles, Nous auons renoncé & renonceons par ces preſentes pour nous & noſdits ſucceſſeurs, & promettons en foy & ſerment de Prelat pour nous & noſdits ſucceſſeurs, ou temps aduenir de-

tenir & entretenir doresnauant tout le contenu en ces presentes ferme & estable sans iamais y contreuenir, soubs l'obligation de tous les biens de nostre temporel oudit Euesché, lesquels quant ad ce nous auons soubsmis & submettons à la Cour & Iurisdiction du Roy nostre Sire, de sa Court de Parlement, & de toutes aultres Cours & Iurisdictions temporelles & espirituelles, pour estre contraincts à obseruer de poinct en poinct les choses dessusdites & vne chacune d'icelles. Et en oultre donnons en mandement par ces mesmes presentes, à nostre Official dudit Langres, & à tous nos aultres Officiers tant de la Court espirituelle que temporelle, & à chacun d'eulx s'y comme à luy appartiendra qu'ils signifient & publient, facent signifier & publier, tenir & entretenir, garder & obseruer de poinct en poinct les choses dessusdites, & tout le contenu en ces presentes selon leur forme & teneur, toutes & quantesfois que requis en seront en leurs auditoires & aultres lieux que mestier sera. Et au surplus pour ce que auons congneu & congnoissons les choses dessusdites estre le bien, honneur, proufit & vtilité du Roy nostredit Seigneur, & de nous nostre Eglise & nostredit Euesché, & aussi l'augmentation & conseruation de nostredite Ville & Cité de Langres, de laquelle à cause de nostredit Euesché sommes Duc & Seigneur temporel pour le bien & iustice de la chose publicque & du pays à l'enuiron. Nous prions & requerons par ces presentes à nostre sainct Pere le Pape, au Roy nostre Sire, sa Court de Parlement & nos freres Conchanoines, les Doyen, Chapitre de nostredite Eglise de Langres, ausquels & chacun desquels nous affermons en foy & serment de Prelat, les choses des-

ſuſdites eſtre vtiles & proufitables à Nous & à noſdits ſucceſſeurs & telles que deſſus, leur plaiſir ſoit loüer, confermer, ratiffier, approuuer, emologuer & auctoriſer le contenu en ceſdites preſentes a ce qu'elles puiſſent eſtre pour le temps aduenir perpetuels & valables, au proufit de nous, de noſtredite Ville, & de noſdits Bourgeois & habitans. En teſmoing deſquelles choſes nous auons ſigné de noſtre main, & faict mettre à ces preſentes lettres noſtre ſeel, auec le ſeing manuel de noſtre Secretaire, qui furent faictes & donnees audit Langres, le Mardy dix-huictieſme du mois de May l'an mil cinq cens & deux. Ainſi ſigné I.E. & Duc de Langres, & ſur le reply. Par Monſeigneur, eſtant en ſon Conſeil IOVART, auſquelles lettres ſont annexees les lettres dont la teneur s'enſuit.

Nous CHAPITRE de l'Egliſe de Langres, ſçauoir faiſons à tous, que veues ce iourd'huy par nous les lettres de Reuerend Pere en Dieu Meſſire Iehan d'Amboiſe, Eueſque, Duc de Langres, Pair de France, auſquelles ces nos preſentes ſont attachees, ſaichans le contenu en icelles eſtre tres-neceſſaire pour le bien dudit Reuerend, augmentation de ſon Eueſché, & auſſi l'entretenement de la Ville & Cité de Langres. Requis ſur ce, les loix, approbations, dons, octroys & accords contenus eſdites lettres, entant qu'il nous touche, auons ratifiez, approuuez & emologuez, ratifions, approuuons & emologons par ces preſentes, auec l'interpoſition de noſtre decret : & en teſmoing de ce auons faict ſeeller du ſeel de noſtre Chambre, & ſigner de noſtre Secretairo ces preſentes, qui furent faictes & paſſees en noſtre Chapitre, le Doyen abſent, le vingt-ſeptieſme du mois de May, l'an mil cinq cens & deux.

Ainsi signé par Mesdits Sieurs BOILLOT.

Collationné à son original, estant en l'Hostel de Ville à Langres, par moy Secretaire de la Chambre d'icelle soubssigné, de l'ordonnance de Messieurs les Maire & Escheuins de ladite Ville, ce dixiesme Feburier mil six cens trente deux.

N. Hubert.



IX.

EXTRAICT DV LIVRE OV SONT Registrez les Tiltres de la Ville de Langres.




'AN mil cinq cens & deux, le premier iour du mois de Iuin, apres que de la part de honorable homme Iehan Geneuoys Bourgeois de Langres, soy disant Procureur substitud de Messieurs les Bourgeois, manans & habitans de ladicte Cité de Langres, ont esté presentees à nous Richard de Vendenesse Chanoine & Official dudit Langres, certaines lettres de Reuerend Pere en Dieu nostre tres-honoré Monsieur Iehan D'Amboise Euesque & Duc de Langres, contenant la reuocation de la Court & Officialité par luy mise & constituee audit Dijon, par lesquelles nous est mandé faire inhibition & deffense aux Vicaires, Official, Greffiers, Promoteur & aultres estans Officiers audit Dijon pour ledit Reuerend, non tenir Officialité ou Iurisdiction & Court espirituelle pour ledit Reuerend audit lieu de Dijon. En vertu desquel-

les lettres dont les coppies apres la viſion deſdits originaux, nous ſont eſté baillees & deliurees par honorable homme Nicolas Girault, Procureur deſdicts Bourgeois & habitans, requerant icelles eſtre miſes à execution deuë. A ceſte cauſe nous eſtant au lieu de Dijon, appellé auec nous pour Notaire en ceſte partie, Maiſtre Noel Paſcault Iuré de ladite Cour de l'Officialité, les an & iour deſſuſdits, en parlant aux perſonnes de Monſieur Maiſtre Oudart Machee, Chanoine & Treſorier de la Chapelle à Dijon, Vicaire & Official dudit lieu, & aux perſonnes de honorables hommes Bertrand Gentil & Benigne Margeret, eulx diſans Greffiers de ladite Court, Meſſire Hugues Bailly Promoteur dudit Reuerend, i'ay inthimé & ſignifié le contenu deſdites lettres, en leur faiſant inhibition & deffenſes, que d'oreſnauant ils n'euſſent à tenir Cour ne Iuriſdiction eſpirituelle audit Dijon ne allieurs en l'Eueſché: ains les cauſes pendans pardeuant eulx renuoyer audit lieu de Langres, leſquels ont dict & reſpondu. Que en tout & par tout ils eſtoient ſubiects & ſeruiteurs dudit ſieur Reuerend, & eſtoient deliberez obeyr à ſes commandemens, requerans entant que les parties auoient aſſignation pardeuant eux audit Dijon, que voulſiſſions bailler iour certain & compepetant audit Langres, pour proceder par leſdites parties ſi procedder vouloient. Et en obtemperant à icelle requeſte comme raiſonnable, & du conſentement dudit Geneuois Procureur deſdits habitans, auons euocqué & euocquons par ces preſentes leſdites cauſes & procez pendans indecis, pardeuant leſdits Vicaire & Official dudit Dijon, en aſſignant iour aux parties qui vouldront procedder en leurſdits procez parde-

uant nous audit Langres, au Vendredy apres la sainct Martin d'Esté prouchainement venant : sauf que si lesdites parties veulent anticiper ledit iour faire le pourrót. Desquelles choses ledit Geneuois oudit nom, nous a requis & demandé lettres pour luy valoir & seruir ce que de raison, en obtemperant à laquelle requeste nous luy auons octroyé ces presentes, lesquelles ont esté faictes & signees du seing manuel dudit Pascault, & seellees du seaul de l'Officialité dudit Langres les an, iour & lieu dessusdits, presens Symon Richard, Hugues Iournee, Henry Verité, Nicolas Sauuage, & plusieurs aultres tesmoins ad ce appellez & requis. Ainsi signé N. PASCAVLT.

Collationné à son original, estant en l'Hostel de Ville à Langres, par moy Secretaire de la Chambre d'icelle soubssigné, de l'Ordonnance de Messieurs les Maire & Escheuins de ladite Ville, ce dixiesme Feburier mil six cens trente deux.


N. Hubert.



INDICVLVS
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ *quibus tractatus is fulcitur & decoratur.*

C. caput. v. versum, numerus, paginam, t. textum, m. marginem indigitat.

EX GENESI.



EX LIB. EXODI.

EX LEVITICO.

EX NVMERIS.

c.16.v.1.2. *Ecce autem Chore filius Isaar, &c. & Dathan atque Abiron filij Eliab, &c. Surrexerunt contra Moysen*, 151. t.

c.36.v.6. *Nubant quibus volunt, tantùm vt suæ tribus hominibus, ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum, &c. sed hæreditas permaneat in familijs; nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant vt à Domino separatæ sunt*, 128. m.

EX DEVTERONOMIO.

c.17.v.8.12. *Si difficile & ambiguum fuerit apud te iudicium, &c. venies ad Sacerdotem, &c. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel*, 323. t. & 336. t.

c.21.v.15.16.17. *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos & fuerit filius odiosæ primogenitus: volueritque substantiam inter filios diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum & præferre filio odiosæ: sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debetur primogenita*, 286. t.

c.22.v.24. *Lapidibus obruetur puella, quia non clamauit cum esset in ciuitate*, 193. t.

c.24.v.1. *Si acceperit homo vxorem & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij & dabit in manu illius & dimittet eam de domo sua*, 59. t.

EX LIB. IOSVE

c.10.v.12.13. *Tunc locutus est Iosue Domino, &c. dixitque, &c. Sol contra Gabaon ne mouearis, &c. stetit itaque Sol in medio Cœli & non festinauit occumbere.* Inducitur hic locus in expostulatione aptéque dictis accommodatur, *fol.* ẽ *ij recto*.

EX LIB. IVDICVM.

c.11.v.39. *Iephte filiam immolauit*, 376. t.

c.19.v.29. & 30. *Arripuit* (Leuita) *gladium, & cadauer vxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frustra concidens, misit in omnes terminos Israel. Quod cum vidissent singuli conclamabant: Numquam res talis facta est in Israel*. 367. t.

EX LIBRIS REGVM.

lib.3.c.3.v.26. *Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur*. 370. m.

lib.4.c.2.v.13. *Et leuauit pallium Eliæ quod ceciderat*. 132. t.

Ibidem v.22. *Sanatæ sunt aquæ vsque in diem hanc iuxta verbum Elisei*. 132. t.

EX LIB. 2. ESDRÆ.

c.13.v.28. *De filijs autem Ioiada, filij Eliasib Sacerdotis magni, gener erat Sanabal-*

lat

inscriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Dei, conciliare cor Patrum ad filios & restituere tribus Iacob. in Expostul. fol. õ iij verso, & õ iiij recto.

c.50.v.1. &c. *Simon Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum*, &c. ibid. ũ iiij recto.

EX ISAIA.

c.6.v.1. *Vidi Dominum sedentem super solium*, 280. m.

c.8.v.14. *Lapis offensionis & Petra scandali*, 35. t. 363. t.

c.19.v.18. *Iurantes per Dominum exercituum*, 288. t.

Ibidem. *Ciuitas Solis vocabitur Vna*, 199. m.

c.26.v.20. *Abscondere paulisper*, &c. *donec pertranseat furor Domini*, 64. t.

c.27.v.12. *Congregabuntur vnus & vnus filij Israel*, &c. 161. m.

c.38.v.14. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba*, 374. t.

c.50.v.1.2. *Quis est iste liber repudij matris vestræ quo dimisi eam?* 60. t.

c.51.v.1. *Iustus perit & non est qui recogitet*, 314. m.

c.53.v.5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum & liuore eius sanati sumus*, 368. t.

c.61.v.3. *Vt darem coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* in Expostul. fol. ũ iiij. verso.

EX IEREMIA.

c.3.v.8. *Pro eo quod mœchata esset auersatrix Israel dimisi eam, & dedi ei libellum repudij*, 60. t.

c.4.v.2. *Et iurabis (ait Dominus) in veritate & iudicio & iustitia*, 290. t.

c.5.v.7. *Filij tui dereliquerunt me, & iurant in his qui non sunt dij*, 288. t.

c.25.v.38. *A facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* in Expostul. fol. õ ij verso.

c.46.v.16. & c.50.v.16. *A facie gladij columbæ*, ibidem fol. recto.

EX THRENIS.

c.1.v.2. *Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eam, ex omnibus charis eius*, 212. t.

Ibidem v.4. *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem*, 202. t.

Ibidem v.6. *Egressus est à filia Sion omnis decor eius*, ibidem.

EX EZECHIELE.

c.1.per tot. *Currus similitudinis gloriæ Domini. Animalia plena oculis ante & retro. ibant ad similitudinem fulguris corruscantis: ibant & reuertebantur. Cum fieret vox super firmamentum stabant & submittebant alas suas*, 263. 264. 265. Inducitur etiam in Expost. fol. ẽ iij recto.

c.2.v.4. *Domus exasperans est, dura fronte & indomabili corde*, 66. t.

c.10.v.15. *Fugite in aliam ciuitatem*, 66. m.

c.13.v.47. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare*, 164. t.

c.16.v.17. *Beatus es Simon Barjona.* in Expostul. õ iij recto.

Ibidem v.18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum.* Frequenter inducitur hic locus, maxime 35. t. 101. m. 326. t.

c.13.v.44.45.46. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro*, 164. t. *Iterum simile est*, &c. *homini negotiatori quærenti bonas Margaritas inuenta autem vna pretiosa margarita*, &c. ibid.

c.17.v.12. *Elias iam venit.* in Expostul. fol. õ iiij recto.

c.22.v.21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo*, 11. t. 283. m.

Qui plantauit vineam, 164. t.

c. 21. v. 33. c.20.v.21. *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo*, 166. t.

c.23.v.17.&19. *Quid enim maius est: aurum an templum quod sanctificat aurum?* &c. *quid enim maius est donum, an altare quod sanctificat donum?* 312. t.

c.24.v.28. *Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, 200. t.

c.27.v.51. *Velum templi scissum est*, 199. t.

EX MARCO.

c.9.v.40. *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* In Præmonit. sub oram.

c.10.v.2. *Si licet viro vxorem dimittere?* &c. 59. m.

Ibid. v. 46. *Si oculus tuus scandalizat te, eijce eum*, &c. 87. t.

EX LVCA.

c.9.v.52.53. *Et misit nuntios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt pararent illi. Et non receperunt eum quia facies eius erat euntis in Ierusalem*, 245. t.

c.10.v. 42. *Vnum est necessarium*, 166. t.

c.10.v.16. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit*, 336. m.

Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos, ibid.

c.12.v.14. c.13. v. 7. *Dixit ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* 234. t.

c.22.v.32. *Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* In Exp. fol. ẽ iiij vers.

Ibidem. *Confirma fratres tuos*, 280. t.

c.23.v.31. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* 157. t.

EX IOANNE.

c.1.v. 42. *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas.* in Expostul. fol. ẽ iij verso.

EX EPIST. I. AD CORINTH.

EX 2. AD CORINTH.

EX EPIST. AD GALATAS.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

EX EPIST. AD COLOS.

EX I. AD THESSAL.

EX 2. AD THESSAL.

EX I. AD TIMOTHEVM.

EX EPIST. 2. AD TIMOTHEVM.

EX EPIST. AD TITVM.

EX EPIST. AD HEBRAEOS.

SYLLABVS

SYLLABVS AVCTORVM quorum dicta hoc in libro citantur.

Numerus paginam, t. textum, m. marginem indicat.

HHh

S. Paulinus

FIN.

PRIVILEGE DV ROY.



OVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre : A nos amez & feaux les gens tenans nostre Cour de Parlement de Paris, Maistres des Requestes Ordinaire de nostre Hostel, Preuost de Paris, & à tous nos autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien amé REGNAVLD CHAVDIERE Marchand Libraire en nostre Vniuersité de Paris nous à faict remonstrer qu'il a recouuré vn liure intitulé, *DE EPISCOPALI MONOGAMIA ET VNITATE ECCLESIASTICA, &c. Composè par nostre bien amé Mre.* ANDRE' DV SAVSSAY *nostre Conseiller & Predicateur Ordinaire, Protonotaire du S. Siege Apostolique, & Curé de la Parroisse de S. Leu & S. Gille de Paris.* Lequel liure ledit Chaudiere desireroit faire imprimer pour le bien & vtilité du public, ce qu'il ne peut faire sans auoir sur ce nos lettres de permission & Priuilege, humblement nous requerant icelles. A ces causes desirans gratifier ledit Chaudiere luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes de faire imprimer, vendre & distribuer ledit liure, *De Episcopali Monogamia & vnitate Ecclesiastica, &c.* selon l'ordre & methode de l'Autheur, & en telle forme & caractere que bon luy semblera. Faisons inhibition & deffense à tous autres Marchands Libraires & Imprimeurs de cestuy nostre Royaume, de le faire imprimer sans le congé & consentement dudit Chaudiere, durant le temps & terme de neuf ans entiers & ac-

complis, a compter du iour & datte de la premiere impression qui en sera faicte, sur peine de confiscation de tous les exemplaires, & mil liures d'amende contre les contreuenans, appliquables moitié à nous & l'autre moitié audit exposant. VOVLONS en outre, qu'en faisant mettre au commencement ou à la fin dudit liure vn Extraict sommaire dudit Priuilege, il soit tenu pour bien & deuëment signifié, sans souffrir ne permettre luy estre mis ou donné aucun empeschement au contraire. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis faire toutes recherches & perquisitions és magazins, saisir & mettre en nostre main tous les exéplaires qui trouuez seront d'autre impression que dudit Chaudiere, à la charge de mettre par ledit Chaudiere deux exemplaires dudit liure en nostre Bibliotheque. Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le 14. Iuillet l'an de grace mil six cens trente & vn. Et de nostre Regne le vingt-deuxiesme.

Par le Roy en son Conseil,

COVPEAV.

TRANSPORT.

LEdit Regnault Chaudiere a transporté le susdit Priuilege à Pierre Chaudiere son fils, pour en iouyr suiuant qu'il est porté par iceluy.

Acheué d'imprimer le vingtiesme Mars 1632.



